












15/103 2/ rare

P XXIV



B

A Ja Attwood
1859


HISTORIA ANIMÆ HVMANÆ,

AVCTORE

DAVIDE BVCHANANO SCOTO.



M. DC. XXXVI.



ILLVSTRISSIMO VIRO DOM:

GVILLELMO CRAVENO,

D. DE HAMSTEID, &c.

REGNI ANGLIÆ PARI.

S. P. D.



Vperioribus annis quum in Galliis degerem bonos aliquot authores κατὰ συγκυρίαν *versans & me cùm ipse identidem meditans quædam & ea non pauca, neque scitu indigna, neque ingrata,*

super anima hominis haud sine cura obseruaram, quæ partim in amicorum gratiam, partim in meum ipsius commodum, sermone Francogallis familiari, prout tunc poteram, chartis consignaram; tandem post plurium annorum foris moram ad nostros reuersus, quum apud nonnullos, vt pios ita doctos, de ea re, sicut sæpenumero, inter rerum meliorum studiosos fit, verba facerem, ab ijs obnixe inuitatus fui, vt quæ de anima nostra in priuatos vsus & idiomate vnigenti vernaculo scripta haberem in Latinum verterem ac publici iuris facerem. Quod pluries &

diu, in ſeculo adeo erudito & naſuto, propter meam in Latino ſermone infantiam, nec non in bonis literis inſolentiam, & quod maximum eſt, propter ſummam in reipſa difficultatem, tentare conſtans renui: verum vltra ab hominibus mei amantiſsimis, inſtantius multo quam antea ſuper ea re rogatus recuſare diutius nequiui, quin opus hoc arduum in me licet muneri, vt decuit non ita parem ſuſciperem. Ergo auſpice Iehoua, rei tum mihi tum in ſeſe maxime difficili, à qua propterea tam diu deterritus eram, admoliri manum auſus ſum, ex parte vt iis hoc

pacto gratarer quibus displi-
cere nec potui nec debui ex
parte etiam vt alius si possem
hac ratione prodessem quod
me sic efficere posse, ex amicis
quidam persuadere volue-
runt: ac ita vt per desultoriam
vitam, amicorum officia, &
propria conditionis curas li-
cuit, ducente Deo, sub cuius
auspiciis rem quam aggressus
eram, tandē post tempus diu-
tiusculum vt mea fert tenui-
tas, ad finem perduxi: scripta
nimirum mea hic illic dispersa in
vnum colligens, & in melio-
rem ordinem redigens, hunc in
quo anima hominis quasi in
angustiori tabella ἱςορεῖται libel-
lum composui: qui veste Lati-

na quamuis non adeo nitida & cōpta tectus ac literarum ornatu pene nullo cultus, in cœtus hominum prodire & lucem publicam intueri, quod bene ei vertat, nunc temporis festinat: ea tamen conditione, nec aliter auſus eſt vt ad vnũ, præ aliis propius multo & potiſsimum accedat, quo intime συχρᾶσθαι, & cuius fauoris prærogatiua aliorum hominum ſuffragiis ſpe meliori ſe committere poſsit, id eſt, ad te vir illuſtriſsime: tu enim es is ad quem libellus hic meus non ſolum ſe familiariter recipere, ſed in cuius clientelam ſe peculiariter dedere auide affectat: idque meritiſsime; qui cũ

enim æque conuenienter fami-
liaris esse potest vel debet, aut
quem adeo idoneum pa-
tronũ habere quit annimæ hu-
manæ historia ac est is homo
cuius animã ἴφθιμον *pater ani-*
marũ virtutibus adeo illustrẽ
reddere voluit, & iis præsertim
virtutibus Dei te benignitas,
te clarissimũ effecit, quæ viris
maxime sunt propriæ, idest,
humanitate, munificentia &
fortitudine bellica, in quibus
quantum emineas, testis est
non solum magna Britannia
cõmunis patria nostra, sed etiã
exteræ nationes nominatim
vtraque Germania et Galliæ
palam prædicant. Hisce ego
eximiis tuis virtutibus impul-

ſus, hanc meam de anima nostra lucubrationem, ſub ſplendore nominis tui in manus hominum exire volui, neque quod tibi in aula & inter arma verſato operã hanc literariam vnice conſacrem abſurde facere videbor iis qui harum rerum inter ſe conſenſionem diligenter animaduertunt, aut iis qui ſublimem animum tuum ſatis perſpectum habent: qui enim contẽnens res caducas, æternæ gloriæ memoriam ante oculos habes tibi propoſitam, non potes quin literas memoriæ custodes charas habeas. Quidquod tot beneuolentiæ officiis me tibi deuincit vt ſiquis ſit ingenij

mei fœtus is omni iure ad te attinere debeat. Iam vir nobilissime hoc meum summæ tuæ erga me liberalitatis & humanitatis, à grato animo proficiscens testimonium, nec non mei erga te obsequij significationem pro tua æquanimitate tuoque in me amore mihi spondeo, boni consules, Vale. Britanniæ nostræ ornamentum vnicum. Octauo Calendas Apriles Gregorianas anno æræ Christianorum vulgaris, 1636.



Ad beneuolum Lectorem.



Viſquis es qui hæc leges, velim amice, ſcias hic te habere conatum vt liberum, ita modeſtum hominis quidem ὀψεμαθοῦς, & vt ipſe ingenue fatetur, παυρομαθοῦς, interim tum φιλομαθοῦς, tum φιλαληθοῦς, ſuper re maxime, id eſt, ſuper animæ noſtræ integra hiſtoria, vbi animæ humanæ nomina varia euoluit, naturam ſemotis erroribus explicat, τόπου in corpore indicat, ἀθανασίαν demõſtrat ſeparatæ

ſtatum , & denuo vnitæ corpori conditionem oſtendit : quæ omnia paucis & claris pro modulo tenuitatis ſuæ induſtrius molitur. Quo in negotio ſi propter imbecillitatem ingenii librorum & otii inopiam non plene effecit quod ſerio in votis habuit , tamen hoc ſuo qualicunque labore ad id exactius exequendum , quod ille prædictis incommodis præpeditus , præſtare omni ex parte nequiuit , licet maxime optarit , ſe meliora ingenia excitaſſe , quibus libri & otium abunde ſuppetunt , non dubius ſibi ſpondet. Cæterum ea mo-

deratione in hoc ſuo ſcripto (ſicut legens videas) author hic vtitur, vt in nullum contrariæ ſententiæ aſſertorem inuehatur, quemadmodum à præpoſtere ambitioſis fieri ſolet, qui niſi alios deprimant, ſe ſurgere non poſſe putant, neque febriculoſæ diligentiæ oſtentatione, ſcriptores quos in hoc ſuo opere adiutores habuit, nominatim laudare voluit, ſed media incedens via contra errores ſcribit, ac perſonis parcit, atque è ſcriptoribus, quos illis videre contigit, quæ in rem ſuam facere putabat, ſine eorum ſingulari denominatione nō

iniurius excerpit, partim quod iuris publici sunt scripta omnia in lucem edita, partim quod notiones quæ in his continentur maxima ex parte non sunt ipsis scriptoribus propriæ, sed & multis communes anticipatæ tantum ab iis qui priores scripserunt, in quibus alioqui vel mediocri ingenio præditus, si ante fuisset, ipsos anticipatores præuenisset: indicio certe est quod multi ex nostri temporis hominibus idem de eadem re sentiunt & scribunt, cum notæ melioris antiquis, quorum scripta illi nunquam oculis inspexerunt, prout ex.

perientia quotidiana ſatis docet, exempla ſingularia in mediū adferre non opus eſt cū de re ipſa conſtet. Porro ſcriptor hic quem in manibus habes ſequeſtrato omnium partium ſtudio ſincere ita ſententiam ſuam proponit, vt nulli ſectæ, nulli αιρεσει, nulli factioni addictum, prout nudæ veritatis alumnum decet, eum pro certo inuenias. Tu candide Lector, labore hoc hominis vtilitatis tuæ maxime ſtudioſi libenter fruere, donec aliquid melius, vel per te ipſum, vel per alium fæliciter tibi obueniat. Interim ſi quid eſt in hoc ſcripto quod tibi

minus arrideat, quum ſit ci-
tra tibi diſplicendi animum
à veritate ſtudioſo ingenue
prolatum, æquus ferto.
Viue & vale.



INDEX CAPITVM ET SECTIONVM totius Operis.

ē

In tertia excutitur opinio, qua asseritur animam hominis esse particulam diuinæ essētiæ à pag. 38. ad 56. vbi varia de imagine Dei in homine.

In quarta docetur animam hominis non esse accidens à pag. 57. ad 69.

In quinta disputatur contra corporeitatem animæ nostræ à pag. 70. ad 91. vbi de duplici tactu apud Philosophos, de penetratione dimēsionum, necnon obiter loca aliquot sacræ paginæ laudantur.

In sexta ostenditur animam hominis esse naturæ longè dißimilis ab anima belluina, à pag. 92. ad 121. vbi quædam de appetitibus, de cognoscendis modis, etiam textus quidam scripturæ adducuntur.

In septima, proponitur animæ nostræ definitio, & ex parte exponitur à pag. 122. ad 130. vbi de precibus in primitiua Ecclesia fieri solitis pro defunctis.

In octaua, definitionis animæ reliqua declarantur à pag. 131. ad 159. vbi de transmutatione corporis humani in corpus belluinum arte diabolica: ibidem docetur quo sensu Nebuchadnezer dicatur mutatus in belluam, etiam de monstris nonnulla, insuper non eße plures animas, sed vnicam in vno corpore.

Caput tertium

Sectiones habet triginta. In prima proponuntur facultates animæ humanæ in genere à pag.160.ad 166.

In *secunda facultas vitalis enarratur à pag.167.ad 176. vbi de variis vitæ acceptionibus.* Item *de calido & humido vitalis facultatis instrumento primario.*

In tertia explicatur facultas motrix, item potestates ei inseruientes, puta attractrix, retentrix, concoctrix, expultrix, à pag. 177.ad 181. vbi de instrumentis & obiectis harum potestatum.

In quarta explicatur auctrix facultas pag. 182. 183

In quinta agitur de procreatrice, pag.184. 185. 186.

In *sexta definitur sensus in genere, à pag. 187. ad 191. vbi de obiecto sensus generali.*

In septima habetur generalis diuisio sensus pag. 192. 193. vbi de sensu externo in genere, & eius species recitantur.

In octaua explicatur tactus à pag.194. ad 197. vbi de obiectis tactus.

In *nona definitur gustus.pag.198.199.*

In *decima agitur de olfactu pag.* 200. 201. 202. 203. *vbi explicatur ratio cur ex sensibus externis quidam habent bina organa.*

Caput quartum

Continet sectiones quinque.

Caput quintum

Habet sectiones tres.

te necne. à pag. 481. ad 488.

Caput sextum

Continet sectiones quatuor.

Sectione prima agitur de morte in genere eiusque speciebus à p. 489. ad 503.

In secunda, proponuntur argumenta primaria eorum qui animam humanam morti adiudicant & proposita diluuntur. a pag. 5(0)5. ad 528.

In tertia demonstrationes inuictæ proponuntur pro immortalitate animæ humanæ. a p. 528. ad 548.

In quarta testimonia pro ἀθανασίᾳ animæ laudantur. a p. 548. ad. 576.

Caput septimum.

Continet sectiones quinque.

Sectione prima, multa dicuntur de statu animæ extra corpus, vbi quæritur num absque peccato homo fuißet mortuus, necne vbi quæritur, num separatio animæ a corpore suo sit contra naturam necne. a pag. 576. ad 586. inclusiuè.

In secunda disputatur contra Pannychitas & contra μετοίκησις, & docetur, quo migrat anima discedens a corpore suo. a p. 587 ad 603.

In tertia tractatur de modo, quo agunt animæ separatæ, nominatim de modo, quo

cognoscunt. a p. 603. ad 620.

In quarta variæ quæstiones proponuntur & iis respondetur, necnon de resurrectione agitur. a p. 620. ad 629.

In quinta, tota doctrina huius operis probata ex principiis philosophiæ esse consona sacræ paginæ docetur.



IN HISTORIAM ANIMÆ HVMANÆ.

PRÆFATIO.

LVculenter docent ſapientiæ magiſtri eſſe duo, qui bus, ſi addicis animum, contemnens ea, queis plerique omnes tam auide inhiant, ad Deum quam proxime accedas.

Quibus modis homo ad Deum accedit, secundum ſapientes.

Hæc duo, ſunt contemplatio & actio, vere ſapientis vera munia.

Contemplatio & actio ſapientum munia.

Iam ſub appellationẽ contemplationis non venire volo futilem nugacium hominum otio ſuo abutentium ſpeculationem, multo minus melancholia delirantium imaginationem: ſed ſub nomine contemplationis nunc eas intelli-

Qualis contemplatio ſapientum.

go meditationes, quæ verum hominem verè ſapiunt, ac propter quas homo primariò conditus eſt, hæ à nobis ad tria capita ſummatim referentur.

Obiecta contemplationis ſapientum primaria & illius diſtinctio triplex ab obiectis.

Quorum primum eſt, vt ante res omnes Deum mediteris, quemadmodum eſt in ſeſe, trinus vnus παντοδύνατος, πάνσοφος καὶ πανάγαθος, quippe qui ſolus vere eſt, in quo, & à quo omnia habẽt, vt ſint hoc quodcũque ſunt. Sed cũ perfectiſſimis creaturarum, multò minus homini in hanc miſeram inſcitiam (ſuá culpá) delapſo impoſſibile ſit Deum, vti eſt, comprehendere, qui infinitus eſt; Deus ipſe, pro ſua in hominem beneuolentia, imbecillitati huic noſtræ mirificè opitulatus eſt, auxilio ſcilicet lucis ſuæ ſupercœleſtis, in verbo ſuo, primũ cœlitus voce viua tradito, nunc à multis retro ſæculis ſcripto, vbi, quomodo & quid de ipſo meditandum nobis ſit, planè reuelauit, & clarè oſtendit. Hinc illud, *de Deo ab homine in hac miſeriá vix quicquam ſciri poteſt niſi quod ſit*: diuina enim nobis nonniſi tenuiter patent: excipe ea quæ ex ſacris Libris hauſimus.

Itaque nos non ſecundum cerebri noſtri ſomnia; ſed ex verbi ſui præſcripto, cui optimè vera (vt ancilla Dominæ) inſeruit Philoſophia, Deum contemplari debemus.

Deinde ſpeculabere Deum in Creaturis, nam in iis per potentiæ, ſapientiæ & bonitatis effecta, quotidiè vel brutiſſimo ſe notum facit: quin etiam in creaturis te ipſum diſperſum reperias licet. verum cùm culpâ heu itidem noſtrâ & hic quoque parùm poſſimus, maximum à luce verbi Dei auxilium hac etiam in parte nobis ſuppeditatur, ad quod tanquam ad lydium lapidem omnis noſtra de Creaturis meditatio probanda eſt. Cæterùm Dei potentia in Creaturis apparet non tantum in illo, quod omnes ἐν ἀρχῇ ex nihilo crearit; ſed ea etiam καθ' ἡμαρ operibus multifariam diuerſis in rebus, vel maxime exiguis ſeſe obuiā dat: vnde vulgo dicimus, *in minimis Deus eſt magnus*, *& in omnibus naturæ numen*. Sapiētia autem Dei in Creaturis non tantùm ex gubernatione vniuerſi in genere elucet; ſed etiam res ſingulares quæque ad proprium finem eâ quaſi

Obiecta ſecundaria.

manu ducuntur, quamuis ſæpe (horrendum,) à pleriſque hominum ita malè excipiatur, vt ingrati ei occlament & iniurij inſultent.

Denique, bonitas Dei in Creaturis ſe notam nobis facit, nō modo quod erga omnes creaturas in vniuerſum bonus ſit Deus; ſed ſingularis Creatura quæque hanc Dei bonitatem erga ſeſe in ſtatu ſuo percipit, licet inter homines eiuſmodi monſtra reperiantur, qui hanc Die erga ſe bonitatem agnoſcere recuſent.

Tertia pars huius contēplationis & alius varia illuſtratio.

Tertium caput meditationum humanarum eſt, vt teipſum ſuper omnia poſt Deum contemplere, quippe qui omnia quodammodo & vicarius quidam Deus es: verum (eheu) culpa quoque noſtra mirum quàm hac in parte, prout in aliis cæcutimus. quare Deus noſtri hîc etiam benignè miſertus eſt: nam ſingularem ἐν τȣ́τῳ τῶ μέρει nobis opē fert; dum ſuper cæleſti luce verbi ſui, nos de nouo inſtruit. Vnde mente ex craſſioribus tenebris excitata, homo iam commode ϭὺν θεῶ κατ᾽ ἀληθῆ φιλοσοφίαν ſemet ipſum contemplari queat.

Verumenim vero cum homo creatu-

ras alias à ſeſe, diligenter conſiderat, in iis quidem potentiam, ſapientiam, bonitatem Dei infinitam clare elucere (vt iam diximus) perſpicit. Aſt, in ſe ipſo has Dei immenſas, vt ita dicam, qualitates, puta potentiam, ſapientiam, nec non bonitatem multo magis ſeſe manifeſtare, quam in omnibus aliis Creaturis, ſiue ſeorſim, ſiue ſimul ſumas, meritiſſimò agnoſcit. Hinc ex hiſtoria hominis bene intellectâ facilè peruenitur ad cognitionem aliarum rerum, & quo res ſunt propiores hominis naturæ, eo magis nobis innoteſcunt: homo enim in ſeipſo ea cuncta, quaſi in contractiori tabellâ, quæ, aliæ omnes habēt creaturæ, continet. Vnde & μικρόκοσμος dicitur, habet autem in ſeſe homo ea cuncta collecta, quæ in magno mundo per ſingulas creaturas diſperſa ſunt. Inde vocatur *abſoluti operis abſolutiſſimum compendium*. Vt Deus eſt omnia, non ſolum quod omnia ipſe intelligat; ſed quia omnia in ſeſe continet; idque meliori notâ quam ſint in ſeipſis. Sic homo Deum referens, & ſecundarius quodammodo Deus, non ſolum alias creaturas

intelligit (licet minus nunc exactè) verum etiam in sese rerum omnium naturas, inferiores vero res meliori conditione quam sunt in seipsis, sed superiores paulò degenerantes continet. Item vt Deus est omnium rerum principium; sic homo omnium rerum medium: inde naturali inclinatione homo amatur ab omnibus creaturis; nimirum cum omnes creaturæ in homine aliquid de suo, imo se totas & sua omnia agnoscunt; licet per peccatum ea inimica homini facta sint, quæ alioqui ex naturæ præscripto illi fauebant. huc pertinet illud quod ὁ δεῖνα ex antiquis sapientiæ studiosis naturam humanam perpendēs, *nihil in mundo esse magnum præter vnicum hominem* dicere non erubuit. Nec quidem immerito. nam primum, si mētis oculos ad hominis creationem aduertere libet, eam peculiari & multo excellentiori modo quàm aliarum creaturarum (de quarum creatione legimus) expeditam inuenies. Si quidem conditor vniuersi cum alias creaturas produceret, tantùm dicere habuit, fiant, & factæ sunt; hominem vero conditurus

tanquam maius opus moliens hâc nouâ loquutione vti æquum censuit, *faciamus hominem*, atqui non temerè, nec quod consultatione egeret, illę secũ consilium iniuit. Ast vt hominem singulari consilio factum, nobis notum faceret; haud certè indictâ causâ, cum corporis humani fabrica præ aliis omnibus corporibus tanto artificio elaborata sit; imo præ ipso cœlo; quamuis cœlũ ante alia corpora habeat prærogatiuã simplicitatis, loci & officij; corpus tamen humanũ multo operosius est; ita vt veteres in sui admirationem trahens corpus humanũ esse vnicum naturæ miraculum φυσέως ἄγαλμα cum stupore clamare adegerit.

Quod vero ad hominis animam attinet, ea adeò excellenti naturâ est prædita, vt statim post Angelos ad Dei naturam quàm proximè accedat. deinde si hominem tali corpore & tali anima constantem intueri libet, illum non solum reliquis creaturis multis modis prælatum; sed & earũ finem hominẽ constitutũ, inuenies. *Omnia enim propter hominẽ*, quin etiã Deus vt priora in hominem

collata beneficia acceſſione nouâ cumularet, ſeſe ipſum vnicum & immediatum hominis finem eſſe voluit. Sed ne hic potentiam, ſapientiam & bonitatem ſuam erga hominem pro ſuâ in eum φιλανθρωπίᾳ Deus declarare ſubſtitit: nam hominem ſponte ſua ex præexcellentis dignitatis & integritatis ſtatu in miſerrimã & omnium infimam conditionem delapſum benigne atque gratis reſtituit, (Quod Angelis facere noluit) ac vt illud illuſtrius perficeret, ſeipſum homini ἄνευ ἁμαρτίας per omnia ſimilẽ facere dignatus eſt, ac ita de priori ex duobus, cui alũnum ſapientiæ appellere animum diximus, ideſt de contemplatione, ſummatim & in genere pro inſtituto præſenti dictum eſto. Sequitur ſecundum puta actio, de qua paucis itidem dicemus hoc pacto.

Secunda via ſapientum quâ hominẽ ſup Deum ſurgunt & eius illuſtratio in ſua capita diſtincta.

Sub nomine actionis non nunc veniunt operationes homini inferioribus cum creaturis communes, cuiuſmodi ſunt, edere, bibere, dormire &c. quæ (proh dolor) à nobis ſæpe numero ita inordinate fiunt, vt miſella hæc vita plurimum iis rebus lædatur, à quibus ex

naturæ præſcripto maxime iuuari deberet; ſed ſub nomine actionis, tu nunc eas intellige operationes, quæ homini magis ſunt propriæ propter quas viuimus, ſaltem præcipue viuere debemus: eæ non incommode ad tria itidem capita ſummatim referri poſſunt.

Primum caput in eo eſt, vt Deum ſuper omnia ſuperque teipſum ames. Cum ſit in ſeſe maxime amabilis: quippe qui pulcherrimus, tibique magis intimus, quàm tumet tibi: quod ſi Deum ita vt teneris amas, eum religioſe coles, non quidem ex ingenii humani figmentis; ſed ſecundum legem ſuam ipſius, quam non ſolum cordi πρώτοπλάστȣ primitus inſcripſit: ſed & ei in mandatis dedit, quamque etiam temporibus ſequentibus πολλυμερῶς καὶ πολλυτρόπως per homines ſanctos inculcans edocuit, nouiſſime autem ἐν υἱῷ loquens eam penitus manifeſtam fecit. Actionũ 1. caput cum expoſitione varia.

Alterum actionum humanarum caput in hoc conſiſtit, vt poſt Deum ante omnia teipſum diligas: ſiquidem æquum eſt te tibi eſſe imprimis 2. caput actionum cum varia illuſtratione.

charum, qui Deo sis adeo charus; cumque tibi magis vnus & intimus quam aliis sis. Quod si teipsum, ita vti conuenit, diligis, non tantum animæ tuæ, vt partis tui nobilioris, ac proinde maiori cum diligentia curandæ satages; sed & corpus tuum quamuis partem tui ignobiliorem secundum regulam rectæ rationis curans fouebis; cum ex hoc, vt ex ista constitutus sis.

3. caput actionum, & earum declaratio varia.

Tertium caput actionum humanarum in hoc est, vt post te ipsum omnibus creaturis beneuolus sis, ante alias vero omnes fratri siue proximo tuo; quem vt te ipsum charum habebis, non tantum quod eandem tecum naturam sortitus est: sed etiam quia ei vnum in Deo es: ac hoc non solum respectu creationis & gubernationis, sic enim vnum omnibus aliis creaturis es; verum speciatim quia eiusdem promissionis in Christo tecum particeps est. Quod si fratrem vti decet charum habes, non tantum ei nulla ratione nociturus es: sed etiam iis bonis, quæ author omnium bonorum pro sua erga te εὐδοκίᾳ benigne tibi elargitus est, si-

ue ea fuerint animæ, siue corporis, siue fortunæ: eum quam alacri animo, & sine mora iuuare paratus eris: ac vt verbo dicam, talem te fratri tuo præbeas, conuenit, qualem eum erga te fore, si tu esses in illius loco, vel ille esset in tuo, ex æquo optes. Ex hisce tribus vniuersa constant charitatis officia: & hisce tribus actionum generibus inuigilare sedulo decet. Nam qui Deum amat, necessariò seipsum diligit: ac qui ita sibi ipsi est amicus, procul omni dubio ei proximus est percharus: verum hæc de his in præsentia sufficiant. Itaque nos ad id quod in hoc opere tractare proposuimus, id est ad animæ nostræ contemplationem, stilum conuertamus: animæ enim humanæ historiam hoc in opere sub auspiciis Patris animarum explicate pro tenuitate nostra enarrare laborabimus.



SECTIO PRIMA,

IN QVA DE VTILITATE ET NECESSITATE INQVIRENDI in naturam animæ nostræ.

CAPVT I.



Mnibus iis quæ paulo sapientiores ab omni æuo habiti sunt, animæ nostræ contemplatio longe dignissima semper visa est: & hoc non tantum quod creaturæ principis pars princeps siet, propter eam enim præcipue homines audimus, hinc eius respectu antiquissimis Græcis homo φῶς dictus est, nam anima rationalis in homine est lux quædam, provt docet Euangelistarum Aquila cõmate 5. capitis primi Euangelii sui, & certe animæ aliorum viuentium cum ea comparatæ, meræ tenebræ sunt. Item vt lu-

Huius historiæ dignitas suis distincta rationibus, & expositionibus.

men in perſpicuo à ſole accenditur; ſic animus humanus à Deo peculiariter accẽditur, quod & innuit prædictus Euangeliſta his verbis, καὶ ἡ ζωὴ ἦν τὸ φῶς τῶν ἀνθρώπων, commate 4. capitis primi, quin etiam vt lumen colore efficit de poteſtate viſibilibus actu res viſibiles educta eorum ſpecie viſibili, idque nullius corporei organi miniſterio; ſic intellectus humanus de potentia intelligibilibus reddit res actu intelligibiles, educta ex illis ſpecie, quod notes citra vſum inſtrumenti corporei. Imo quod in ſeſe res præſtantiſſima ſit anima noſtra, eius contemplatio eſt longe digniſſima. Poſt enim Angelos eam eſſe creaturam longe excellentiſſimam certo certius conſtat. Item anima humana eſt finis & perfectio omnium rerum naturalium. Quare magno ſtudio in eius naturam debemus inquirere, & tanto diligentius, quãto res eſt in ſeſe iucunda, licet difficilis. Deinde, ſtultum videtur, vt homo tam auide aliarum rerum cognitionem affectet, ſi ipſum neſcit. Qui enim ſeſe ignorat aliarum rerum menſuram ſcire exacte nequit. Imo quamuis cæterarum rerũ cognitionem vtcumq; habere poſſit, non tamen apud ſeſe eſt, ſi ſui ipſius ignarus eſt, ſed foris & alibi dominamque peregrinam & procul, ciuem agens inſtar Lamiæ quam Poetæ fixerunt doni cæcam & foris perſpicue videntẽ hinc illud ad omnia vtile eſt, noſſe eam quâ ſapimus, vt ineptum eſt ignorare eam per quam plura co-

Eiuſdem iucunditas & neceſſitas cum illuſtrationibus.

gnoſcimus: itaque omnino male faciunt, qui cognitionis animæ ſuæ curam negligunt, & aliarum rerum ſe callentes reddunt: propterea qui animam ſuam & ſeipſum neſcit, non poteſt, quin in Deum creatorem ſuum ingratus ſit. Ignarus enim bonorum quæ à Deo tam munificè, præſertim in anima quotidie accipit, de iis ei gratias agere nequit. Item qui ſeſe neſcit euitare non poteſt, quin ſorti ſuæ inimicus ſit; cum ignoret, in qua vniuerſi parte à ſummo ταξιάρχῃ locatus ſit. Inſuper qui ſeſe non nouit, proximo ſibi ſimili amicus eſſe nequit: qui enim alium ſibi ſimilem amare poteſt; qui ſeipſum non diligit; ſeſe autem tantum diligere poteſt is, qui ſeipſum videt, & ſeipſum nouit, iuxta illud vulgatum ἐκ τοῦ ὁρᾶν τὸ ἐρᾶν. Denique exacta noſtrimet cognitio ad Dei cognitionem nos quaſi manu ducit. Hinc, iſtud, qui Deum noſſe vult, ſeipſum prius nouerit oportet. Iuſta ergo de cauſa antiquitus dictum fuit, qui ſeſe neſcit fruſtra eſt, quamuis alia noſcat. Item nulli ſunt, qui multa ſciunt, ſi ſeipſos neſciunt, & qui alios inſpiciunt, ſi ſeipſos deſerunt, quin etiam longe prius ab oraculo inculcatum fuit γνῶθι σεαυτὸν & quod omnia ſuperat ab ore ipſius ſapientiæ & veritatis, in noſmet ipſos redire, & quanta bona animæ noſtræ fecerit Deus, intueri iubemur: qui autem homini mandat, vt ſeipſum cognoſcat; imperare videtur, vt imprimis animam partem ſui præcipuam

Vtilitates variæ.

noſcat, & qua ratione quæſo, poſſit quis ſeipſum melius cognoſcere, quam cognoſcendo animæ ſuæ naturam, quæ diuina & nobilis omnino eſt, atque vnde primum profecta & quo olim migratura ſit, his nos moti argumẽtis, contemplationem animæ humanæ homini non ſolum apprimè vtilem, ſed & omnino neceſſariam eſſe duximus. Itaque in hoc qualicumque opuſculo duce DEO propoſuimus contemplari animam noſtram, cuius hiſtoriam ſermone quam fieri poſſit pauco ac methodo pro modulo noſtro facili ſub datoris animarum fauore explicatam dare nitemur. Faxit ſumme Deus, vt quidquid ſit huius opellæ, in nominis tui gloriam, in Eccleſiæ Chriſtianæ emolumentum, ac Reipublicæ literariæ commodum cedat.

SECTIO SECVNDA.

In qua ſumma rerum capita quæ in hoc opere tractantur, propoſita ſunt.

Huius hiſtoriæ diſtributio & dicendorum capita.

VErum ea quæ in ſequentibus de anima humana dicturi ſumus, ad hæc capita non incommode reducemus.

Patris 1. ſubiectum.

Primo loco, nobis ſermo erit de nomine ipſius animæ humanæ: nam niſi certo conſtet de nomine fruſtra ſequens inſtituetur diſputatio.

Secun-

Secundo, videbimus, quid sit anima humana. Enucleationem enim nominis definitio essentiæ merito sequi debet. Partis 2. suiectum.

Tertio de nomine & essentia animæ nostræ iam certi, de facultatibus, quæ ab essentia eius oriuntur, dicemus. Partis 3. subiectum.

Quarto, de origine animæ nostræ disputabimus, postquam de nomine, essentia & facultatibus eius constat. Partis 4. subiectum.

Quinto, nomen, essentiam, facultates & originem animæ hominis ex superioribus edocti, sedem eius inuestigabimus. Partis 5. intentum.

Sexto, cum animam humanam solutione compositi à sede sua dimoueri videamus, quid ei ex hac solutione eueniat, demonstrare operam dabimus. Partis 6. argumentũ.

Septimo, qui sit status animæ hominis iam à vinculis corporis liberatæ perspicuis rationibus aperire nitemur. Hęc sunt summa capita eorum, quæ fauente numine tractare nunc temporis suscipimus. Cæterum quæ hîc de anima nostra dicemus, propius ad perfectam pietatem quam vulgo philosophantium opiniones accessura sunt. Nunc ad 1. c. Partis 7. materia.

SECTIO TERTIA.

In qua nomina animæ humanæ explicantur, eorumque rationes redduntur.

IDem accidit animæ humanæ in sua denominatione, quod aliis rebus vsu venire

ſolet, quæ à ſenſibus noſtris paulo remotiores, ac proinde nobis non ita bene notæ ſunt, vt iis apte dare nomina poſſimus : quare quod proximũ eſt illis ab effecto aliquo inſigniori appellationes aſſignamus, vel indigitamenta à rebus quæ illarum maxime affines ſunt, mutuo accipimus, iiſque accommodamus : quod exempto clarius patebit, v. g. cũ eum à quo omnia, cuius nomen, puta *Iehouah*, Iſraclitis priuatim innotuit, nominaré ſolemus, modo ab effectis, creatorem dicimus, quod cuncta creauerit : modo θεὸν Deum nuncupamus, quod cuncta θεᾷ, vel videt, modo κύριον dominum appellamus, quod omnibus κυριεύει, ſiue dominatur; modo regem appellamus, quod omnia regat; modo numen vocamus, quod cuncta nutu faciat, modo patrem indigitamus, quod talem erga nos creaturas ipſius præbeat, qualis eſt bonus pater erga filios, quandoque eſſentiam eius ſimpliciſſimam & puriſſimã nobis ipſis : eheu quam ignaris ſaltem vtcũque planam facere cupientes, illum vocamus ſpiritum nomine certe illius ſubſtantiæ, quæ omnium minime compoſitionis & impuritatis eſt particeps : pari ratione animã humanã de qua hic nobis eſt ſermo, ab effectis nunc vocamus μορφὴν ὀυσιώδη, formam eſſentialem, videlicet hominis, quia dat eſſe compoſito, puta homini, modo actum primum πρώτην ἐνέργειαν hominis, primo quod meteriam vel corpus humanum excellenter

Animæ humanæ denominationes & vnde ſumantur cum ſuis declarationibus.

actuet; deinde quod ſecundos actus δευτέρας ἐνεργείας, id eſt, operationes producat, nunc ἐτελέχιαν πρωτὴν hominis, non ſolum, quod in ſe perfecta ſeu perfectihabia ſit, vt olim hanc vocem interpretabantur; ſed quod ſit perfectifica (neminem offendat noua vocis compoſitio) nos enim hic verſamur in theatro ſapientiæ, non in foro Romano) nam corpus humanum perficit, ſiue perfectum facit. Ἐντελέχης, vt hoc obiter, vnde ἐτελέχεια eſt, perfectionẽ in ſe ſe habens: eſt enim quaſi ἐν ἑαυτῷ τέλος ἔχων, hinc ἐντελέχεια, latine reddita fuit perfectihabia: male ergo à nonnullis pro ἐντελέχεια vſurpatur ἐνδελέχεια: nam poſteriori voce, nihil aliud quam continuatio denotatur; ἐνδελέχης, vnde ἐνδελέχεια eſt cõtinuus, quod vel ex hoc trito conſtat κοιλαίνει πέτραν ῥανὶς ὕδατος ἐνδελεχείᾳ, hinc ἐνδελεχίζω continuo, vti eſt in illo Eccleſiaſtici ὁ ἀγαπῶν υἱὸν αὐτοῦ ἐνδελεχίζει μάστιγα αὐτῷ: nunc dicimus animam humanam νοῦν intellectum à νοεῖν intelligere, quod omnia intelligat & perfectiori modo cognoſcat, nunc mentem ab obſoleto meno, vnde memini, quod omnium rerum ideas in ſeſe præſentes habeat, aliquando naturam animæ noſtræ ſimplam & puram aliquatenus delineare nobis ipſis ad modum rudibus volentes, eam hominis ſpiritum, vel πνεῦμα vocitamus: hinc illud Poëtæ, *Dum ſpiritus hos reget artus*. Item illud Oratoris, *ad extremum ſpiritum prouecta illius prudentia*, & huc pertinet illud 2. Regum ca-

Virg. Æneid. 4.

Spiritus varia ſignificatio.

Tullius lib. de senectute.

pite 2. non erat amplius spiritus in ea &c. verba intelligenda sunt de regina Sabæ attonita super sapientia Salomonis, etiam phrasis illa scripturæ spiritus vitæ, nomine videlicet eius rei quæ proxime ad naturam animæ accedere videtur: nam τὸ spiritus primogenio significato denotat aërē, vnde illud, spiritus flat', quo vult, id est, aër: sed præsertim eũ aerem quo vescimur; vnde & nomen habet, spirare, à quo spiritus respondet τῷ σπαίρειν Græcorum, quod est σπᾶν αἔρα, & particulariter aërem cum magno conamine, id est, palpitare, sicut faciunt moribundi voce ἀσπαίρω, vtitur alicubi Homerus. Item halitus illi suaues & blandi generati ex subtilioribus partibus sanguinis quibus anima vtitur, tanquam organis proximis ad multa munia, dicũtur spiritus: hinc Chymistæ sumunt spiritus pro subtilioribus partibus corporis crassi à reliquo corpore ignis vi extractis. Deinde spiritus sumitur ordinarie pro omni substantia quæ non sit corpus, id est, substãtia incorporea, sic forma essentialis, cuiuscumque corporis naturalis sub appellationem spiritus venit, hinc particularius paulo pro forma essentiali viuentium spiritus cœpit sumi, hoc sensu forma essentialis plantæ, & forma essentialis belluæ spiritus dicuntur. Porro specialissime (provt in sequentibus huius opusculi sumemus) spiritus capitur pro substantia longe sublimiori; atque ita non tantum pro substantia nude corporeitatis experti, nimi-

Spiritus & forma vbi conueniunt vbi discrepant.

num pro forma eſſentiali corporis naturalis, viuentium, plantæ & belluæ, provt hactenus ſumi vocem docuimus: ſed pro tali inquam ſubſtantia, quæ non dependeat à corpore, & à fæce materiæ aliena, ac proinde pura & ſimplex ſit: hac mente vocamus Angelos, & animam humanam, ſpiritus, non vero animas aliorum viuentium, puta plantæ ac belluæ, ac multo minus formas naturales inanimatorum corporum, omnes enim hæ formæ, licet ſint incorporeæ, è materia tamen emergunt, in ea omnino ſunt & operantur, & in eam rurſus conduntur; ac proinde materiæ ita immerſæ ſunt, vt prorſus à corpore dependeant, tum quoad eſſe, tum quoad operari: quare non ita puræ nec ita ſimplices. Analogice Deus vocatur ſpiritus, vt ſupra declaratum eſt, nominatim tertia perſona ſiue hypoſtaſis in Sacroſancta Trinitate cum Epitheto πνεῦμα ἅγιον Græcis dicitur, & interdum πνεῦμα ζωτικόν. Denique τὸ ſpiritus denotat accidentia quæ fluunt à ſpiritu. Hinc in Actis Apoſtolorum ſpiritus ſumitur pro donis ſpiritus: ita in linguis vulgaribus nõnullis ſpiritus pro ingenio ſumi cœpit, quin etiã τὸ anima primogenie non denotat formam eſſentialem hominis, nam primario ſignificato notat aerem, iuxta illud Marci Tullii inter ignem & terram Deus aquam animamque locauit, & peculiariter aerem fluentem, vel flantem, id eſt ventum, ſiquidem venit ab ἄνεμος, hoc ab ἀνέω flo ἄνεμος

autem definitore Philoſopho ὐδὲν ἐστὶ πλὴν ἀὴρ πολὺς ῥέων ϗ ἄθερος ἐστὶς ἀ μα ϗ πνεῦμα λεγέται peculiariter anima notat, eum aerem quem ſpiramus: hinc illud Getæ ad Antiphonam in Phormione Terentiano *animam compreſsi*, id eſt, auram ſpirabilem. Hinc etiam Plautus in Aſinaria tetrum odorem auræ ſpirabilis vocat fœtorem animæ, his verbis, Phileni ad Demenitum, *Dic amabo an fœtet anima vxoris tua*: ideo forma interna hominis habet nomen ab ἀνέμος, quia eſt in continuo actu agitans corpus, alteram hominis partem, vti ἀνέμος, vel ventus eſt in perpetuo motu ciens reliquum aerem, nec τὸ ψυχὴ Græcorum primario ſignificat nobiliorem partem hominis: nã primitus denotabat aerem, quem haurimus ad refrigerium cordis primarii animæ noſtræ, inſtrumẽti: deſcẽdit enim à ψύχω refrigero, vt autẽ cor rite inſeruiat animæ, ei aer moderate frigidus neceſſario requiritur: quare per conſequentiã ψυχὴ denotat aerem illò frigidum, & lapſu temporis, pro ipſa anima ſumi cœpit. Primum à rudioribus, deinde à doctioribus in hoc ſecũdario ſignificato τὸ ψυχὴ vſurpatũ eſt: quia vox aptior ad manum non fuit. Cæterum licet anima vel ψυχὴ dicantur præcipue de forma hominis ſpecfica: primi tamen nominum impoſitores appellationem animæ & ψυχῆς ob defectum vocabulorum formis eſſentialibus plantæ & belluæ etiam attribuere coacti ſunt: verum certa cum limitatione

6. denominatio.

eaque desumpta à primario & vltimo formæ essentialis cuiusque effecto: ita forma essentialis plantæ dicitur anima vegetatiua à vegetando, præcipuo nimirum & vltimo plantæ effecto. Item forma specifica belluæ dicitur anima sensitiua à sensu qui est primarium & vltimum animæ belluinæ effectum; ita forma interna hominis dicitur anima rationalis siue intellectualis ab vltimo & nobilissimo illius effecto, puta intellectu vel ratione, de qua inferius disputabimus.

Nota obiter hanc appellationis cõmunionẽ, quæ est inter formam specificam hominis & formas specificas aliorum viuentium nihil facere, ad identitatem naturarum, nam multa gaudent eodem nomine quæ diuersissimas habent naturas; vnde & ἁπλῶς homonyma nuncupantur: v.g. signum in cœlo, piscis in mari sub communem appellationem canis veniunt; quas res tamen nemo est qui inficias iturus sit, esse naturarum longe diuersarum. Nota.

Hoc in loco non prætereunda videtur illa vulgaris distinctio animæ & animi; vulgo enim anima sumitur pro essentiali vel specifica forma ipsa hominis corpus animante: animus autem pro effecto eoque secundario promanante ab ea forma, vnde illud, *Anima viuimus, animo sapimus*. Item illud, *Animus est consilij, anima vitæ*. Necnon illud, animantibus aliis animam tantum indulsit Deus, nobis quoque animum concessit,

Porro, ſpiritus Latinorum & πνεῦμα Græcorum, Hebræis eſt רוח *Ruah*. Item quod Latinis anima dicitur, Græcis ψυχὴ, Hebræi נפש *Nephesch* vocant: deniq; quod Latini intellectum, Græci νοῦν, Hebræi נשמה *Neſhamah*, nuncupant, à voce שמים *shamami* cæli, quia anima humana quæ dicitur intellect⁹, & νοῦς ex omnib⁹ rebus quæ hic in terris degunt, eſt maxime cœleſtis & diuina res; habet enim naturā maxime cæleſtem & diuinā, originē è cælo, id eſt, ab ipſo Deo, immediate trahit; operationes etiam in corpore maxime diuinas edit, & olim ad cælos, id eſt, ad Deum, vnde profecta erat, reditura eſt; vbi in æternum manebit. Atque hæc de appellatione animæ humanæ in præſens ſatis ſunto.

Denominationes aliæ iuxta præcipuas linguas.

SECTIO PRIMA.

In qua difficultas cognoſcendi animam noſtram oſtenditur, & quinque inſignes errores circa naturam animæ noſtræ ſummatim proponuntur.

CAPVT SECVNDVM.

Tranſitio methodus & rationes.

EXplicatis vtcumque communioribus animæ noſtræ appellationibus ſecundum ordinem noſtrum; Proxime ſequitur, vt ad declarationem ipſius eſſentiæ veniamus, rem

ſane in ſeſe arduam :nam, vt aiebat ille, anima noſtra licet nobis adſit & loquatur nobiſcum, tamen inter iſta neſcitur. Itaque multis multorum philoſophantium variantibus opinionibus agitata, magnaque cum contenttone tractata, nec non dubiis infinitis intricata hactenus fuit: neque id mirum: nam anima hominis nobis cognitu difficillima eſt, provt ſunt ea entia quæ à ſenſibus noſtris craſſioribus ſunt remota, qualia ſunt Angelus, Deus, anima humana, hinc antiquitus dictũ fuit, tria eſſe inmundo, quorũ eſſentiæ cognitio latet homine s:puta *Deum* ob infinitatem ſuam & diſtantiam à noſtro rudi cognoſcẽdi modo, *Angelũ & animam humanam*, quæ quamuis finitam habeant eſſentiam, tamen eorum eſſentiæ ad vnguem exacta cognitio ob ſubtilitatem & puritatem nos rudes & craſſos homunciones fugit. Interim tamen bonam & veram horum omnium notitiam, licet non abſolutiſſimam habere poſſumus; primum enim Deus in verbo ſuo nos multa de ſe ipſo, de Angelo & de anima noſtra perſpicue edocet. Deinde ex operibus Deus nobis plane ſe notũ facit, & ex operationibus etiam Angelus & anima noſtra nobis optime innoteſcunt :ſed nos in præſentia omiſſo de Deo & Angelo longiori ſermone ad inquiſitionem veræ naturæ humanæ veniamus:verum hic ſtatim in initio occurrunt errores; in quos impegerunt non pauci ex iis, qui olim & nuper

aliquid de animæ nostræ natura scriptis mandarunt, hos errores antequam vltra procedamus prius breuiter proponere, deinde singulatim remouere, prorsus necessarium esse diximus.

Designatio errorum circa essentiam animæ & deponendam cum suis censuris.

Varie autem à variis circa explicationem naturæ animæ nostræ erratum esse inuenio, in vniuersũ vero circa animæ nostræ naturã quinque insignes errores reperio: quod ad reliquos attinet, si qui sint, minoris certe notæ sunt, & ad hos quinque primarios facile reduci possunt. Itaque nos reliquarum futilium opinionum chimeras spernere hic potius, quam in his refellendis tempus frustra terere, merito statuimus: præsertim cum stultas pertinacias persequi parum ad adipiscendum sapientiam, conducere sciamus.

Erroris primi defectio breuis.

Primus ergo insignis error circa definitionem animæ humanæ est eorum, qui animam humanam esse merum non ens, & prorsus nihil stulte omnino asserere ausi sunt.

Erroris 2. confutatio summaria.

Secundus error est eorum, qui fugientes Scyllam in quam offenderant prioris erroris authores, in Charybdim æque periculosam inciderunt. Hi enim contra male sanam prædictorum opinionem non tantum animæ nostræ entitatem concesserunt, sed etiam (si Diis placet) eam diuinæ essentiæ particulam esse statuerunt.

Breuis tertii erroris examinatio.

Tertii considerantes incommoda, quæ ex duobus præfatis erroribus sequuntur moderatius, paulo philosophari cœperunt, ani-

mamque humanam esse finitum quid, vere asseruerunt, id est, rem vel creaturam: cuncta enim creata, res conuenienti appellatione vocitari solent, cum ῥήσει creatoris factæ sunt: sed qualis res esset anima humana male docuerunt: nunc vt hæc quæstio melius intelligatur, sciendum est res prima diuisione diuidi in duo summa genera: res prioris generis dicuntur Latinis substantiæ, quod rebus aliis substent, vel subsistentiæ, quod per sese sine ope aliarum rerum subsistant, Græcis κατ᾽ ἐξοχὴν dicuntur οὐσίαι, quia primario, οὖσι, vel sunt res secũdi generis, latine vocãtur accidẽtia Græce συμβεβηκότα, eadẽ certe de ratione, quia accidunt, & συμβαίνουσι substantiis à quibus in totum dependent, & in quibus sunt, extraque quas omnino existere nequeunt. *Accidentis enim esse est in esse substantiæ.* Iam boni patroni huiusce tertii erroris volunt animam humanam esse rem secundi generis entium, id est, accidens: verum cum accidens multifariam dicatur, quale accidens animam humanam esse opinantur, paulo inferius videbimus, vbi de tertio hoc errore fusius agemus.

Quarti erroris assertores omnium præcedentium absurdas & falsas opiniones de animæ nostræ essentia respuentes, decernunt quidem animam humanam esse rem primi generis, id est substantiam: verum cum sustantiæ sint dũæ species primariæ, puta corporea, & incorporea, prior vnica voce dici- 4. erroris descriptio.

tur corpus, & est subiectum crassiorum accidentium, vt sunt quantitas continua, vel magnitudo, figura, patibiles qualitates &c. Incorporea autem substantia est subiectum subtiliorum accidentium, qualia sunt quantitas discreta vel numerus, qualitates quæ vocantur habitus &c. Nunc sciendum est quarti huius erroris propugnatores statuere animam esse corpus quam vere mox suo loco videbimus.

5. erroris consideratio.

Quintus error est eorum qui reiectis omnium antecedentium delirantibus opinionibus vltro agnoscunt animam humanam habere essentiam, eamque finitam, & per se subsistentem, aliisque substantem, atque etiam corporeitatis expertẽ vltro concedũt; sed dum eam esse volunt eiusmodi substantiam incorpoream, quæ materialis dici consueuit, turpiter errant, quod negotium vt melius intelligatur, hoc in loco non prætereundum est docere, substantiæ incorporeæ duas esse species, quarum prior dicitur materialis, quod è materia emergat, & in eam se rursus recipiat, ac ita à materia prorsus dependeat, sine qua nec potest esse, nec operari, huius speciei sunt formæ corporum inanimorum. Item animæ plantarum, & animæ belluarum &c. Secunda species substantiæ incorporeæ dicitur substantia incorporea materialis, quæ non emergit è materia, nec in eam se recipit, neque dependet omnimoda dependentia à materia, nec quoad esse, nec quo ad operari,

vt prior illa, ſed ſine materia & poteſt eſſe & operari, prout foris ἐξωθεν ab ea originem capit, licet forte vniatur corpori certo ad id actuandum & regendum, huiuſce ſecundæ ſpeciei eſt non tantum Angelus, ſed & anima humana, vti nos contra patronos huiuſce quinti erroris, qui aiunt animam humanam eſſe per omnia ſimilem animæ belluinæ, id eſt, eſſe ſubſtantiam incorpoream materialem, Deo duce inferius clare demonſtrabimus: atqui hi ſunt errores præcipui, circa denitionem animæ humanæ, quos Deo dante ſingulatim, & eo ordine quo propoſiti ſunt, ſolidis argumentis confutabimus, & poſt ea veram ac genuinam animæ noſtræ definitionem dabimus.

SECTIO SECVNDA.

In qua primus inſignis error circa naturã animæ humanæ excutitur, & veritas contra eum aſſeritur.

PRimo ad primum errorem, quem errant hi, vt ſupra dicebamus, qui animam humanam eſſe purum putum, non ens, & omnino nihil abſurde, & ſtolide, hoc ducti præcipue argumento, autumant: nihil, inquiunt, illi dicendum eſt habere eſſentiam vel eſſe, niſi id, quod cadit ſub ſenſum nomi- Obiectio.

natim ſub viſum, hinc nonnullus ex hiſce bo-
Reſponſio. nis Philoſophis, parum abfuit quin dicerem Philaſophis, dicere ſolebat *Hominem noui eſſe, ſed animam non video.* Incauti non percipiunt hoc pacto ſe concedere entitatem tantum pauculis admodum accidentibus, iiſque craſſioribus, quæ ſcilicet veſtiunt paucula corpora ſingularia, cuiuſmodi accidentia ſunt magnitudo &c. nam hæc ſolum cadunt ſub viſum, atque ita priuant entitate ſua maximam partem excellentiorum entium, vt ſunt primo loco, nobiliſſima ex accidentibus, nimirum habitus, potentiæ naturales, quæ à nemine dici poſſunt obiacere ſenſibus, cum tantum per effecta nobis innoteſcunt: deinde ſunt ſubſtantiæ ipſæ, eæque non tantum incorporeæ, tum materiales, tum immateriales (nam de iis forte dubitent aduerſarii) ſed & corporeæ ſiue corpora, eaque non ſolum tenuiora, minuſque denſa, qualia ſunt aër ſubtilis, ignis elementaris, ſubtiliores partes ſanguinis, quas à medicis ob tenuitatem & exilitatem partium vocari ſpiritus ſupra dicebamus, &c. ſed ipſa corpora craſſior ſubiecta viſibilium accidentium non videntur: ſunt enim accidentia, quæ ſenſui ſubiiciuntur, non autem ſubſtantiæ ipſæ. Denique illud ens à quo omnia habent, vt entia dicantur, id eſt, ὄν ὄντων, intellige Deum; nam quis quæſo eſt, qui Deum ipſum, vel diuinam eſſentiam cadere ſub ſenſum aſſere-

re audeat, cum vix mente apprehendatur: verùm hic video aduersários dicentes, licet pie credamus Deum esse & spiritus creatos: tamen instantia de Deo, & de spiritibus minus valere videtur nisi per principia Philosophiæ probes Deum vel Angelos esse: quare nobis hic incumbit demonstrare Deũ esse, & spiritus creatos esse, quodnegotiũ paucis hoc in loco pro re præsenti expediemus: at rem inuicte inerim demonstrabimus: hic enim per transennam de his loquemur, sed ad rem, ac primum, vt à Deo incipiamus, à quo omnia: verum antequam demonstremus Deum esse, sciendum est, quid per Deum intelligamus, per Deum enim intelligimus causam vniuersalem primam, in qua, à qua, per quã, propter quam omnia sunt, quæ sunt. Ita ergo argumentamur; mundus hic est finitus, cum eius partes sint finitæ, vt omnibus notum est, nullum autem finitum à seipso, quod cum verissimum sit in artefactis, multo magis in naturalibus erit, quia longe difficilius est rem naturalem fieri à se ipso, quam artefactam: Deinde mundus, vt eius partes demonstrant, est compositus, nullum autem compositum à seipso componitur, sed ab alio componente. Insuper mundus hic est contingens, nam ita est, vt possit non esse, quod etiam ex eiuspartibus scire est, id autem quod est in potestate, nequit terminari, nisi ab eo quod est in actu necessario: ex quibus

Instantia.

Responsio

necessario sequitur esse causam vnam, eamque infinitam actu, aliam ab ipso mũdo, quæ det mundo suum esse eum componens, finiens & terminans, quam causam Deum nuncupamus, qui cum sit absolute simplex, purissimus actus, totus essentia corpus esse nequit: ea autem, quæ in sacra pagina prima facie videntur fauere corporaturæ Dei, intellige dici ἀνθρωποπαθῶς, non autem ἀληθῶς καὶ κυρίως. Iam post Deum demonstrare paucis oportet esse substantias creatas incorporeas immateriales siue spiritus specialissime sumpto nomine, quod sic facimus, cum Deus mundum produxit per intellectum & voluntatem, omnino necesse est esse aliquas creaturas intelligentes Deum, seipsas & alias creaturas, etiam volentes Deum sibi ipsis beneuolentes, & hoc requiritur non solum ad Dei gloriam, sed ad vniuersi commodum: intelligere autem & velle sunt eiusmodi actiones, quæ fieri nequeunt ab vlla substantia corporea: nam hæc actiones sunt plerumque reflexæ, fiuntque perpetuo absque fatigatione agentis, nec non sunt omnino liberæ, possunt enim suspendi & mutari: quare nec sunt à corpore, nec à causa dependenti à corpore: nam corpus & causa ab eo dependens, non operantur, nisi actione recta, & fere semper cum defatigatione ac determinate ad hoc & sine libertate suspendendi vel mutandi actionem, &c. Ergo cum operationes sint τεκμήρια virium siue

Demõstratur spiritus esse.

siue facultatum, quarum sunt extensiones, sicut vires sunt signa essentiæ, cuius sunt itidem extensiones, hæc alia substantia à qua fiunt hæ operationes, est incorporea & immaterialis, ac est ea quam specialissime spiritum dicimus, cuiusmodi sunt Angelus & anima humana. Denique in mundo sunt substantiæ quædam corporeæ, quæ dicuntur ὁρατοί: quædam incorporeæ quæ vocantur ἀόρατοι, quædã mixtæ partim ὁρατοί, partim ἀόρατοι, vt homo qui est ὁρατός corpore, sed, ἀόρατος, anima. His hac ratione explicatis, perspicue, vt puto vides, quam debili super fundamento errorem suum struxerunt homunciones isti, qui animam nostram esse οὐδέν, vel merum nihil inepte pronuntiarunt, sequens est vt contra eos rationibus procedamus, licet reuera sibilo potius excipiendi, quam argumentis premendi sint: nam dicere formam internam vllius compositi nedum formam hominis adeo excellentis compositi esse merum non ens, omnem insaniam superat, cum forma sit, quæ dat esse composito, & per quam compositum est id, quod est, dare autem esse, non ens nequit, neque per non ens potest esse aliquid, non magis inquam quam cæcitas potest dare, esse, visui, aut per tenebras esse potest lux quæ esse per absurda nemo non videt.

Contra eos adhuc sic pergo, si anima humana esset nihil, vel non ens, eius aduentu

Demonstratio in-

victa contra hunc errorem.

vel decessu compositum, puta homo, non omnino mutaretur: ac ita nullum discrimen foret inter viuum & mortuum: nam nihil, vel non ens nullam potest adferre differentiā, & hac ratione viuum & mortuū essent vnum & idem, atque prorsus eadem producerent effecta, quod nemo esse falsissimū negaturus est: nam quis quæso est, qui non perspiciat magnū inter viuum & mortuum interesse discrimen, & diuersissima ab iis procedere effecta. Ex hac insania (paucis, sed vt æstimo solide) refutata sub-orta est non minus absurda opinio eorum, qui homini mari, siue viro concedunt quidem animam, quia in verbo Dei docetur animam inspiratam corpori viri, iam recens constituto, sed corpori hominis fœminæ siue mulieris ex costa viri facto, animam esse infusam denegant, quia scriptura hoc prorsus tacet, quare sic argumentantur lib. Geneseos cap. 2. v. 7. legimus corpus viri esse à Deo factū ex puluere terræ, & statim in corpus viri ita fabricatum, animā à Deo fuisse inspiratā vel infusā. Nota obiter hunc textū Geneseos. *Deus insufflauit ei* πνοὴν ζωῆς, vnde homo factus est in animam viuentem hesse versum à Græco Paraphraste, sic & homo ἐψύχωτο, id est animatus, vel animado natus est, vers. 22. eiusdem capitis legimus Deum condidisse corpus fœminæ ex costa, quam desumpserat ex corpore Adami in hunc finem à Deo consopiti, sicut habetur versu proximè antecedenti, id est 21.

Obiectio.

Nota.

Verba enim hæc, Deus condidit fœminam ex costa Adami, sunt intelligenda tantum de corpore fœminæ, vt verba illa versus septimi, quæ habentur de creatione Adami, Deus formauit Adamum ex puluere terræ, id est, corpus Adami, non autem integrũ hominẽ constantẽ ex corpore & anima simul nã immediate post legitur animã huic nouo corpori fuisse inspiratã: præterea nemo dicat animam fœminæ productam ex costa Adami, cũ anima sit spiritus etiã omnes interpretes vnanimi cõsensu hæc verba intelligi volunt de corpore tantũ Euæ, non vero de anima, ideoque cũ apud Moysẽ alioqui diligẽtissimũ scriptorẽ productionis omniũ rerũ, altũ de anima mulieris sit silentiũ: Moses enim ne γρὺ quidem in historia creationis mulieris de anima eius dicit, quare non videtur esse anima fœminæ, & dare quod scriptura non dat omnino videtur iniquum:

Huic obiectioni ita respondeo primo loco, vt verissimum concedimus, verba versus secundi, capitis secundi Genes. esse sic intelligenda, vt in obiectione explicata sunt: deinde agnoscimus Mosem omnium scriptorum diligentissimum. Interim tamen pernegamus eas res non esse, de quibus Moses silet in historia creationis; hoc enim pacto Angeli non forent cum de eorum creatione tacet Moses, hic vrgẽt aduersarii: licet in historia creationis rerum omnium non fiat mentio, nominatim pro- Responsio. Instantia.

ductionis Angelorum, tamen commodè intelligemus Angelos tunc creatos, cum cœli facti sunt, quando alibi in scriptura sacra Angeli dicuntur exercitus cælorum. At vnde petenda sit historia creationis animæ mulieris, non videmus.

Responsio.

Respondeo, historia creationis animæ mulieris repetenda est ex historia creationis animæ viri. Itaque post hæc verba versus 22. Deus condidit mulierem ex costa, quam desumpserat de Adamo statim hæc verba versus 7. interserenda esse intelliguntur, puta, & Deus inspirauit in eius faciem animam vitæ, & mulier facta est in animam viuentem: deinde loco horum verborum *Vir factus est*, dicendum *Mulier facta est*, post hæc claudendus est versiculus 22. his verbis, & fecit eam venire ad Adamum.

Alteera instentia.

Verum instant & quærunt, cur non pariter historia productionis corporis mulieris repeti debeat ex historia productionis corporis viri, ac historia creationis animę mulieris ex historia creationis animæ viri repetitur.

Responsio.

Respondeo rationem esse disparem, nam corpus mulieris aliter conditum fuit, quam corpus viri, hoc enim ex puluere terræ factum, istud vero ex costa à corpore viri desumpta cõstructum, sed anima vtriusque pari pacto creata est, quod innuit Moses, dum post explicatam historiam creationis animæ viri tacet creationẽ animæ mulieris tanquã ex priore repetendam: proculdubio

si dispar fuisset ratio viri & mulieris quoad animæ productionẽ non prætermisisset Moses nos edocere, qui adeo enucleate mõstrauit diuersitatẽ in productione corporũ. Præterea ex historia Geneseos Adami & Euæ ita explicata, optime inferemus, non solũ animã Euæ, sed & singulorum hominum ex Adamo descendentiũ animas infundi corporibus suis iam recens factis, provt anima πρωτοπλάστου infusa, vel inspirata fuit, ac ita quod de vna anima Adami dictum legimus, de animabus omniũ reliquorũ hominum intelligere debemus: atque hæc de primi erroris & delirii ei affinis refutatione dicta sufficiant. Quare nos in eiusmodi ineptiarum confutatione diutius non immorabimur, ne ipsi inepti audiamus.

SECTIO TERTIA.

In qua secundus error super natura animæ nostræ ventilatur, veritasque contra eum stabilitur.

ERroris secundi authores dum fugere volunt periculum, in quod irruentes nugamenti proxime præcedentis patroni naufragium, vt vidimus, fecerunt, in abyssum ipsi incidunt, à qua incauti penitus absorbentur, dum scilicet animam humanã, siue τὸν νοῦν ἀνθρώπινον certe θεοῖς συγγε-

Obiectio. νέσατον essentiæ diuinæ particulam siue surculum, id est, μερίδα, vel ἀπόσπασμα, vt Græci Doctores loquuntur esse, male statuunt. Decepti nimirum excellentibus animæ humanæ operationibus, quas falso putant

Responsio. fieri non posse, nisi ab ente essentiæ diuinæ participe. Verum miselli non attendunt ad nobilissimam animæ operationem, puta intellectionem, quæ cum fit per progressum successiuum, à notiori scilicet ad minus notum, arguit manifesto causam à qua emanat, id est, animam humanam esse naturæ longe inferioris eo, cui cuncta æque sunt nota, & qui vnico & solo intuitu omnia perspicit. Quid ergo dicendum erit de operationibus animæ humanæ minus excellentibus? an non illæ magis adhuc arguent naturam animæ humanæ esse longe diuersam ab eo, in quem eiusmodi operationes non cadunt.

Obiectio. Ast vrgent & dicunt, intellectus humanus ex consensu Philosophorum est omnia, ergo Deus: nam de Deo solo dici potest illud *Est omnia*.

Responsio. Respondeo negando consequens, non enim sequitur intellectus humanus, est omnia: Ergo Deus, quia non est verum illud de Deo solo, dici *Est omnia*: nam de anima humana etiam rectissime dicitur, sed longe diuersa ratione, quam de Deo. Itaque ad pleniorem quæstionis intelligentiam dicendum, quo pacto Deus dicatur

esse omnia, & quo pacto anima humana dicatur esse omnia, Deus dicitur esse omnia causaliter, vt loquuntur, quia solus vere est & causa omniũ, omnia enim ab eo pendent & dependent, omnia continet Deus in se perfectiori longe & multo meliori nota quam sunt in se ipsis: siquidem res omnes sunt ab idea quæ est in mente diuina, ac sic Deus dicitur esse omnia, vt principium omnium rerum: deinde Deus dicitur esse omnia, vt omnia intelligens, cum exactissime vnico & simplici intuitu cuncta intelligat: intellectus vero humanus dicitur esse omnia obiectiue, id est per modum obiecti, quatenus nimirum continet in sese imagines omnium rerum quas intelligit, quæ res extra intellectum humanum habent propriam existentiam: res autem naturales sunt in intellectu humano peiori quidem conditione quam sunt in seipsis: nam intellectus humanus nõ potest intelligere res tã bene ac sunt in sese: deinde idea, quã mens humana habet de reb⁹, fluit à reb⁹ ipsis atq; reb⁹ posterior, quæ idea à reb⁹ fluens dicitur ἐκτυπὴ cum contra ab idea, quæ est in mẽte diuina fluunt res, quare & rebus ipsis itaq; reb⁹ prior & ἀρχητυπὴ dicitur: itẽ omnia quæ intelliguntur ab intellectu, dicuntur entia rationis supple obiectiue tantum, quia nimirum intellectui siue rationi obiiciuntur, alioqui extra intellectum veram habent existentiam, vt iamiam diximus. Igitur, vt

Deus est omnia.

Intellectus noster est omnia.

vides non eodem modo Deus dicitur esse omnia: & intellectus humanus.

Obiectio. Vltra sic instant nonnulli, in Oraculo veritatis homo dicitur imago Dei, ergo est Deus: nam imago Dei est Deus, hoc autem de anima humana intelligi volunt.

Responsio. Respondeo exacte loquendo, homo non dicitur esse imago Dei: nam reuera imago Dei est Deus, Deus enim cũ gignit sui imaginẽ, gignit seipsũ, non aliud, hinc Christus in Euãgelio dicitur verus Deus & imago Dei vera de Deo ipso genita: quare in Epist. ad Heb. docetur, Christũ solum dicendum esse

Solus Christus character Patris. characterem siue expressam imaginem Dei Patris: itaque Christus solus est imago Dei, vt Deus est, id est, quoad attributa Dei propria: nam est omnipotens, immensus, æternus, &c. homo autem dicitur esse ad imaginem Dei, vt loquitur Moses, vel secundum Dei imaginem, vt loquitur Paulus, tantum quoad attributa communia, quæ scilicet Deus communicat intelligenti creaturæ: verum hoc in loco forte non erit ita ἄπρος διάνυτον paucis declarare: quo sensu homo dicitur esse ad vel secundum Dei imaginem.

Homo est ad vel secũdum Dei imaginem

Hic in initio caue putes cum nonnullis, quando homo dicitur conditus ad imaginem Dei, per imaginem Dei esse intelligendum Christum hominem: nam Christus homo nondum erat, cum Deus loqueretur in creatione, vel dictaret Mosi scribenti historiam creationis, atque di-

Homo Deum refert.

cere, intelligendum esse per, imaginem Dei, Christum venturum, faciemque humanam induturum, nihil est dicere: nam Christus homo dicitur factus similis filiis Adami in omnibus, excipe peccatum, non autem Adamus vel eius filii similes Christo facti sunt. Esse autem ad vel secundum Dei imaginem nihil aliud est, quam referre & repræsentare Dei imaginem & Deum ipsum: nam imago Dei est Deus, vt iamiam audiuimus, quod certe faciunt omnes creaturæ, vnde illud *Refert qualibet herba Deum*, cum quælibet creatura adumbrare Deum dici potest: צלם imago venit à צל vmbra, sed homo peculiari & præ cæteris creaturis propriori modo Deum refert, atque id non tantum anima tenus, vt prætendunt aduersarii, licet in ea præcipue eluceat Dei imago: nam de homine toto constanti corpore & anima dicitur esse ad imaginem Dei, non vero de anima solum, vt nec de corpore solum, Deus enim conditurus hominem non dixit, faciamus corpus hominis, vel animam hominis ad imaginem nostram, sed faciamus hominem, scilicet integrum, constantem corpore & anima; Ergo concludimus hominem totum, vel completum esse ad imaginem Dei, respectu nimirum tum animæ, tum corporis, non ratione alterius tantum, vti volunt Sophistæ, quod sic attendenti mecum manifestum erit, primo corpus humanum longe ante corpora

omnium aliorum viuentium (de corporibus inanimatis nulla quæstio) perfectione & excellentia sua summa, refert Deum, omnium enim corporum est longe elaboratissimum, huius quippe membra sunt tanta arte fabricata, vt nullius viuentis corpus eatenus, cũ eo comparari queat: in qua corporis humani fabrica, hoc inter alia singulare est, homo solus ex viuentibus habet faciem, cælum versus erectum, cum cætera animantia faciem versus terram habeant pronam: item mixtio simplicium in corpore humano adeo est exquisita, vt hac in parte, alia omnia corpora mixta longe post se relinquat ex hac miranda in corpore humano mixtionis temperatura, nascitur eximius ille splendor lucens in facie humana, quam in nullo alio viuente reperias: splendor autem hic excellens in facie humana elucens, adeo nonnullis miseris imposuit, vt stulti putauerunt de eo solum intelligi debere ea verba scripturæ, quibus homo esse ad vel secundum Dei imaginem dicitur: deliri hi ab antiquis ἀνθρωπομορφῖται dicti sunt, quod Deum esse corporeum & facie humana præditum crediderint.

Splendo in facie hominis.

Obiectio.

Non iuuat nefandum horum insanientium errorem, quod Deus primis parentibus interdum facie humana apparuisse dicatur.

Responsio.

Nam Deus eiusmodi apparitionibus nequaquam seipsum ostendit qualis in sese

esset, ast pro inscrutabili sua sapientia priscis hoc pacto se vtcumque familiariter notum esse voluit, Deum vere esse spiritum, non corpus infinita scripturæ loca clarissime demonstrant: è quibus hæc duo in præsens allegare contenti erimus, ne omnia scrupulose congerere videamur, prior locus habetur in Euangelio secũndum Ioannem cap. 4. commate 24. his verbis, Deus est spiritus, & oportet adorantes eum adorare in spiritu & veritate. Alter locus continetur posteriori Epistola ad Corinth. cap. 3. commate 7. *Dominus est spiritus ille &c.* Abominandus ergo est error sophistarum horum, qui Deum Patrem ab ignaris pictoribus humana senis facie pingi curant. Sed ad rem, ex splendore illo egregio cum εὐκρασίᾳ singulari, & συμμετρίᾳ partium corporis exquisita ortum duxit pulchritudo in homine excellens, quam primitus admirabantur Angeli, & inferiores venerabantur creaturæ; nunc æstumo aperte vides corpus humanum longe præ aliis corporibus hac sua eminenti perfectione meritissimo dici referre Deum, vel esse ad imaginem Dei: sed illustrius multo anima hominis Deum repræsentat: nam ea primum simplicitate & puritate essentiæ suæ, simplicissimam & purissimam Dei essentiam aliquatenus adumbrat, licet hæc similitudo, vt ingenue fateamur, qua dicimus animæ humanæ essentiam esse similem diuinæ, est valde re-

Obseruatio.

Pulchritudo faciei humanæ.

mota : nam quæ propinqua similitudo potest esse creaturæ finitæ cum Creatore infinito ? nulla certe ob immensam distantiam inter finitum & infinitum. Deinde anima humana intellectu, voluntate & memoria vtcumque nobis depingit, tres in Deo personas, intellectus enim independens ab aliis facultatibus refert aliquo modo Patrem à nullo dependentem, & voluntas dependēs ab intellectu refert filium à Patre generatum : denique memoria dependens ab vtroque refert spiritum sanctum procedentem ab vtroque , id est , Patre & Filio. Item sicut Deus Pater se per intellectum cognoscens producit λόγον, puta filium & eū amādo producit Spirituū sanctū; sic anima humana se intelligens in mēte sua producit verbū intelligibile, sui expressiuum, sibique simile , atque inde procedit in voluntate eiusdē amor , & hinc memoria, atq; vt hæc tria intellectus, voluntas, memoria distinctim numerentur in anima , non tamen superantur in ea (provt infra videbimus) sic tres personæ , Pater , Filius , & Spiritus sanctus in Sacrosancta Trinitate distinctim licet numerentur , non tamen propterea separantur : ad hæc vt Deus omnia, quæ sunt, fuerunt , & futura sunt coram & præsentia habet : sic anima humana per intellectum ea quæ sunt , per voluntatem quæ futura sunt , per memoriam quæ iam fuerunt , quasi præsentia concipit , nec non

anima humana est incorporea & indiuidua, vt Deus, æterna & immortalis habens liberum arbitrium, capax ſapientiæ, viſionis & omnis boni. Homo etiã multa, imo omnia mente efformat & comprehendere poteſt, hinc inſtar Dei quodammodo omnipotens dici poterit, itidem vt Deus, ita eſt vbique, vt nullibi dicatur eſſe, non enim diceres potes Deus eſt ibi & nõ hic, licet ibi forte, puta in cælo, eminentius quam hic, id eſt, in terra, ſic anima humana ita eſt in toto corpore ſuo, quod vniuerſi quandam ſpeciem refert: quippe ad cuius compoſitionem ſingulæ partes vniuerſi conſpirent: nam elementa omnia ad humani corporis conſtitutionem concurrere nullus dubitat, qui in eo calidum, frigidum, humidum & ſiccum agnoſcit, quin etiam cælum ipſum, illud ſiquidem quod calidum natiuum in homine vulgo nuncupamus, cæleſtis certe naturæ eſt, & longe ſuper elementorum conditionem, ſic inquam anima humana eſt in corpore ſuo, vt nullibi dicatur eſſe, nam dici nequit eſſe ibi, id eſt, in parte illa corporis, & non hic, ſcilicet in parte hac, quamuis illuſtrius ſit in hac parte, puta in corde & cerebro, quam in illa, videlicet pede, vel manu, vt infra diſputantes de ſede animæ clarius ſuo loco docebimus: inſuper anima humana dicitur eſſe ad imaginem Dei, reſpectu illius integritatis & perfectionis ſublimis, quæ erat in principio

communis homini & Angelis, qua hominem πρωτοπλάστην donauit Deus, & tali perfectione donatum dignatus eſt conuerſatione familiari ac contemplatione coram, quali conuerſatione, & contemplatione fruuntur boni Angeli, & animæ beatæ nunc in cælis. Sed eheu nos miſeros, hæc Angelica (vt ita dicam) perfectio, quæ iure hæreditatis ad nos πρωτοπλάστου poſteros ſpectabat lapſũ in peccatũ primiparẽtis noſtri Adami ſpontaneo multis & miris modis, primum in Adamo ipſo, deinde, in nobis Adami ſucceſſoribus læſa & vulnerata eſt: nam omnis homo incluſus ἐν τῇ ὀσφύϊ τοῦ πρωτοπλάστου, vt loquitur Apoſtolus in Epiſtola ad Heb. cap. 7. commate 10. Adami, factus eſt reus eiuſdẽ peccati in Adã: Admus ſi quidẽ deliquit in cõmuni, vt parens omniũ, ideo dicitur in omnes peccatum inuexiſſe: hinc omnis homo in Adamo iuſte priuatus eſt his excellentibus donis, quibus πρωτοπλάστης in principio donatus erat, certe non admodum diſpari exemplo ac ciues qui ob rebellionem contra principem non ſolum ipſi, ſed & liberi ipſorum illis merito priuantur priuilegiis & immunitatibus, quibus ante rebellionem ipſi fruebantur, quæque ſi non rebellaſſent ad poſteros ſuos tranſtuliſſent: priuatus eſt autem omnis homo in Adamo primo loco perſpicua cognitione veri boni, hinc Apoſtolus 1. Corint. cap. 2. v. 14. homo natura-

iis non poteſt concipere res Dei, ſupple clare, inde eſt quod Deus aperuit cor Lydiæ &c. cum antequam aperiretur cor, Lydia non potuit concipere &c. Idcirco Dauid Pſal. 51. v. 12 orat Deum creare in ipſo cor nouum, deinde cogitatione veri boni priuatus eſt homo omnis, vnde illud Geneſis 6. *Cogitatio hominis eſt mala ſemper* 1. Corinth. 3 v. 5. ex nobis ne cogitare quidē poſſumus bonum. Tertio homo priuatus eſt voluntatis libertate ad vere bonum: hinc illud optimi & ὀρθοδοξοτάτω Patrum libero arbitrio male vtens primus homo ſe perdidit & ipſum: denique homo priuatus eſt poteſtate bene agendi, vt conuenit, & hac ex parte impotens & mortuus eſt factus, vnde illud Ioh. 644. *Nemo poteſt venire ad Chriſtum, niſi trahatur*, quia omnis homo eſt, vt ouis perdita, de qua Lucæ 51. Præterea imago Dei in homine læſa eſt eatenus, quod homo habet naturaliter propenſionem & inclinationem ad malum, inde Epiſt. Epheſ. 3 v. 5. *Natura ſumus filii iræ.* Iob 11. *Homo naſcitur inſtar onagri*: infans enim habet ſementem peccati in ſeſe, licet pro tempore non manifeſtet veneni effecta, quia non habet poteſtatē exerendi prout ſerpens interdū hyeme ita gelatur, vt manutiā facile tractari poſſit, acſi non eſſet maleficus & hoc euenit: non quod non habeat venenum, ſed quod non habeat id eiaculandi poteſtatem. Porro omnis homo

Dictum Auguſtini.

in mundum veniens est veneno peccati Adami infectus Rami enim necesse est habeant easdem qualitates ac radix : idcirco de Adamo iam peccatore dicitur Genes. 53. genuisse liberos ad sui imaginem, ac proinde corruptos peccato, vt ipse corruptus erat. Ex prædictis vulneribus, quibus imago Dei in homine læsa est, procedunt actualia peccata, & consuetudo peccandi, vnde actiones tum animæ, tum corporis voluntati Dei repugnant: quare actiones, quæ si Adam in integritate mansisset, fuissent perfectæ, nunc nonnisi cum sexcentis imperfectionibus fiunt : hæ autē actiones quæ proueniunt à facultatibus animæ, licet multis scateant næuis, tamen non desinunt esse reuera hominis actiones propriè quēadmodum ille, qui paralysi neruorum laborat habere motus homini ordinarios dicitur, quamuis irregulari agitatione perturbatos habeat.

Nota. Notandum, imago Dei in omni homine: ita, vti diximus, vulnerata & læsa, in irregeneratis ex læsa omnino mortua euadit, in regeneratis vero curatur & instauratur, primo cognitione mysteriorum Dei: hinc Apostolus ad Corinth. 3. v. 4. *Induite nouum hominem, qui renouatur in cognitione illius, qui hominem condidit*, & eadem mente Psalmographus pronunciat eum fœlicem, qui noctu & die Dei legem meditatur: deinde in regeneratis imago Dei læsa instau-

instaratur fide. Vnde Petrus cap. 15. com. 9. docet corda hominum electorum purgari fide. Tertio imago Dei in homine vulnerata instauratur iustitia Christi. Hic sedulo monendus es, cauere ab insania nonnullorum veterum, qui à furore cognomen meruerũt: hi falsissimè putabant iustitiam, per quam reparatur Dei imago in nobis, esse ipsissimam Christi perfectam iustitiam, nobis instar aliarum qualitatum inhærentem. Cum iustitia Christi tum demum dicatur esse nostra, dum eam nobis fide applicamus; hinc illud *Fide creditur ad iustitiam*: porro iustitia Christi dicenda est ita esse in nobis, vt nostra iniquitas in eo, id est, λογισμῷ, imputatione, vel deputatione, vt docet Apost. 2. Cor. 1. v. 21. eum qui nesciret peccatum, pro nobis fecit peccatum, vt nos fieremus iustitia Dei in ipso. Hunc prædictorum veterum nefandum errorem excitarunt ab inferis, male feriati nonnulli nuperi. Huic vtrorumque dementiæ ansam præbuit locus Apostoli Pauli, quem illi ignorantes & instabiles, vt alias scripturas ad propriam condemnationem peruerterunt, ita Petrus cap. . v. 16. loquitur. Locus verò quem à genuino sensu deprauarunt habetur 2. Cor. c. 3. v. 18. vbi hæc sunt verba, *Nos omnes aperta vel reuelata facie intuentes gloriam Domini in eandem imaginem transformamur*, quæ verba illi male interpretantur, dum dicunt animam nostram

Cautio.

tunc demum imaginem Dei gerere, cum habet ipsissimam perfectam Christi iustitiam sibi, vt quamlibet aliam qualitatem, inhærentem. Vera autem horum Apostoli verborum ἐπίλυσι (vt verbo Petri vtar) est hæc nos omnes nominatim διάκονοι καὶ πρεσβύτεροι: de his enim præcipue hic intelligit Apostolus, sicuti cuiuis diligenter consideranti contextum patet, in Dei imaginem transformamur, dum gloriam Dei intuemur in speculo, quod speculum est Christus caro factus, in cuius imaginem nos dicimur transformari, tanquam secundariæ eius imagines, cum induimus Christum fide. Hinc idem Apostolus Paulus docet nos iustificari fide, Galat. 3. v. 24. quemadmodum & eodem cap. 11. 8. Epistola ad Philomenem idem docet, puta coram Deo nos fide iustos haberi: ita in Epistola ad Rom. cap. 4. 9 & 22. docet fidem fuisse imputatam Abrahamo patri fidelium omnium ad iustitiam: interim perfecta iustitia Christi permanet in ipso, vt qualitates aliæ ei inhærentes, quæ nequeunt egredi è suo subiecto, accidens autem nullum transmigrat è subiecto in subiectum, cum eius esse sit inesse, alioqui eueniret accidens esse sine subiecto, puta in ipso transmigrationis momento, quod est absurdissimum. Ex dictis vides quo pacto potissimum homo dici debeat, esse ad imaginem Dei, vel imago Dei esse in homine; item

qua ratione & in quantum imago Dei in homine dicenda eſt non ſolum læſa, ſed etiam amiſſa in homine lapſo. Hic preterire non poſſum errorem nefandum eorum qui aſſerere audent lapſu Adami nullo modo imaginẽ Dei in homine eſſe læſam, multo minus amiſſam, quia (inquiunt) imaginem Dei homo dicitur habere in ſe, nõ reſpectu illorum attributorum, quæ homini accidunt vltra eſſentiam, vt ſunt iuſtitia, bonitas &c. ſed reſpectu ipſius eſſentiæ, quæ eſt eadem nunc in quouis homine, ac erat in Adamo ante lapſum. Obiectio.

Ad quod reſpondeo: Verum eſt hominem primario dici habere Dei imaginem in ſeſe reſpectu eſſentiæ ſuæ, & præſertim reſpectu eſſentiæ animæ ſuæ partis ſui nobilioris, quippe quæ ſit ſubſtantia pura, ſimplex, intelligibilis & inſtar Dei, vti ſuo loco docetur: interim tamen imago Dei in homine ſaltem ſecundaria ratione dicitur conſiſtere in attributis quibuſdam vltra eſſentiam homini accidentibus, cuiuſmodi ſunt iuſtitia, ſanctitas, bonitas &c. quibus homo dicitur etiam eſſe ad ſimilitudinem Dei, quæ attributa erant in Adamo ante lapſum perfecte, ita vt eius ſtatus ferre poterat, poſt vero lapſum ex parte ſunt amiſſa, vel ſaltem multum læſa, quod ex infinitis ſcripturæ locis probare eſt, quæ ne nimius hoc in negotio ſim, ſciens & libens nunc omitto, remit- Reſponſio.

tens Lectorem ad ea loca, quæ iam supra attulimus, cum ex his res manifeste pateat.

Obiectio. Vrgent; nulla eiusmodi attributa fuisse in homine ante lapsum; &, instant v. g. de iustitia, quia, inquiunt, homo non potest dici fuisse iustus ante lapsum: nullá enim adhuc fecit iustitiam, omnis enim iustitia consistit in obedientia legi, lex autem non data fuit ante interdictum de arbore cognitionis boni & mali.

Demõstratio. Ad hoc respondeo, hominẽ à momento creationis fuisse iustum, & fecisse iustitiam obediendo legi, quam Creator, dum eum conderet, cordi eius insculpsit, item dependendo à Creatore per fidem: ita iustus fuit ante lapsum iustitiæ, fidei, puta dependentiæ & iustitia obediẽtiæ, obsequendo scilicet ei legi quam quum crearetur acceperat à Deo, quibus modis Angeli in cælo sunt iusti. Multum autem decipiuntur ij, qui putant nullam fuisse homini legem, cui pareret ante prohibitionem fructus vetiti, cùm post legem cordi hominis insculptam, interductum homini factum

Obiectio. est tanquam sacramentum obedientiæ integræ: cassum ergo ruit hæc obiectionum series.

Sed hic aduersarii vltra; verum nunc tempus est, vt eo vnde digressi sumus redeat oratio, & animam humanam non posse esse diuinæ essentiæ particulam inui-

ctis argumentis nobis demonſtrandum eſt. Primo ergo ſic argumentamur. Si anima humana eſſentiæ diuinæ eſſet particeps: ſequeretur (cum iiſdem eadem eueniunt, & non eueniunt) vel animam eſſe inſtar Dei mutatione omni prorſus vacuam, vel Deum mutari inſtar animæ humanæ: alterutrum concedas oportet hac ſtante ſententia, non prius, ſicut quotidie experimur, intellectus enim noſter modo diſcit, modo dediſcit, quod prius didicerat: voluntas noſtra nunc vult, nunc non vult, quod prius voluerat: memoria reminiſcitur, quæ omnia tot eſſe mutationes in anima noſtra, à nemine vnquam dubitatum eſt, deinde diſſolutione compoſiti anima manifeſtam patitur mutionem. Tertio, lapſu in peccatum anima horrendam patitur mutationē. Quarto gratioſam patitur mutationem [illegible] anima noſtra, dum Spiritus ſanctus eam ſupercæleſti ſua luce irradiat & verſus creatorem ſuum flectit. Poſterius pariter non minus falſum eſt, quam prius, nam eo dato ſequeretur Deum inſtar animæ humanæ multis mutationibus eſſe obnoxiũ, quod vel cogitare ſumma eſt blaſphemia, cum Deus ſit mutationis vel minimæ expers, alioqui non foret Deus: nam immutabilitas eſt vna ex Dei proprietatibus inſeparabilibus. Hinc illud Dei loquentis de ſe ipſo Num. cap. 23. v. 19. *Deus non eſt filius*

Reſponſio.

hominis vt eum pœniteat. Item Malachiæ c.30. v.6. *Deus sum, non mutor*, inde etiam illud, *nulla mutatio in Iehouah*. Quare nihil contra hanc Dei immutabilitatem faciunt ea, quæ in sacra pagina ἀνθρωποπαθῶς, vel more humano dicuntur de Deo, cuiusmodi sunt illa, in quibus legimus Deum mutare mentẽ & pœnitere factorum, vt Genes. cap. 5. v. 6. vbi scriptum est pœnituisse Deum, quod creauit hominem, &c. Eiusmodi, inquam, formulæ loquendi nihil faciunt, contra hanc firmissimam veritatem, qua Deum esse omnino immutabilem asseruimus. His enim loquendi modis minus in sese propriis plerumque vtitur Spiritus sanctus, in quibus nobiscum sæpius quasi balbutiens accommodat orationis suæ stylũ ad captum exiguum nostrum rudium homuncionum, qui vix terrena sapimus, ne dum cælestia capere possumus. Minime vero talibus loquutionibus naturam suam, qualis est in sese, edocet. Insuper si anima humana essentiæ diuinæ particula esset, Dei essentia foret diuisibilis, quod omnem falsitatem superat: essentia enim Dei vt est omnino immutabilis, ita vnica & diuisionis cuiuscumque prorsus expers. Alioqui non foret absolute vnus, ac proinde non esset Deus infinitus, plura enim infinita esse nequeũt, solus Deus actu infinitus, ergo omnino vnicus & prorsus indiuisibilis. Trinitas autẽ personarum in Deo non arguit in essentia eius diuisio-

nem, sed κατ' ἰδιώματα distinctionem. Prioribus adde hoc, si naturæ diuinæ natura humana esset particeps, tunc vel anima humana foret infinita vt Deus, & esset sine principio vt Deus, qui solus est æternus ab ante, vt loquũtur siue sempiternus, quod est plusquam absurdũ, cum anima humana, vt quælibet res creata, certum tempus in quo incipit habeat. Quod autem sit tempus animæ humanæ natale, infra Deo dante videbimus, vbi de origine eius loquemur. Vel altera ex parte Deus foret finitus, vt anima humana: ac proinde non Deus creator, sed creatura producta, omne enim finitum creatum est. Atqui hoc est æque falsum ac est illud. Item non prætereundum est, Deus est actus omnino purus absolute & prorsus simplex; quare de eius essentia non potest esse vlla creatura, cum omnis creatura, imo ea quæ sit maxime pura & simplex quales sunt spiritus, puta Angelus & ànima, hominis componũtur saltem compositione metaphysica, licet non physica, vt in prima philosophia enucleate demonstratur, quod & nos inferiùs paulo pro negotio præsenti, in hoc opusculo indicamus. Denique anima humana habet τὸ πῇ determinatum. Vere enim potest dici de anima humana, ea est hic vel in corpore hoc, & non ibi vel in illo corpore, quod non potest dici de Deo, qui est vbique per totum vniuersum imò extra vniuersum, siquidem Deus continet vni-

uersum in sese, non autem ab eo continetur. Ex multis quæ ad ferri possunt hæc pauca moderato suffecerint, quibus satis commode ψύχην ἀνθρωπίνην non posse esse θεὸν, sed τοῦ ἀιδίου ἑτέραν ὑπάρχειν vt verbis Philosophi vtar, demonstratum putamus. Atque sic secundum hunc errorem super natura animæ humanæ non male expeditum credimus.

SECTIO QVARTA.

In qua tertius error circa essentiam animæ nostræ perpenditur, ac veritas aduersus eum firmatur.

TErtius error circa definitionem animæ humanæ est eorum, qui putarunt animam humanam esse accidens, id est, eiusmodi ens, quod ab alio omnimodo dependet, per aliud & in alio prorsus est: verum cum plura sint genera accidentium, vt quantitas, qualitas, &c. Hic tenendum est patronos huius erroris, vel velle animam humanam esse ex eorum numero accidentium, quæ qualitates vulgo dicuntur, atque ex iis qualitatibus, quæ patibiles vel passiones appellari solent.

Nota. Per passionem, vt hoc hic obiter, non intellige nunc introductionem siue receptio-

nem qualitatis in subiecto, nam hoc pacto passio est in sexta classe rerum: sed per passionem nunc intellige ipsam qualitatē, quæ subiectum pati facit cum introducitur, & introducta est, ac ita efficit speciem tertiam qualitatis, & ab ea differt patibilis qualitas, mora tantum: siquidem patibilis qualitas nihil aliud est quam passio permanens. Vel patroni huius erroris volūt (quod idem est) animam humanam esse moderatam harum patibilium qualitatū mixtionem, non certe quarumlibet patibilium qualitatum: nam patibilis qualitas multis modis dicitur, vt notum est, sed eorum qualitatum patibilium mixtionem esse animam nostram statuunt, quæ vulgo vocantur qualitates primæ. Ideo nimirum hæ dicuntur primæ, quia reliquæ pleræque patibiles qualitates ab eis oriuntur. Sunt autem numero quatuor, calidum, frigidum, humidum & siccum: Quorum moderata mixtio vulgo temperamentum, vel temperies nuncupatur. Rationes, quibus moti sunt huius tertij erroris assertores, ad opinandum animam nostram esse temperiem vel temperamentum (his vocibus cum sint æquiualentes) in sequentibus promiscue vtemur. Hæ sunt primariæ. Primum ergo sic argumentantur. Intemperie vel δυσκρασία harum primarum qualitatum patibilium homo moritur, exempli gratia, febri ardenti dissoluitur μεβιότης vel temperies harum qualitatum in homine, vnde Obiectio.

vita amittitur, morsque sequitur. Ergo inquiunt temperies earum est author vitæ, nam cuius decessu, aduenit mors, eius præsentia causari vita videtur; ac consequenter harum qualitatum temperies est anima, cum sit anima, quæ est author vitæ.

Respondeo hic male conclusionem deduci ex præmissis, ex hoc enim argumento, puta intemperie primarum qualitatum mors homini aduenit, per bonam consequentiam sequitur hæc conclusio. Ergo temperies earum qualitarum ad vitam est necessaria. Sed nulla ratione inde rite deduces temperiem esse authorem vitæ, id est ipsam animam: nam ea est aethor vitæ, vt apud omnes constat. Exemplo res fiet clarior, v. g. alimento, ieiunio, exercitio, otio, vigilia, somno, &c. immoderatis sanitas amittitur & aduenit morbus: nullus tamen inde colliget, ergo sanitas est horum temperies & moderatio, nam sanitas est longe aliud, videlicet gradus siue status vitæ eminentior, sicut vita est modus existentiæ eminentior, & existentia modus entis, ita vt sanitas proprie & exacte loquendo non est ens cum neque sit substantia neque accidens, sed modus entis, siue vt vulgo loquitur, sanitas est bona corporis viuentis constitutio, quæ nascitur ex bona partium corporis, præsertim autem humorum temperatura nec non bona membrorum corporis conformatione & proportione. Sed hæc

Obiter quid sit sanitas, quid vita, quid existentia docetur.
Sanitatis definitio plenior.

conclusio ex prædictis præmissis per bonam consequentiam rite deducitur; ergo horum moderatio est necessaria ad sanitatem, ac sic infringitur arundineum hoc primum telum. Itaque hoc omisso ad aliud accedamus, quod est huiusmodi. Argumento est, inquiunt nonnulli, animam nostram esse merum accidens, & nihil aliud, idque separabile, nam dormienti omnis cogitatio defluit, ac ita è somno excitatus intelliges dormientem caruisse anima. Ad quod dico, in somno anima non relinquit corpus, nec redit in vigilia, alioqui homo dormiens mortuus foret, quippe truncus inanimis & vigilans reuiuisceret. Quod esse quam ridiculum vel pueri agnoscunt. Tantum abest, vt dormiens sit inanimis, vt nullus vnquam dormiens moriatur. Imo si maxima causa superueniat, v.g. casus domus, vulnus cordis, vel morbus attonitus enim expergiscitur, antequā moriatur. In somno igitur tantum ministerium spirituūm commeantium ad cor animæ primarium organum cessat: ac sic anima á multis operationibus dum dormit homo, desinit, nec corpore ad multa munia vtitur, ita vt in vigilia facit, sed interim spiritus qui meant à corde indesinenter inseruiunt animæ in suis operationibus. Testimonio sunt insomnia. Et hac via euanescit hoc secundum aduersariorum argumentū. Quare ad tertium argumentum, quod tale est,

Obiectio.

Responsio.

Obiectio.

Mores animi sequuntur temperiem primarum qualitatum in humoribus corporis, v. g. homo, in cuius corpore dominatur melancholia, est tristis: in cuius hominis corpore sanguis præualet, is est iucundus: quum in corpore humano phlegma præabundat, homo est deses. Item quando cerebrum hominis est nimis calidum, homo furit: vice versa, quando frigidis medicamentis nimius cerebri feruor temperatur, homo furorem exuit. Præterea senes ex nimia cerebri frigiditate delirant. Ex quibus omnibus manifestum est, inquiũt, animam humanam nihil aliud esse quam qualitatum harum temperiem. Repono hic, vt supra, conclusionem hanc ex præmissis male esse deductam, nam hoc tantum inde per bonam consequentiam sequitur, ergo temperies harum qualitatum est necessaria animæ corpori vnitæ, vt rite operetur, qua qualitatum temperie vtitur anima, vt commodo instrumento. Verum rem hanc totam, vti supra factum vides, exemplo vno aut altero explicatam dabimus. V. g. pictor artis suæ peritus bene pingit, cum habet penicillum bonũ, id est arti suæ commodũ: quod si vero illi incidit in manum penicillus malus & ad pingendum minus aptus, omnino bene pingere nequit, quod nemo sapiens pictori vitio vertet, cum alioqui sit pictor optimus, vt initio supposuimus. Itidem citharæ sciens cum habet citharam bonam ad psal-

Responsio.

Exemplum à pectore.

Exemplum à cithara.

lendum commodam, bene ac ex artis suæ præscripto κιθαρίζει, sed si ei contingit habere malam & ineptam citharam ea bene psallere non potest: citharista tamen culpa carebit, quippe qui alias artis suæ consultissimus sit. Pari pacto anima nostra corpori suo vnita, cũ habet corpus bene temperatũ, optime functiones suas exercet, sed cum corpus est male temperie perturbatum, non ita bene edere potest anima eas operationes, quæ fiunt per corpus & propter corpus, qui defectus in operationibus animæ qualitatum intemperiei in corpore ascribendus est, non autem ipsi animæ. Præterea nonnulli sic argumentantes, conantur probare intellectum siue animam intelligentem in nobis nihil aliud esse, quam vim ac potentiam, ac ita accidens idque separabile. nam abest (inquiunt) pueris & subtrahitur dormientibus, vt & nutriens animæ facultas ægrotis ἀτροφίᾳ laborantibus, &c. Ad hæc respondeo animam tunc minime ab his hominibus abesse, tolli vel subtrahi, sed tantum tum temporis, vel minus clare actiones suas edere, vel ab iis cessare, ob ineptitudinem instrumẽtorum, quibus ad multa munia obeunda vtitur anima: intellectum autem esse in pueris etiam recens natis, vel hinc discas licet, statim atque egressi sunt ex vtero matris plorant & circa quadragesimum diem ridere incipiunt, quæ duo sunt effecta certissima rationis vel intellectus,

Obiectio.

Responsio.

Videsis infra paginam.

vt suo loco docemus.

Nota. Item cum ratiocinatio sensim prorepat: nemo enim est qui potest dicere hoc tẽpore incepi ratiocinari, necesse est ratiocinationem non sero aduenire homini, sed ab initio ei adesse. De dormientibus iam supra diximus, de ægrotis hoc scies, licet anima non eque bene in corpore ægroto, ac in sano nutriendi munus ob defectũ materiæ exerceat, tamẽ aliquo modo id facere nõ desinit.

Obiectio. Denique quidam sic obiiciunt. Anima humana (inquiunt) potest esse sola virtus, id est, accidens, agens & mouens corpus humanum vt virtus impressa ferro à lapide herculeo mouet ferrum, puta versus polum.

Responsio. Ad quod respondeo negando impressionem, quam recipit ferrum à lapide herculeo, impellere, vel mouere ferrum ad polum: sed tantum per hanc impressionem à lapide herculeo ferrum ad motum præparari & disponi, & ferrum; ita dispositum vel præparatum, per hanc impressionem à cœlo ipso, vel cœli parte moueri: anima autẽ non disponit tantum corpus ad motũ, sed & mouet primo totum corpus multis variisque modis sursum, deorsum, dextrorsum, sinistrorsũ, ante, retro. Deinde corporis partes infinitis viis agitat. Atque hæc sunt præcipua argumẽta quib⁹ huiusce tertij erroris patroni suam erroneam stabilire sententiã conantur: quam infirmè vides. Nos itaque vltra progredientes, Deo fauente, inuictis

demōſtrationibus huiuſce prauæ opinionis impoſſibilitatem docebimus, ac primum ſic Temperies vel ἐυκρασια harum primarum qualitatum nequit eſſe forma interna ſiue ſpecifica vllius, vel viliſſimi compoſiti naturalis, multo minus poteſt eſſe anima hominis, quæ omnium formarum longe excellentiſſima eſt; quod hoc demonſtrabimus pacto. Si temperies vel ἐυκρασία harum qualitatum eſſet mixti, vel compoſiti forma ſpecifica, ſiue eſſentialis, certe ea omnia mixta, vel compoſita, quæ haberent has qualitates parili gradu temperatas, id eſt, quæ forent eiuſdem temperamenti, haberent vnam & eandem formam eſſentialem, ſiue ſpecificam ac proinde eſſent vnum & idem, ſaltem ſpecie tenus; quod tamen eſt falſiſſimum. Multa enim à naturalis hiſtoriæ ſcriptoribus notantur eſſe vnius & eiuſdem temperamenti, ſpecie tamen & eſſentia diſtingui. V. g. Iuniperus & Cedrus, Helleborus & Iris habent haſce primas qualitates pari gradu temperatas, puta tertio, vt loquuntur gradu, ſiccorum & calidorum, vltra mediocritatem. Obiter notato dari tantum quatuor gradus harum qualitatum vltra mediocritatem in bona mixtione, iuxta Medicorum placita. Prædictæ autē plantæ à ſe inuicem (ſecundum omnes) eſſentialiter, id eſt, per formas internas & ſpecificas diſtinguuntur, quamuis gradu temperiei, inter ſeſe omnino conue-

Demōſtratio.

Nota.

ueniant. Quin etiã reperiuntur ſpecies eiuſdem generis plantæ, v.g. Solani, Iridis, Verbaſci, &c. quæ habent idem temperamentum, eſſentia, ſpecie & forma nihilominus diſtinguuntur. Deinde ſi temperamentum in mixto primarum qualitatum eſſet mixti forma eſſentialis, procul omni dubio effecta illa miranda à temperamento procederent, quæ eſſe in multis mixtis quotidie notamus. E. g. electrum ſiue ſuccinum, item adamas attrahunt ſtipulam: magnes, ſiue herculeus lapis attrahit ferrum. Quæ effecta & id genus alias non procedunt à temperamentis, non enim magnes attrahit ferrum, quia ferrum eſt ei ſimile temperamento: hoc enim ſi eſſet, attraheret id quod eſſet ſibi magis ſimile temperamento. At hoc non facit, nam magnes non attrahit magnetem alium, qui eſt omnino eiuſdẽ temperamenti cũ eo magis quã ferrum attrahit ferrum. Quod hic argumentor de magnete, poteſt applicari electro & adamanti: nam electrum non attrahit electrum, nec adamas adamantem, licet vtroque attrahatur ſtipula in quadrante nautico vel horario à magnete tacta. Quicquod acicula picta impreſſionem à magnete accipit, qua ſcilicet verſus polum moueri diſpoſitionem acquirit, ac inde ſi moueas quieſcere nequit, donec eo vnde dimota eſt, redeat, interea manens vnius eiuſdem temperamenti, ſine vlla ſui mutatione, poſt tactum magnetis

ac

ac fuerat ante tactum; si autem hæc impressio magnetis in ferrum esset à temperamento magnetis, certe dum recipitur in ferrum vel aciculam, mutaret saltem aliquatenus temperiẽ aciculæ vel ferri; nam accidens procedẽs à tẽperamento vnius corporis mutat temperamentum illius corporis in quod recipitur, quod vel exemplo ignis constat: quæ enim ab igni recipiunt, id accidens quod procedit ab eius temperamento, puta calorem, aliquatenus mutantur, quo ad tẽperamentum siquidem fiunt calida, aciculam autem mutare temperiem qualitatis dũ tactu magnetis impressionem accipit nemo est qui dicere audeat, cùm experientia & sensus repugnent. Ergo à forma specifica magnetis procedit hæc impressio, quæ in aciculam recipitur, ac ita de aliis eiusmodi.

Verũ quales sunt hæ formæ specificæ, vnde hæc stupenda naturæ opera crassis illis Philosophis ignota, proueniant non est nobis in hac miseria constitutis, explicare facile. Præstat autem ingenuè ignorantiam confiteri, præsertim vbi celari nequit, quam ineptè falsa pro veris comminiscendo, non causas pro causis obtrudere. A lapsu primi parentis ortum habuit miseranda hæc nostra inscitia, quæ in posteros, vnà cum labe originali, deriuatur, non à conditione primæua hominis. Nam Deus cùm homini iam recens condito in creaturas absolutum imperium dedit, procul omni dubio ei

exactam earum cognitionem concessit, quod post lapsum Adami, vni⁹ Salomoni, gratia speciali indultum legimus. Hinc rebus nomina naturis suis conuenientia ab Adamo gnaro, in principio attributa fuerunt, vti ex textu sacro in prima omnium lingua constat. Verum pristinæ huius cognitionis nunc, eheu! exiguæ admodum supersunt reliquiæ: sicut enim imperium in creaturas ex magna parte amisimus: sic quoque earum cognitionem ferè totam perdidimus: siquidem hi, qui callentissimi esse videntur, longissimè à cognitione rerum exacta, iisque adæquata, absunt: per vmbram tantùm res notas habentes, vmbrasque rerum sæpe pro rebus ipsis amplectentes, quemadmodum vulpes lambens vitrum, in quo est mel, ipsum mel non attingit, licet se id lambere falsò putet. Hinc est quod plerisque rebus nomina inepta imponimus de iisque tam malè philosophamur, in rebus exiguis caligantes, in mediocribus cæcutientes, in rebus maioribus omnino cæci, & nihil prorsus videntes, in maximis denique insanientes sed vnde diuertimus, eò redeat sermo. Cum temperamentum nequeat esse vllius compositi vel infimi forma specifica, quo pacto dicitur forma specifica hominis, idest anima intellectualis formarum excellentissima?

Cum rebus nomina conueniunt, res dicuntur. φερόνομοι.

Præterea, contra aduersarios hanc nouam instantiam vrgemus. In corpore hu-

mano temperiem primarum qualitatum, etiam post mortem, aliquandiu manere quotidie notamus, in ipso, vt dicam, mortis articulo, anima deserit corpus. Quod non eueniret si anima & temperamentum essent eadem: nam res eadem non adesset, & abesset eodem temporis momento: quare omnino necesse est res sint diuersæ. Deinde considera prima effecta à primis qualitatibus ἀμέσως prouenientia, vt sunt calefacere, frigefacere, humectare, siccare &c. postea aduerte mentem ad operationes, quæ immediatè procedunt ab anima, vt viuere, sentire & intelligere &c. ac clarè videas animæ operationes ἀμέσας longè antecellere effecta immediata primarum qualitatum. Instantia noua.

Quare necesse est causam harum operationum ἀμέσαν, puta animam, esse multo excellentiorem vlla qualitate vel qualitatum temperie, quæ est istorum efficiens immediata. Ex effectis autem per se & immediatis optime de causis per se immediatis iudicium facimus.

Prioribus argumentis adde hoc. Anima & temperies primarum qualitatum in corpore humano quotidie hostilem in modum inter se bellum gerunt: quod nullo pacto eueniret, si essent vna & eadem res: nam res eadem non sibi bellum infert, quia in vna eademque re non est repugnantia. Demonstratio noua.

Verùm ad hoc argumentum replicant aduersarij, quærendo quî fieri potest, vt Replicatio.

corpus cum ſua temperie, quæ ſunt caduca & terreſtria, repugnet animæ humanæ, ſi ea eſt immaterialis, æterna, prout prætenditur ab huius argumenti authoribus: cum res caducæ & terreſtres pareant cæleſtibus & æternis, idquè ex naturæ præſcripto: minimè verò iis repugnant.

Reſponſio. Reſpondeo. Verum eſt res caducas & ſublunares parere rebus cœleſtibus & æternis ex naturæ ordine, atque corpus hominis cũ ſua temperie repugnat animæ ſuæ (cui ex prima inſtitutione obſequi debet) propter peccatum, & ex accidenti: ſed argumentum vtique ſtabit, ſi enim anima humana eſſet vna eademque res cum temperie corporis, nulla ratione ſibi ipſi contrariari vel repugnare poſſet magis, quam calidum ſibi ipſi, cum vnum idemque ſibi non pugnet. Per replicationem ergo hanc tantùm quæritur modus, quo hæc pugna eueniat: ipſa vero pugna non refellitur. Denique vt omnia concludam.

Demonſtratio. Si anima humana eſſet temperamentum primarum qualitatũ, vel quodtuis accidens, homo conſtans corpore & anima non foret ſubſtantia per ſe, ſed per & propter accidens, videlicet per & propter temperamentum, quod eſt accidens: vel ſi mauis, plurium accidentium mixtio; quo nihil turpius, nihil falſius cogitari poteſt, cùm accidens non poſſit dare eſſe ſpecificũ ſubſtantiæ. Item ſi temperamentum foret anima humana, tunc forma interna & ſpe-

cifica hominis foret in materia, vt accidens in subiecto, quia anima humana est forma interna hominis, & temperamentum est in corpore hominis vt accidens in subiecto. Quod æquè falsum est ac prius, vt tyrones in philosophia agnoscunt.

His rationibus, omni exceptione maioribus, huius tertij erroris patroni ad incitas redacti, vt errori suo aliquod vel specie honestũ velum prætendant, duas hominis formas internas esse dicunt: quarum priorem esse temperiem qualitatum volunt, cuius considerationem ad Medicum pertinere aiunt: Medici enim partes sunt procurare tẽperiem qualitatũ, quippe quæ maximè confert ad sanitatem, in cuius instauratione & conseruatione Medicina tota versatur. Ac de hac priori formâ internâ intelligi cupiũt ea, quæcumque dicuntur de identitate formæ internæ hominis, & temperamenti. Secundã autem hominis formam internam esse animam rationalem aiunt, quam inuictis demonstrationibus coacti (vt iam vidimus) confitentur esse naturæ multùm diuersæ à temperie qualitatum. Ac huius formæ secũdæ, id est animæ rationalis contemplationẽ, censent Medici relinquendam esse Philosopho, cuius partes pro ingenioli nostri viribus hoc in opusculo agere conabimur. Verùm hîc plura de isto tertio errore dicere supersedemus, cùm dilucidè & solidè ex dictis (nisi me animus fallit) confutatus sit.

SECTIO QVINTA.

In qua quartus error circa naturam animæ nostræ examinatur, solidéque refellitur.

QVartus error circa naturam animæ nostræ est eorum, qui fugientes incommoda, quæ videbant nasci ex prauis antedictorum hominum super hac re opinionibus, agnoscunt quidem animam humanam esse ens finitum, imo & substantiam; hactenus omnia sanè. Sed dum eam esse volunt eiusmodi substantiam, quæ sit corporea, hac in parte absurdè errant. Hic obiter notato, duas esse substātiæ species (quod & supra innuebamus:) quarum alia dicitur corporea, quæ est subiectum crassiorum accidentium, v. g. quantitatis continuæ, figuræ, patibilium qualitatum &c. Alia vero dicitur incorporea, quæ subtilioribus tantùm accidentibus subiacet, vt sunt quantitas discreta, qualitates primę speciei &c. Nunc videndum est, quibus argumentis auctores huius erroris animam humanam esse corpoream credere ducantur.

Obiectio. Primam rationem sumunt à nomenclatura rei controuersæ, ac ita procedunt. Nomina quę imposita sunt formę essentiali hominis, quibusque exactissimi Philoso-

phi vtuntur, dum de eâ verba faciunt: genuino & proprio ſignificatu denotant corpus, puta halitum vel vaporem aëreum: atque hoc non tantùm in lingua Latina, ſed in Græca, & quod magis eſt in ipſa lingua ſancta, vt teſtantur hæc nomina, *anima, ſpiritus*, ψύχη, πνεῦμα צרנה *ruah nepheſoh*. Appellationes autem ſiue nomina rebus ipſis conuenire omnino rationi conſentaneum eſt: præſerim cũ à doctis ad res denotandas vſurpentur. Quid quod aliter cogitare eſt diligentiam Latinorum, ſapientiã Græcorũ & prudentiam Hebræorum in dubium reuocare, à quibus nomina, præſertim rei tantæ, temerè impoſita vel incõſideratè vſurpata nemo eſt (vti cenſeo) qui dicere auſus ſit.

Ad hæc omnia reſpondeo Verum eſt, nomina ſupra allata primariò denotare corpus, vt in obiectione poſitum eſt, & ſignificare formam eſſentialem hominis tantùm ſecundario, ſuperiùs in diſcuſſione indigitamentorum formæ ſpecificæ hominis ſatis apertè docuimus quare argumentum eſt inualidum. Nam vt nomina ſæpenumero rebus conueniunt, ita non infrequenter rebus minimè congruunt, quod in multis linguis ad manum docere eſt. Quod in vnâ linguâ ſignificat hoc, id in aliâ linguâ notat huius cõtrariũ, hinc Latinis *calidum*, notat primariam ignis qualitatem, Britãnis verò noſtris primam aquæ qualitatem, huic ignis qualitati contrariam, vis, verbo hoc edo- Reſponſio

ceam? adi cœlos, ibi videas licet, nomina constellationum minimè ijs congruere, quamuis ad hoc etiam à doctissimis vsurpentur. Causa huius rei est, primi nominum impositores (vt superius monebamus) fuerunt vel homines rudes, ac ideo cuique rei nomen adaptare propriũ, parum solliciti; vel homines erant alioqui rerum valde callentes, sed inopiâ verborum ita laborabant, cum numerus rerum longe superet numerum vocum, quamuis multę res pluribus gaudent appellatioibus. Vt, quando nomina rebus dabant, cum nomen proprium non haberent ad manum, è vicino accipere mutuò, vtcumque minus proprium, & rei quam nominare volebant, imponere coacti fuerint. Et hoc euenit in multis rebus, pręcipuè verò in eis quæ sublimioris naturæ, ac proinde à sensibus nostris remotiores sunt, cuiusmodi sunt forma specifica hominis. Interim tamen non desunt nomina formę humanę, quę ei potissimum adaptari solent. quæque nullo modo corpus denotant vt sunt, intellectus
neschanma ita satisfactum puto primæ objectioni.

Secundò quidam sic contendunt, animam humanam esse corpoream, pœnæ, flagitiorum, quas luit anima nostra separata à corpore suo crasso, sunt huiusmodi quæ infligi solent corpori: qui enim id, quod non est corpus, vri igni, laborare siti, pati tormen-

ta, affici molestiâ tenebrarum &c. potest? quæ omnia anima separata misera ferre dicitur.

Ad quod repono. Verum est dici de anima eam eiusmodi pati pænas, sed minus propriè & ἀκυρῶς: animæ autem malorum, vti cacodæmones, luunt pænas, quales eiusmodi naturæ ferre possunt, non verò corpori debitas: cuius generis sũt eæ, de quibus iam. Interim tamen, ob inopiam vocabulorum, pænas animæ vtcumque pænis corporis delineare cogimur, siue terminis à corpore sumptis. Et id non tantùm in hoc negotio accidit, sed in multis aliis vsu venit. Obiectio.

Tertio sic vrgent. Si anima rationalis est immaterialis, quo pacto fieri potest, vt sit forma & principium nutritionis, cum immaterialia & cælestia exhibeant tãtum vim nutriendi & alendi materialibus & caducis, minimè vero sunt forma & principium nutritionis? Responsio.

Respondeo negando animam rationalem esse formam ac principium nutritionis: sic enim reuerâ materialis foret. Interim tamen dico, animam imperare nutritioni, eamque moderari, quod potest fieri sine incommodo animæ, licet sit immaterialis. Et sic anima rationalis potest quodammodo dici nutrire corpus, quamuis non sit nutritionis principium: prout sol dicitur generare viuentia, licet non sit forma vel principium generationis, eam tantum mode- Obiectio.

rando & ordinando.

Obiectio. Quarto obiiciunt ſic. Eſt mutua paſſio, inter animam & corpus : v. g. pudore facies fit rubra, timore pallida &c. Item febri delirium patitur anima &c. hæc autem paſſio mutua ſine tactu mutuo fieri nequit: tactus verò mutuus niſi inter duo corpora impoſsibilis eſt. Quare à primo ad vltimum animam humanam eſſe corpoream neceſſe eſt.

Reſponſio. Cui obiectioni ſic reſpondeo, primùm negando mutuum vllum tactum inter animam & corpus: anima enim hominis nec tangitur à corpore, nec ab eo patitur : Nam in febri, phrenesi, ebrietate, &c libera anima noſtra ab omni paſsione & immunis manet. Quod ſi aliquando animam noſtrã à corpore pati audimus, dico id καταχρηστικῶς & ἀκυρῶς minuſque propriè de anima humana dici, nimirum reſpectu ſpirituũ, ideſt ſubtiliorum ſanguinis partium in venis, neruis & arteriis contentarum, quibus vt organis ad multas operationes ordinariè vtitur anima noſtra: Qui ſpiritus, febri, ebrietate &c. interdùm ita turbantur, vt iis commodè anima vti nequeat. Atque hinc eſt, quod anima noſtra pati dicatur. Verum hæc paſsio abuſiuè de animâ noſtrâ dicta à doctioribus, vt à vera & reali paſsione, diſtinguatur paſsio intentionalis vocari ſolet. Ratio nominis eſt hæc. Imagines ſiue ideæ rerum, quæ miniſterio prædictorum ſpiri-

tuum animæ offeruntur, sæpius intentiones appellantur. Quare cum anima nostra has intentiones à prædictis spiritibus iam febri nimirum vel ebrietate &c. turbatis oblatas accipit, intentionaliter pati dicitur, licet reuera omnis pasſionis, quæ à corpore venit, expers ſit. Nihilominus, quamuis anima nec tangatur à corpore, nec ab eo patiatur: ea tamen tangere corpus & id pati facere dicitur. V.g. timore facies pallet, pudore rubet &c.

Verum vt ſcias quo pacto animam tangere corpus dicimus: hic duplicem mecum eſſe tactum noſcas oportet: quorum prior eſt ille, qui communiter dicitur quantitatiuus, qui non fit niſi inter duo quantitate ſcilicet continuâ prædita, ideſt inter duo corpora: quando nimirum ſuperficies vnius corporis admouetur ſuperficiei alterius corporis, quod nequit fieri ſine mutua paſsione, quæ tamen modò minor, modò maior eſt. V.g. cum manus tangit menſam &c. hic tactus quantitatiuus nullo modo competit animæ noſtræ. Secundus tactus dicitur poteſtatiuus, qui fit ſola poteſtate & virtute tangentis, ac proinde ſine vlla tangentis paſsione. Exemplum huius tactus poteſtatiui habes in corporibus cæleſtibus, puta cælo, ſole, luna &c. quæ tangunt hæc inferiora poteſtate ſuâ nimirum, ipſæ autem ab iſtis intacta manent & ab omni paſsione libera. Sic poteſtate ſua, vel tactu poteſtatiuo ani- Duplex tactus.

ma nostra tangit corpus suum: non tamen tangitur ab eo, nec patitur.

Obiectio. Deinde tale vrgent argumentum corporeitatis animæ assertores. Corpus cognoscitur ab anima. Ergo anima est corporea: nihil enim cognoscitur nisi à simili.

Responsio. Ad quod respondeo argumentum nihil valere; quippe cuius contrarium verum est. Nam hoc ipso, quod anima nostra corpus & materiam cognoscat, necesse est non solum corporeitatis & materialitatis expers sit, sed & ab omni determinatione immunis fiet: alioqui vnam tantum rem intelligere posset, nimirum eam rem ad quam forer determinata. Exemplo res sic fiet clara. Oportet pupillam oculi esse vacuam omni colore, vt in sese recipiat species diuersorum colorum: idest, oportet, vt sit libera à determinatione, alioqui nihil videret, nisi eam rem ad quam foret determinata: & sic cum pupilla est rubore suffusa, omnia ei apparent rubra, quia nullius alterius coloris speciem potest recipere, dum ita afficitur. Ratio, quod recipiens debet esse denudatum natura recepti in materialibus, ea est, quia nimirum materialia obstruunt, vt vel hinc discas, quod si splendidum aliquid coloratum fixè intueris & inde ad aliud conuersus, nihil vides recte. Cum autem immaterialia non obstruant, frustrà sunt, qui argumentantur animam humanam, vt comprehendat immaterialia, debere esse non im-

Nota.

materialem, æque ac vt comprehendat materialia, debet esse non materialis, ac ita nec materialis, nec immaterialis erit. Frustra (inquam) hi sunt. Cùm hoc dictum, *recipiens debet esse vacuum recepto*, verum sit tantum in materialibus quæ obstruunt, non vero in materialibus, quæ non obstruunt. Quod vero attinet ad illud axioma philosophicum, quod *Nihil cognoscitur nisi à simili*, sana mente intellectum dico esse verissimũ, ac sic aio animam humanam non solum esse similem iis rebus quas intelligit, sed insuper esse vnã & eandẽ cũ iis. Non quod sit eiusdẽ cum illis naturę, sed quod earum sibi format quasdam imagines, quas in se recipit, ac sic tanquam formas nouas (vt ita loquar) induit: vnde vulgo dicitur, intellectus est omnia, idest, obiectiuè, recipiens nimirum in sese imagines rerum intelligibilium.

Prolepsis obiectionis aduersariorum.

Insuper sic argumentantur nonnulli pro animæ humanæ corporatura. Anima nostra cum sit res creata, necesse est, finita sit. Creaturam autem esse infinitam impossibile est, quia facta est: nam factum omne non habet perfectionem omnem possibilem, quum careat hac perfectione præcipuâ, nimirum vt sit ens à se ipso existens, & ens in sese necessarium, est enim à Deo & per eius voluntatem: ac proinde non esse necessaria, itaque finita, & consequenter (inquiunt) limitata & circumscripta terminis, quarè & quanta erit, cum nihil circumscri-

Obiectio

batur terminis vel extremis, nisi quantum. Iam si anima erit quanta, erit continua, ac consequēter corpus omne quantū continuū primario dictum est corpus. Ergò à primo ad vltimum cū anima sit finita, erit corpus.

Responsio

Ad quæ omnia sic repono. Animam humanā esse finitā, tanquā id quod est verissimū, agnosco imorationesprolatasab aduersariis pro finitudine animæ libenter amplector. Nam anima nostra, prout omne ens positiuum, nominatim spiritus, vt est Angelus & anima humana, habet essentiam certis suis terminis limitatam, licet eius essentia siue natura non sit circunscripta terminis ad modum corporis, idest non sit extensa per tres dimensiones, puta longitudinem, latitudinem & profunditatem. Vbi obiter vides distinctionem inter finitum & extensum.

Nota

Quin etiam, quod magis est, dico animam humanam non solum esse finitam, sed etiam mensuratam & quantam: interim tamen esse corpus propterea meritissimè pernego, nisi corpus sumatur pro substantia omni, in genere, idest pro ente omni per sese subsistente, prout sumi solebat à nonnullis antiquis, non solum ethnicis, sed etiam Christianis Patribus, sicut scripta eorum etiam num testantur: nam hi omne ens per se subsistens vocabant corpus, nominatim ipsum Deum & Angelum sic aliquando nominabant. Alioqui corpus strictè sumptum, & in significatione propria

est ſubiectum molis, extenſionis, & aliorum craſſiorum accidentium. Hoc pacto anima humana nullo modo corpus dici debet: nam non eſt ſubiectum craſſiorum accidentium, vt omnes fatentur. Cæterum anima noſtra eſt finita finibus extremis ſiue terminis, non molis & extenſionis, ſed eſſentiæ & naturæ ſuæ: vt & dici poteſt quanta, non quantitate extenſionis, ſiue externa & dimenſiua quantitate ac ſenſibili, vt loquuntur: ſed quantitate perfectionis interna & intelligibili, quæ nihil aliud eſt, quàm ipſa perfectio & valor rei. Sic res quo perfectior erit, eo magis erit quanta dicenda. Atqui gradus perfectionis in re ſunt inſtar partium quantitatiuarum. Itaque res quæque poſitiua à Metaphyſicis interdum dicitur eſſe quaſi quanta, latè nimirùm ſumpto nomine quantitatis. Item cum dicunt iidem Metaphyſici; omne ens poſitiuum eſſe menſuratum: nolunt illud menſurari menſurâ molis ſiue extenſionis, ſed aliâ menſurâ longe diuerſa, putà menſura eſſendi & cognoſcendi. Atque hoc pacto Deus dici poteſt menſura omnium poſitiuorum entium, cùm ſit cauſa, menſura ſiue regula omnium eorum eſſendi & cognoſcendi, *à quo enim eſſe ab eodem cognoſci*.

Prioribus obiectionibus quidam addunt hanc inſtantiam pro corporatura animæ humanæ, atque inquiunt. Anima humana eſt eiuſdem naturæ ac conditionis cum Obiectio.

reliquis animabus, saltem non habet naturam, ab aliis valde diuersam, cum actuet, id est vegetet & animet corpus naturale &c. vt faciunt aliæ animæ. Alias verò animas esse corporeas probatur; quia sunt materiales: materiale autem omne corporeum.

Responsio. Huic argumento sic respondeo. Ac primùm; quod ad illam partem argumenti attinet, in qua ponitur animam rationalem esse eiusdem naturæ cum aliis animabus: nego eam esse veram. Causam autem negationis in sequenti sectione fusius explicatam videbimus. Quare nolo hic quicquam anticipare. Sed dato, non concesso; animam rationalem esse eiusdem naturæ cum aliis animabus: quid inde sequitur, eam esse corpoream, prout illæ sunt. Verum pernego illas esse corporeas, vel corpora. Nec quicquam facit quod sint materiales, idest è materia emergant, & non nisi ope materiæ operentur ac non extra materiam subsistant: nam materiale non statim est corpus, cum ipsa materia quâ talis, non sit corpus. Itaque illud tritum. *Pars corporis est corpus*, intelligi debet de partibus integrantibus corporis, non autem de partibus essentialibus, cuiusmodi sunt materia & forma. Nam materia qua talis, id est quæ semper est pars essentialis altera corporis, vt materia prima, nunquam est corpus. Nec magis mirum videri debet, dari materiam primam

primam, quæ nunquam ſit corpus, vel materiatum: quam primam efficientem, quæ nunquam ſit effectum: vel primum finem, qui nunquam ſit finitus. Quare cum ipſa materia qua talis, non ſit corpus, multo minus forma erit corpus. Alioqui daretur progreſſus in infinitum. Quod vt interim alias rationes omittam, vel hinc diſcas, ſi forma eſſet corpus, vel materia foret corpus: tunc huius materiæ vel huius formæ, quæ eſt corpus, alia daretur materia, alia forma: cum quodque corpus, ſuam habeat materiam & ſuam formam. Quare nulla forma poteſt eſſe corpus, ne dum anima, quæ formarum naturalium eſt princeps & omnium minimè anima humana, quæ omnes alias non ſolum dignitate præit, ſed & ab omnibus aliis naturæ longè diuerſæ eſt & iis eminentioris. Ac ſic reſponſum ſufficienter obiectionibus pro corporatura animæ putamus.

Verum aduerſarij repulſis ita argumentis ſuis ex philoſophia hauſtis, ad libros ſacros confugiunt, è quibus loca quædam excerpunt, quæ pro ſuæ opinionis firmamento facere opinantur.

Sic igitur diſputant ex *Epiſtola Pauli ad Corint. priori cap. 11. v.* 44. Vbi Apoſtolus ait, eſſe corpus animale & corpus ſpirituale: Ergo (inquiunt) cum ſit corpus ſpirituale, oportet vt ſit ſpiritus: nihil enim eſt ſpirituale niſi ſpiritus, ſicut nihil corporale niſi Obiectio.

corpus. Anima autem non solum est spiritualis, sed & spiritus, vt in confessoest.

Responsio. Respondeo. Verissimum est animam esse spiritualem, putà substantiam vel spiritum: omne tamen quod dicitur spirituale, non est statim spiritus: non magis (inquam) quam omne quod vocatur animale, non est statim animal. V. g. corpus quod vocatur spirituale ab Apostolo, non magis est spiritus quam est animal: nam & corpus vocatur animale ab Apostolo eodem: corpus autẽ esse animal nemo, quod sciam, hactenus dixit. Cæterùm aliud est dicere, aliquid est spirituale, & aliquid est spiritus: vt & aliquid est corporale, & aliquid est corpus. V. g. *Epist. ad Romanos cap. 7. v. 14.* Apostolus vocat legem spiritualem: & quis inde inferet, ergo lex est spiritus? Ita idem Apostolus ait *Epistola ad Coloss. cap. 2. v. 24* plenitudinem deitatis habitare in Christo corporaliter: nemo tamen inde concludet Deum esse corpus. Sic *Epist. ad Rom. cap. 6. v. 6.* Apostolus ait, corpus peccati: Ergo ne peccatum erit corpus? & ibidem *v. 7.* dicit, sapientiam carnis: ergo ne caro est rationalis vt sapiens sit? Quare inuestigandum est quid intelligat Apostolus per corpus spirituale. Itaque Apostolo illud corpus est spirituale, in quo omnis fragilitas & terrena sordities mutata & conuersa est in stabilitatem & puritatem cælestem. Contra illud corpus, in quo facta non est eiusmodi mutatio, vocat

Apostolus animale Vel sic explicabis Apostoli mentem. Corpora nostra in hac vita dicuntur animalia siue ψυχικὰ, quod anima sola vegetentur & præcipuè regantur. In vita verò futura post resurrectionem corpora nostra dicentur spiritualia & πνευματικὰ; quod non tantum anima, vt prius, vegetantur, sed vnà cum anima spiritu Dei efficacius multo vegetantur, & absolutius reguntur.

Deinde afferunt ea loca scripturæ, vbi anima dicitur sanguis: sanguis autem est corpus; ergo & anima, ac non tantum animæ aliorum viuentium, quò solum tendere videntur loca *Genes. cap. 9 v. 40. cap. 7. v. 14.* &c. vnde illud τὸ αἷμα ἀλλῶν ζώων, ἡ ψυχὴ αὐτῶν ἐστι, ideo in lege toties prohibetur edere carnem cum sanguine suo. Sed & anima humana etiam sanguis dicitur, vt constat ex c. 2. v. 5. Genes. vbi anima hominis verbis apertis sanguis nuncupatur. Obiectio.

Ad quæ sic respondeo; Verba hæc scripturæ non esse absolutè & ad litteram accipienda, vel fatentibus ipsis aduersariis, nā licet iis locis scripturæ conentur probare animam esse corpus, sanguinem vero eam esse: non tamen putant cùm dicunt eam esse halitum aërium dispersum per totum corpus vnà cum sanguine, ac ita animam dici sanguinem volunt per metonymiam, qua continens ponitur pro contento, vt loquuntur rhetoricæ magistri: nam sanguis Responsio.

est animæ vehiculum & sedes. Quod & ipse scripturæ textus innuere videtur, vbi dicitur animam esse in sanguine. Nos ergo, bona aduersariorum venia, dicimus, cum hæc loca scripturæ sint metonymicωs accipienda, non demonstrare animam esse corpus, quando non absolutè probant, vel ex mente aduersariorum, animam esse sanguinem: nam, anima est ἄναιμα, licet ἐν τῷ αἵματι habitet. Olim vulgo credebatur animam, cum sit spiritus, non posse habitare in sicco: hinc in sanguine habitare dicta est. Vnde illud *sanguis est sedes animæ, fons spirituum, nutrix vitæ.* Item illud *purpuream vomit ille animam*, hinc etiam πορφύρεος θάνατος dictus est. Sed contra mentem philosophorum, qui nos cum experientia docent animam siccam esse prudentiorem, ac ita potius dici debere animam habitare in sicco, quam in sanguine.

Instantia. Sed vrgent quidam, consumpto sanguine extinguitur vita & anima auolat, quare anima videtur esse sanguis.

Responsio. Respondeo, consequens nihil valere, & causam negationis sic exemplo claram facio. Consumpto oleo extinguitur lumen candelæ, non tamen inde sequetur, lumen esse oleum. Item præcipui humores & præcipua membra sunt necessaria ad vitam, non tamen dant vitam. Quare licet consumpto sanguine extinguatur vita, non tamen est author vitæ, itaque non anima.

Vltra alij sic pro corporeitate animæ humanæ ex sacra pagina argutantur Paulus *1.Cor.c. 4. v.6.* vocat animam hominē internum: ergo (inquiunt illi) anima est corpus, quia homo non potest esse sine corpore.

Respondeo interdum corpus vocari hominem per synecdochen, vt dicunt Rhetores, nimirum cum pars sumitur pro toto. Vnum quodque autem dicitur sæpius esse illud quod in eo principalius est. Vnde cum secundum veritatem & iudicium principalius in homine sit anima, sæpius pro homine vsurpatur, sicut ex multis sacræ scripturæ locis colligere est, vt interim taceam de aliis authoribus. Sed secundum apparentiam & sensus principalius in homine est corpus cum suis sensoriis externis, vnde vulgus sæpissimè vocat corpus hominē. Hinc distinctionis ergò, anima dicitur homo interior: corpus verò exterior. Responsio.

Denique nonnulli contraria rem aggrediuntur via, vt probent animam esse corpus. Anima (inquiunt) non est spiritus. Ergo est corpus, cum sit substantia. Eam autem non esse spiritum constat ex sacra scriptura, aiunt nominatim ex *cap.9.v.4. Epist. ad Hebræos*, vbi Apostolus ait, verbum Dei esse gladium diuidentem spiritum & animam, Quo loco vides (inquiunt) spiritum & animam distingui, Item ad sententiæ suæ firmamentum adferunt textum, ex *Epistola priori ad Tessalonicenses cap.1. vers.23.* Vbi spi- Obiectio.

ritus,& anima,& corpus seorsim nominantur,tanquam partes integrantes ὁλοκληρῦ hominis, vt voce Apostoli vtar. Adducunt etiam textum illum ex adiectionibus ad Danielem,vbi hæc habentur verba. *Spiritus & animæ iustorum laudate Deum.*

Responsio. Respondeo,licet nomina diuersa his locis ponantur, tamen diuersitas nominum non arguit diuersitatem substantiarum: si quidem non vtique tot sunt substantiæ diuersæ, quot nomina diuersa, cùm vna eademque res possit plures habere appellationes. V.g. vna eademque res, puta pars cæli lucens dicitur, stella, sydus, astrum. Quamuis enim numerus vocabulorum non respondeat numero rerũ, vt satis euincit homonymia passim obuia: hoc tamen non impedit, quo minus vna & eadem res diuersa, imo multa habeat nomina, prout ex iam allato exemplo constat. Interim taceo,quod locus ille ex adiectionibus ad Danielem est apocryphus, vt reliqua harum adiectionum. Cæterum Apostolus illo loco ad Hebræos, vti & in illo ad Thessalo. per spiritum intelligit rationem & intellectum, per animam vero voluntatem vnà cum affectionibus & aliis inferioribus potentiis. Vel sic mens Apostoli potest explicari. Apostolo pars hominis nobilior,quatenus communicat Angelis, dicitur spiritus, quia re vera est spiritus:quatenus vero eadem pars communicat formis specificis plantæ &

belluæ, dicitur anima: operatur enim per corpus & propter corpus multa, vt formæ belluæ & plantæ omnia per & propter corpus faciunt. Hîc ergo ab Apostolo pars nostri nobilior, quatenus operatur cum corpore, dicitur anima: quatenus vero sine corpore, dicitur spiritus. Hæ omnes explicationes verborum Apostoli eodem recidunt. Denique nonnulli sic verba Apostoli interpretantur. Animæ conueniunt omnia quæ sunt congrua naturæ partis nobilioris in homine: spiritui verò ea quæ sunt supra naturam. Quare pars hominis princeps in puris considerata naturalibus dicitur anima: supercælestis vero gratia renouata vocatur spiritus. Non ergo ex verbis hisce scripturæ sequitur spiritum & animam esse diuersas substantias.

Iam postquam secundaria aduersariorum tela, quæ ex sacris scriptis depromunt, æquè ac argumenta ex Philosophiæ sinu excerpta retudimus: reliquum est videamus, quā sit absurdus & impossibilis error eorum, qui animam nostram esse corpus malè autumant. Quod sic primùm facere nitemur. Si anima nostra esset corpus, vel foret corpus crassum, siue solidum (hæc duo vocabula promiscue hic sumo:) vel foret corpus subtile, siue tenue: Non prius, cùm corpus quodque solidum habeat suum locum proprium; quare si anima esset corpus solidum, sequeretur duo corpora solida, puta

Probatur, animam non posse esse corpus primò,

animã, vnum corpus ſolidum, & illud alterum quod informatur ab anima, eſſe in vno eodemque loco, vel ſaltem alterum eorum eſſe ſine loco. Alterutrum dixeris æque eſt abſurdum, vt norũt Philoſophiæ candidati, nam omnino impoſſibile eſt corpus eſſe ſine loco, vel duo corpora eſſe in eodem loco proximo. Deinde anima vadit per ſingula corporis membra, quod non poſſet facere, ſi eſſet corpus ſolidum, ſine penetratione dimenſionum, quam fieri ab anima, dum corpus permeat, nullus hactenus dicere auſus eſt: ſiquidem penetratio dimenſionum reiicitur, tanquam impoſſibilis, ab omnibus iis qui quid ſiet norunt, vt hoc παρέργως, penetratio dimenſionum tum fieri dicitur, cum corpus aliquod ſolidum occupat totam quantitatem alterius corporis ſolidi ſecundum tres dimenſiones, puta, longitudinem, latitudinem & profunditatem. Nunc cum anima humana nequeat eſſe corpus ſolidum, vt ex hac vnica vel altera demonſtratione conſtat: ſequitur vt perſpiciamus nũ vllo modo corpus eſſe queat; quod hoc pacto faciemus. Si anima eſſet corpus vllo modo, vel foret cæleſte, vel ſublunare. Si cæleſte eſſet corpus anima naturaliter motu ſucceſſiuo ſemper in circulum rotaretur, nec vllum alium haberet motum, prout corpora cæleſtia nullum aliũ habent. Sin autẽ eſſet corpus ſublunare, moueretur naturaliter cum ſucceſſu, vel ſurſum à centro vni-

Penetratio dimenſionũ

uerſi, ſicut leuia corpora; vel deorſum ad cẽtrum, ſicut grauia, vt locum ſuum adipiſcantur. Verum animæ humanæ motiones naturales longè aliter fieri quotidie experimur: nam quoquo verſum momento ad loca quàm maximè diſſita fertur, modò ſe demittẽdo ad ima terræ, modò ſupra cælos ſeſe attollendo; quare neceſſe eſt diuerſæ naturæ anima noſtra ſit à corporibus. Diuerſitas autem effectorum ἀμεσῶν naturalium arguit diuerſitatem cauſarum naturalium immediatarum, vnde hæc effecta procedãt: ſic Philoſophi arguunt cælum eſſe diuerſæ naturæ à corporibus ſublunaribus, quia diuerſum habet motum naturalem à motu ſublunarium. Pariter iidem Philoſophi docent, leuia corpora eſſe alius naturæ quam grauia propter diuerſos motus naturales. Quam vera ſit hæc Philoſophorum ὑπόθεσις, ponentium motum circularem naturalem cælo, & motum rectum naturalem ſublunaribus ipſi viderint, cum non ſim neſcius ab acutioribus & magis ingenioſis motum vulgo vocatum rectum dici, non eſſe ἁπλῶς φυσικὸν, ſiue deorſum, ſiue ſurſum fiat, ſed ex defectu accidere corporibus, quo nimirum corpora extra ſuum locum in eum relabi conantur: nec eſſe ſimplicem, ſed eſſe quaſi compoſitum ex circulari ſurſum & deorſum incitato, vti comminiſcuntur, ac proinde vnicum eſſe motum ſimpliciter & abſolutè naturalem omni corpori tum ſub-

lunari, tum cælesti.

Interim, vt vt hæc scita Philosophorum se se habent, argumentatio rite procedit, quia per eam probatur ex diuersis operationibus vel motibus naturalibus res diuersos motus vel operationes habentes esse diuersarum naturarum. Ad hæc dico, cùm nullum corpus à seipso moueri possit, necesse est habeat mouentem à seipso diuersum. Quare cum anima moueat corpus, necesse est vt sit diuersum quid à corpore. Non est accidens, vt supra vidimus. Ergo substantia est diuersa. Et si anima est corpus, vnde mouebitur anima, cum omne corpus sit mobile, à se ipso non poterit si est corpus. Quare necesse est anima sit diuersæ naturæ à corpore.

Superioribus adde hanc inuictam demonstrationem. Composita quæque naturalia sub eodem genere contenta conueniunt quoad materiam, idest quo ad corpus: distinguuntur vero essentialiter & specifice quo ad formas internas & specificas. Ergo formæ quibus res specifice distinguũtur, sũt diuersæ naturæ à corpore in quo res conueniunt. Hæc vero forma interna in homine est anima rationalis. Ergo oportet hominis animã esse alius naturæ à corpore humano.

Denique vt omnia concludamus, dicere corpus brutum esse causam tot excellentiũ operationum, quas singulis momentis in homine videmus, est absurdissimum. Qui enim possunt à causa tam ignaua, ac est

corpus procedere, ad quarum maximam partem corpus se habet mere passiue, imo ad nonnullas nihil omnino contribuit, cum ex iis bona etiam pars sine adminiculo corporis fiant, quæ cum sint ab animâ, prorsus necessarium est animam esse non solum diuersæ naturæ, sed & longè nobilioris quam corpus. Ac ita sufficienter impossibilitatem quarti erroris siue corporeitatis animæ humanæ demonstratum credimus.

SECTIO SEXTA.

In qua refutatur quintus error insignis circa naturam animæ humanæ & veritas contra eum defenditur.

QVinti erroris fautores, præcedentes omnes opiniones de natura animæ nostræ peruersas reiiciunt, atque animam esse ens finitum per se subsistens & eiusmodi quod non sit corpus, idest esse substantiam incorpoream vltrò agnoscunt. Huc vsque omnia sanè. Sed cum animam humanam esse eiusdem prorsus naturæ cum anima belluina, hic vt mox videbimus turpiter errant. Verum vt hæc quæstio melius intelligatur, hic imprimis sciendum est substantiam incorpoream bifariam dici, vel esse

duarum ſpecierum: ſi quidem alia omnino pendet à corpore, quoad operari ac conſequenter quo ad eſſe: nam vnumquodque ita operatur naturaliter vt eſt, nec aliter quit: vnde principium hoc infallibile, *operationes naturales cuiuſque rei demonſtrant qualis res quæque ſit*, ſubſtantia incorporea dependens ita à corpore dicitur materialis, partim ob hãc omnimodam dependentiã à corpore, partim, vt ita dicã, quod è materia extrahatur: nunc non diſputo, vtrũ vt cõmunior philoſophantiũ calculus ſtatuit, emergat, ideſt è materiæ parte ſubtiliori excitetur in qua prius ſopita quaſi latebat nõ omnino diſpari modo, ac ignis latens in fomite ſuſcitatur: an potius (vt volunt exactiores) è potentia tantùm materiæ educatur ad cuius productionem materia concurrit vt paſſiua cauſa ſiue principium. Cæterum ſubſtantiæ incorporeæ à corpore omnimodo dependentes, id eſt materiales, ſunt non ſolum formæ internæ & ſpecificæ eorum, quæ mixta mere naturalia dicuntur, quæ formæ omnino immerſæ ſunt in materia: ſed quoque formæ internæ plantarum (quæ dicuntur vulgo animæ vegetantes quod non ſolum corpus mixtum informẽt vt priores: verum & id agitent) licet minus impuritati corporis immergantur, quam formæ internæ mixtorum mere naturalium, vti vocant; Quin etiam formæ internæ belluarũ quoque materiales vocitantur, quod immer-

gantur materiæ, quamuis non ita immerſæ ſint in materia, vt illæ priores: veruntamen cum nihil poſſint operari, niſi in corpore & per corpus, ſicut omnes concedunt & pro certo conſtat, atque conſequenter non poſſunt eſſe niſi cum corpore. Quia ſine quo aliquid operari nequit, ſine illo id aliquid eſſe nequit, præſertim cum totum eſſe alicuius in actione vel operatione poſitum ſit, vt eſt eſſe omnium formarum. Itaq; merito animæ belluarum æque ac animæ plantarum, ac formæ internæ mixtorum merè naturalium, licet non pari gradu, cum dependeant omnino à corpore quoque materiales dicantur, animæ vero belluinæ vocantur ſenſitiuæ, quod non tantum informent corpus, vt formæ mixtorum merè naturalium. Et quid vltra corporis informationem, non ſolum id vegetent, vt animæ plantarum, quas à corporis vegetatione vegetatiuas nuncupari diximus; ſed etiam bellua per animam ſuã ſentit, id eſt, rudiùs cognoſcit: deinde alia eſt ſubſtantia incorporea, quæ nec extrahitur è materia, vt prædictæ formæ, ſed longè aliam habet originem &, ſi quando materiæ vnitur, extrinſecus ei aduenit, quemadmodum ſuo loco videbimus: nec pẽdet à corpore vel materia per dependentiam omnimodam, vt illæ prædictæ formæ, quoad operari, cum ſine eo operetur: ac conſequenter neque quoad eſſe, quando vnumquodque, vt eſt, operatur

Nota.

naturaliter, vt supra dictũ, nec melius quit. Siquidem nulla res agendo superare potest sphæram actiuitatis suæ, vt loquuntur, & nullum effectum superat vim causæ suæ. Hæc secunda species substantiæ incorporeæ vocatur immaterialis, quod non è materia extrahatur, ac proinde nec materiæ immersa sit, nec dependentiæ omnimodæ de materia astringatur, vt priores illæ, quæ ob hanc dependentiam à materia & ex materia extractionem eique immersionem materiales dicuntur, vt iam sæpe inculcauimus: substantia incorporea immaterialis vocatur spiritus vel substantia spiritualis communiter, & est substantia pura & simplex à dependentia omnimoda de corpore immunis & libera.

Porrò dependentia formæ de corpore dicitur duobus modis, puta, subiectiuè & obiectiuè. Et forma dicitur pendere á corpore suo subiectiuè, quæ non operatur, nisi in eo & per id: quare extra id, vel sine eo non operatur: sic formæ corporum merè naturalium, nec non formæ internę siue animæ plantarum & belluarum pendere à corporibus suis omnino dicuntur, quia sine iis & extra ea nequicquam possunt. Pendere autem à corpore obiectiuè est pendere à corpore tanquam ab obiecto: Idque non tantum à corpore suo, sed & ab alio dum circa hoc vel id operatur: sic anima belluina dicitur pendere à corpore obiectiue cir-

ca quod operatur, dum id ſentit ſiue per ſenſum cognoſcit. Iam anima humana pendet à corpore ſuo primum ſubiectiue, quatenus nimirum id informat actioneſque varias per & propter corpus agit. Deinde quoque anima noſtra, pendet obiectiue à corpore ſiue ſuo, ſiue alio circa quod operatur, accipiens nempe ab eo ſpeciem ſiue phantaſma. Atque hoc non ſolùm dum id rudius, id eſt per ſenſum cognoſcit, ſed etiam anima humana pẽdet à corpore, tum ſubiectuè, tũ obiectiuè; dum res ſenſiles earũque ſubiecta, id eſt corpora ſingularia exactius noſcit, id eſt intelligit. Verum enim vero vltra prædicta opera, anima noſtra operatur multa ſine ope corporis vllius etiam cum in ſuo manet. Itaque in operatione ſua eiuſmodi non dependet à corpore vllo nec ſubiectiuè, nec obiectiuè. V. g. cũ intelligit Deũ, Angelũ, & hiſce vltimis operibus anima noſtra ſeſe manifeſtat eſſe talem qualis reuera eſt.

His nunc ita explicatis, dico quinti huius erroris patronos velle animam humanam eſſe eiuſdem prorſus naturæ cum anima belluina, id eſt eſſe ſubſtantiam incorpoream dependentem omnino à corpore, ac ita materialem. Argumenta ſumunt ab operationibus animæ humanæ. Bene profectò; nam ſicut ſuperius non ſemel declaratũ eſt, optime cognoſcimus qualis res quæq; ſit per operationes & accidẽtia, quæ á natura rei procedunt, cum res quæque operetur ſe-

Obiectio. cundum naturam sibi insitam. Disputant ergo sic. Quorum operationes sunt omnino similes, ea non possunt esse dissimilium naturarum. At operationes animæ humanæ, & operationes animæ belluinæ sunt prorsus similes. Ergo anima humana non potest esse dissimilis naturæ ab anima humana. Probant argumenti assumptionem, hoc pacto. Illustres illæ operationes naturæ humanæ, puta ratio & sermo, quæ putantur esse homini propriæ, etiam in belluis reperiuntur vel experientia clarum est, aiunt. Ratio autem nobilissima animæ humanæ operatio, qua scilicet vniuersales naturæ cognoscuntur, quaque per notiora rei minus notæ cognitio colligitur, qui progressus à notiori ad minus notum, communiter dicitur discursus & ratiocinium.

Quid ratio, discursus & ratiocinium

Hic obiter vides rationem esse non tantum vim quandam, qua anima humana resilit ab vna imagine in aliam, siue à cogitatione in cogitationem: qui certè successus simplex imaginationum siue cogitationum reperitur etiam in belluis: nam in anima belluæ vna cogitatio sequitur aliam; sed per rationem anima humana aliquid vltra præstat, non enim tantum transit ab vna cogitatione in aliam: verum etiam ex vna imaginatione deducit aliam & ex priori cogitatione nouam consequentiam inducit.

Nota. Hic scias velim, quum dico hominem vi rationis

vi rationis cognoſcere res vniuerſales &c. ſic intelligendum eſſe, hominem vi rationis rerum vniuerſalium cognitionem acquirere; non vero habere innatam ſibi vniuerſalium cognitionem propter rationem; nam ipſa principia vniuerſalia quæ vulgo dicuntur innata, non ita nobis ſunt cognata vt rei cõmodæ (vt ita dicam) notitia cognata, innata eſt belluis: illam enim habent nullo docente magiſtro. Sed hæc principia vniuerſalia dicuntur nobis innata, quia ea ſemel audita pro certis & veris agnoſcimus, iiſque aſſentiri naturali propenſione ducimur.

Iam (inquiunt) aduerſarij. Hæc ipſa cognitio vniuerſalium & ratiocinium ſiue diſcurſus competuant animæ belluinæ, & ſic ſententiam ſuam firmare nituntur; quotidie notamus belluas appetere hoc, & auerſari illud, quæ nunquam prius ſenſu cognouerant. Quod omnino videtur procedere à cognitione naturarum vniuerſalium rerum, quam habent belluæ. Item aiunt. Canis inter venandum it modò hâc, modo illâc vt inueniat veſtigium leporis quem capturit: & hoc videtur fieri per progreſſum à notiori ad minus notum, id eſt per diſcurſum, quare anima belluina erit etiam rationis capax, vt anima humana, ac proinde eiuſdem naturæ cum ea. Et conſequenter, cum anima humana non ſit diuerſæ naturæ ab anima belluina, erit etiam materialis &

dependens à corpore vt anima belluina.

Responsio ad primam instantiam.

Ad quæ omnia respondens dico, has instantias de ratione belluæ allatas, esse omnino frustraneas. Ergo & consequentiam inanẽ affirmo. Sed prius de priori. Affectus ille quo bellua appetit hoc & auersatur illud, nunquam prius sensibus obiectum, ne dum ei per sensus notum: nullo modo procedit ab vlla præuia proprie dicta cognitione, quam belluæ habent de naturis rerum vniuersalibus per rationem, sed solum ab innato instinctu vnicuique vel infimæ creaturarum à summo rerum opifice ab initio ei indito, quem instinctum sequitur inclinatio & propensio in creatura, per quam quæque creatura vel brutissima sine præuia vlla proprie dicta (vt innuebamus) cognitione propendet ad naturæ suæ commodũ siue sibi bonum, fugit & auersatur noxium sibique malum. Hic instinctus cum inclinatione hâc vsitatè dici solet appetitus innatus, supple cuique creaturarum, ὄρεξις ἔμφυτος. Item appetitus naturalis, qui vnico & proprio vocabulo dicitur, ἔφεσις vt appetitus animalis, de quo mox, vocatur ὄρεξις licet iuxta exactiores minus propriè. Nam si propriè loqui velis, secundum eos nullus appetitus est sine cognitione aliqua saltem rudi, quâ prorsus destitutæ sunt omnes res inanimæ, nec non plantæ: interim tamen si vim vocis spectes, to *appetitus*, est vox æquè generalis ac propensio vel incli-

natio; venit enim ab *appeto*, quod est moueo ad: simplex autem *peto*, id est, eo vado, vt omnibus notum. Non sum nescius à nonnullis dici appetitum, quem hîc vocamus mere naturalem, siue ὄρεξιν ἔμφυτον, procedere etiam à rudi cognitione, id est à sensu, quem in rebus omnibus vel brutissimis inesse volunt, sed cum distinctione sensus; alium enim vocant sensum conuenientis & contrarij, quo res quæque sentit vel percipit sibi conueniens & sibi contrarium. Eiusmodi sensum volunt habere res omnes. Alium vocant sensum delectantem & contristantem, atque talem sensum agnoscunt tantum esse in eo animante, quod nos vocamus animal, quo animal percipit id quod ipsum delectat, vel quo è contrario ipsum contristet. Quàm vere ab his nouatoribus hoc dicatur, non est præsentis instituti docere: solum hoc dicere hic contentus ero, me non posse à me ipso impetrare, vt in omnibus rebus inesse sensum credam: sic enim omnia forent animata, nam sine anima nullus sensus, atque ita lapis, metallum &c. haberent animam.

Obseruatio

Duplex sensus.

Cæterum si appetitus hic ἔμφυτος procederet à cognitione per rationem, plantæ etiam habere rationem dici possent, nam appetunt hoc vt suæ naturæ commodum, & fugiunt illud vt sibi noxium, & quod plus est mixta inanima appetunt hoc: ac fugiunt

Auctarium prædictæ responsionis ab incōmodo.

illud. Denique ipſa elementa bruta fugiunt ea, quæ ſibi nocere poſſunt, & appetunt illa quæ naturæ ſuæ maxime conueniunt: quare omnino iniquum fuerit dicere appetitũ hunc rei commodæ & fugam rei noxiæ in belluis procedere à notitia rerum vniuerſalium quæ ſit in belluis, magis quam in plantis, in mixtis inanimis, & in ipſis elementis, quas res nemo dixerit habere cognitionem vniuerſalium, ac conſequenter nec rationem vltra ὀρεξὶν ἔμφυτον.

Appetitus elicitus.

Eſt in quibuſdam creaturis, puta in cognitionis participibus, alius appetitus, qui dicitur vulgo elicitus, quia à cognitione, quam habet creatura de obiecto circa quod verſatur, elicitur: verum eæ creaturæ, quæ participant cognitionem, vel habent cognitionem hanc obiecti, tantum ſenſibus præſentis & ſubiacentis, vt ſunt ἄλογα ἄισθητα quæ cognoſcunt tantum obiectum rudiori modo ſub reſpectu nimirum ſibi conueniẽtis & grati, vel noxij & ingrati; vel habent cognitionem etiam obiecti abſentis à ſenſibus: & ſic intelligens creatura, puta homo cognoſcit obiectum ſubtiliori modo ſub reſpectu naturæ propriæ obiecti ipſius, nam hoc eſt opus rationis, vt iſtud ſit ſenſu: hinc dum ἄλογα ἄισθητα priori modo cognoſcunt, vulgo dici ſolent cognoſcere obiectum materialiter, & homo qui cognoſcit naturam ipſius obiecti, dicitur cognoſcere id formaliter.

Cognoſcere materialiter..

Appetitus qui naſcitur à rudi hac cognitione dicitur ſenſitiuus, quia tantum elicitur per ſenſum: & talis appetitus elicitus, eſt in belluis. Eſt & alius appetitus elicitus, qui elicitur à cognitione rerum vniuerſalium, id eſt à ratione: hinc dici ſolet appetitus elicitus rationalis, quem appetitum ſolus habet homo ex creaturis inferioribus. Cognoſcere formaliter.

Non me latet nonnullos eſſe qui nullum appetitum agnoſcunt præter rationalem. Sed male; quaſi non eſſet vllus alius modus cognoſcendi, niſi per rationem. Nota

Ex his vides manifeſtum diſcrimen inter appetitum elicitum belluæ, & appetitum hominis. Deinde belluæ ita neceſſitantur ab obiecto & diſpoſitione facultatum ad eliciendum actum appetitus ſenſitiui, vt permanente eadem potentia obiecti & diſpoſitione potentię, ſublatiſque impedimentis, non poſſunt bellue illum non elicere, nec poſſunt refutare quod amplectuntur, nec amplecti quod refutant. Homo vero in omnibus his eſt liber: nam non neceſſitatur obiectum illud cognitum amplecti, vel illud auerſari: ſed poteſt ita agere vel non, pro arbitrio ſuo.

Nunc ad ſecundam inſtantiam, dico, canem dum inter venandum hâc illâc it, donec inueniat veſtigium leporis quem capere ſollicitus eſt, non id facere per progreſſum à notiori ad minus notum, neque ab iſto no- Reſponſio ad inſtantiam de cane.

riori huius minus noti cognitionem colligit: siquidem canis inter venandum non secum sic computum init, lepus iuit hâc; ergo non illâc (quod est effectum rationis:) sed temerè & inconsideratè se vertit in omnes partes, & tantùm fortuitò in vestigiũ leporis incidit, quod adeo sollicitè inuestigarat, operâ odoratus, qua in excellenti gradu est prędítus. Hic non dissimulandum, multa fieri à belluis, quę aliquatenus adumbrant opera rationis in homine, vti cum aues nidulantur, vel cum contra vim venti se librant. Item formicæ summo labore congerunt cibum, aranea maximo artificio texit telam, apes mirâ industriâ cellulas mellis conficiunt. Ac hinc in sacra pagina pigri & stolidi iubentur ire ad bruta, vt ab iis saltem aliquatenus sapere discant, cum adeo hebetes sint, vt neque in sese descendant, neque Dei monitis obediant. In omnibus hisce belluis (vt vides) est cælestis quædam vis, per quam ad operationes sibi vtiles ac necessarias diriguntur. Verum quia iis, est extrinsecus hoc principium operationum, ideo ipsæ belluæ, cum ratione careant, quid agant dum operantur non sciunt: finem tamen ipsum desiderio prosequuntur hinc ereptis sibi paruulis vel diruto nido, eiulant ac conqueruntur. Iam licet multum sit similitudinis in multis operibus hominis & belluæ, parum aut nihil affinitatis inter illos intercedit: nam quæ belluæ faciunt, faciunt

beneficio ſenſuum,& mouentur ad operandum ab obiecto tantum, ſed homo agit per rationem mouens ſeipſum. Quare ex his belluæ operibus rationis opera in homine adumbrantibus non magis arguitur animã belluinam eſſe eiuſdem naturæ cum humana, quam cum per ſimplicem & perfectam cognoſcendi viam, puta definitionem qua cognoſcit homo res, adumbratur perfectiſſima & ſimpliciſſima Dei cognitio, qua Deus vnico intuitu cuncta cognoſcit: ſequitur animam humanam eſſe eiuſdem naturæ cum Deo.

Ac ſic ſolide & ſufficienter confutata credimus præcipua argumenta, quæ hactenus ab vllo (quod ſciam) pro ratione belluarum adducta ſunt. Itaque ad ſecundam nobilem animæ humanæ operationem veniamus, quam competere etiam belluis probare conantur. Ac primum ſic argumentantur aduerſarij. Belluæ nonnullæ loqui diſcunt, vt pſitacus, pica &c. Obiectio.

Reſpondeo, belluas quaſdam doceri proferre voces nonnullas articulatas, non tamen inde loqui dicentur, quia ad loquelam & ſermonem non ſufficit nuda prolatio, quamuis diſtincta vocum etiam articulatarum: nam à rebus artefactis articulata vox poteſt diſtincte proferri, ſicuti ſcimus fieri à mutis αὐτομάτοις, vt quoq; ab inanimis naturalibus: quę prolatio vocũ non magis dicẽda eſt loquela, quam Echo; ſiquidem ad loque- Reſponſio.

lã requiritur, vt vox distinctè prolata significet ex instituto & consilio proferentis, quod nequit fieri à belluis: nam consilium est vnum ex effectis rationis, ratio autem non cadit in belluas, vti iam demonstrauimus, sed belluæ proferunt verba sine intelligentia, idque vel temerè, vel iuxta occasiones consuetas. Quamuis enim belluam edoceas verba proferre, nunquam tamen verba destinato applicabit ad rem certam denotandam.

Quod hic dico de verbis, nempe ea sine intelligentia proferri per belluas, idem intelligas velim de gesticulationibus, quas à multis belluis disciplinæ capacibus fieri videmus, quæ etiam citra intelligentiam fiũt: nam belluæ quæ has gesticulationes faciũt, non magis eas sciunt, nec quare eas faciunt sciunt, quam verba quæ proferunt, intelligunt, quæ â belluis minime intelligi iam iam docuimus. Hinc per transennam inferendum est, belluas quum non agant ratione, nec sciant quid agant, non posse dici proprie peccare: & inde cum belluæ post aliquid mali ab ipsis perpetratum, vel pauperiem commissam, vt verbo Iurisconsulti vtar, plectuntur, ob id se puniri nesciunt.

Anticipatio Ex his iam dictis liquet, inanem esse obiectionem eorum, qui aiunt, si bellua calleret verba proferre, diceret se operari per rationem, cùm experientia cui ipsi tantum attribuunt contrariũ euincat: nulla enim bellua,

quæ hactenus verba pronunciare didicit, licet plures atque pluries verba fari edoctæ sint, vt psitacus, pica &c. quæ belluæ, si quæ vllæ, operationibus suis rationem maxime adumbrant: vel testimonio erit, non solum distincta vocum prolatio picæ, sed eius nidulatio &c. nulla (inquam) bellua verbis nobiscũ ratiocinata est, vel se exercere rationem in operibus nobis declarauit; quod procul dubio fecisset, si in illa fuisset vis rationis, vti volunt brutoλογίας assertores.

Verum post subuersa argumenta ex Philosophia & experientia simul petita, ad sacram paginam confugiunt, ac in ea errori suo patrocinium quærunt. Locus autem primus sacri textus, quem pro se facere putant, habetur *cap. 22. v. 23. & 24. libri quarti Mosis*, puta *libri numerorum*, vbi legimus Asinam Balaam loquutam esse & ratiocinatam cum Domino suo: inde colligunt aduersarij Asinam belluarum brutissimam (ergo multo magis subtiliores belluas) esse tum rationalem, tum loquacem, vt ita loquar, nam scio vulgo aliter hanc vocem vsurpari, idest vt vtrumque vocabulo vnico exprimam λογικόν. Obiectio.

Ad quod reponens dico, bonos hosce viros ad sententiæ suæ stabilitatem potuisse etiam laudare primum comma tertij capitis primi libri Mosis siue Geneseos, vbi legitur serpentem alloquutum esse mulierem Sed meminisse debebant, scripturam scri- Responsio.

pturæ esse prorsus consonã, nec sibi ipsi, vllo modo cõtradicere. Quare cum hæc ipsa scriptura, cuius illi loca prædicta pro se facere putant, nos docent belluas esse ζῶα ἄλογα & ἄφωνα, vti videre est *in Epistola Petri secunda cap. 2. v. 12. & 16.* In hoc posteriori versu loquens Apostolus de Asina Balaami, vocat eam ὑποζύγιον ἄφωνον: Itaque quærenda est explicatio loco numerorum, vt & loco Geneseos, quod sic facio *vers. 28. cap. 22. numerorum* hæc verba habentur. *Dominus aperuit os asinæ*, ministerio videlicet Angeli, qui mouit linguam Asinæ, vt loqueretur, prout dæmon mouerat linguam serpentis, vt loqueretur *Gen. cap. 3. v. 1.* nam (vti doctiores interpretes docent) diabolus ingressus serpentem & in eius ore quasi in organo certa via moto, colliso & modulato, vocem humanam, vt potuit, effinxit. Sic loquutio, de qua *in cap. 22. numerorum*, fiebat per organa Asinæ, sed ea apposite impellente Angelo ad vocem articulatam efformandum, qui Angelus per vicinum aerem supplebat id quod organis Asinæ deerat: Idcirco hæ voces, non ab Asinæ anima, sed à mouente extrinseco, puta Angelo in ore Asinæ efformabantur: sicut ab homine dum manu sua collidit labra & dentes alterius hominis, voces quædam stridulæ efformantur. Hinc vides hanc loquutionem non fuisse actionem vitalem Asinæ, cum non vi animæ vel vi phãtasiæ Asinæ, sed ab Angelo producta sit: in-

terim tamen, Aſina Balaami dicitur loqui, quia miniſterio oris eius loquutio facta eſt, ac ita ſerpens ſupra dictus eſt loqui eadem de cauſa. Quamuis neque hic, neque illa ſit cauſa totalis loquutionis, vt iam declaratum eſt: Nota obiter *actionem dici vitalem quæ fit ab anima, & recipitur in ea*: multominus fuit hæc loquutio actio vitalis Angelo, cum in aere & ore Aſinæ recipiebatur. Quare vides Aſinã (propriè loquendo) non fuiſſe loquutam, id eſt voce expreſſiſſe conceptum ſuum, cum non intelligeret quid eæ voces ore ſuo prolatæ ſignificarent. Ideo autem Aſina dicitur loquuta (vti iam ſuperius innuebamus) quia Angelus formauit vocẽ in ore Aſinæ, non ſine organis Aſinæ: quæ organa, vt & organa aliorum brutorũ ſunt ex ſeſe omnino inepta ad emiſſionem talis vocis, ſiue ad vocis articulationem. Nam vt alios defectus oris bruti, nominatim Aſinæ, nunc prætercam, ad loquutionem; hic eſt inſignis, os Aſinæ eſt longum & lateraliter apertum: itaque non poteſt aerem ab intimis progredientem colligere, & in dentibus collidere ac frangere, prout ad loquelam requiritur: ſiquidem aer totus à lateribus per rictum effluit: idcirco hunc defectum Angelus per aerem vicinum, vt & alia quæ organis Aſinæ deerant, ſuppleuit tenens aerem fortiter ne efflueret, deinde collidendo aerem in ore Aſinæ: & cum organa Aſinæ collideret, vocem articulatam ex-

Quid actio vitalis.

Quis Angelus per os Asinæ loquutus est.

pressit. Cæterum idem creditur Angelus, qui obstitit Balaamo in via armatus, & idẽ cuius ministerio vsus est Iehoua ad aperiendum os Asinæ vt loqueretur. Congrue autem bruta mens Balaami eruditur à brutissima bellua, & conuenienter castigatur vanitas harioli Balaami voce Asinæ, qui inter cætera omina ruditus Asinæ obseruare solebat: ideoque non fuit Balaamus attonitus voce Asinæ, quippe vt idololatra hariolus diuinare ex voce belluarum solebat, vel saltẽ ex voce dæmonis per belluam loquentis. Series enim historiæ Balaami satis arguit eũ fuisse hariolum idololatram, non verum veri Dei prophetam, licet in hoc præsenti negotio, verus Deus ei bonum Angelum apparere voluit & ipsum contra propositum suum benedicere Israeli coegit.

Obiectio.

His deiecti rationibus aduersarij, videntes se non posse probare λόγον animæ belluinæ, ac ita eius cum animâ humanâ identitatem, aliâ rem aggrediuntur viâ, qua nimirum cum anima belluina non sit λογικὴ saltem animam humanam esse materialem probare nituntur, quare & belluinæ similẽ. Primum autem telum, quod pro materialitate animæ humanæ opponunt aduersarij est hoc. Si anima humana non est materialis dependens prorsus à materia, & educta è materia: homo non erit dominus actionum suarum, non enim est habiturus principium voluntatis & raionis in se, quæ

poſſit libere operari.

Reſpondeo negando conſequens: nam homo non deſinit eſſe dominus actionum ſuarum, & liberè operari, cum in ſeſe habet principiũ internũ actionum ſuarũ omnium, quãuis eius anima ſit immunis à materialitate, tum quoad extractionem è materia, tũ quoad dependentiam de materia. De libertate vero, quam homo habet in ſuis actionibus, infra ſuo loco videbimus. Et hoc conſequens eſſe merito negandum vel ex anima πρωτοπλάστου quis non videat, cum Adamus eſſet dominus actionum ſuarum, liberè agens: interim tamen eius animam minime fuiſſe materialem, è materia extractam conſtat: quippe quæ corpori iam fabricato à creatore infuſa ſiue inſpirata fuit. Reſponſio.

Nec quicquam facit pro materialitate animæ humanæ, quod operationes facultatum vegetatiuæ & ſenſitiuæ omnino fiant per materiam ſiue corpus, cum id eueniat non à conditione animæ, ſed ipſa materia ſiue corpus in cauſa eſt: æquum enim eſt, has operationes fieri omnino per materiam ſiue corpus, cum eius gratia ſiue propter corpus fiant primario. Prolepſis.

Deinde ad ſacram ſcripturam ſe conuertunt aduerſarij, è qua vnum & alterum textum adferunt, quos pro identitate animæ belluinæ & humanæ facere putant. Primus textus è *Pſal.* 49. *v.* 21. vbi hæc habentur ver- Obiectio.

ba. *Animo siue intellegentia est similis brutis.* Deinde adducunt *ex Petri Epistola 2.cap.2. v.12.*Item *ex Epistola Iudæ.* In quibus locis hominem nequam esse instar belluæ dicitur.

Responsio

Ad quod respondeo, hæc omnia loca scripturæ esse intelligenda de affectionibus ἀλογοῖς & inordinatis, quibus imprudens & malus homo mancipatus sese similem bestiis reddit. Nullo autem modo mens spiritus sancti fuit hisce locis docere, animam humanam esse eandem substantiam cum anima belluina, quod cuiuis consulenti loca ipsa clarum est. Quare neque hoc pacto quicquam præualent aduersarij.

Atque hæc cuiuis moderato sufficiant, tum ad obiectionum confutationem, tum ad textus scripturæ explicationem, ac ita diluimus abunde argumenta præcipua, quæ à patronis huius quinti erroris ad identitatem animæ humanæ cum belluino probandam vrgeri solent: quare nos vltra progredientes falsitatem huius erroris inuicte demonstrabimus, & animam humanam esse naturæ plurimum diuersæ ab anima belluina perspicue docebimus. Argumenta autē sumētes ab operationibus animæ humanæ, prout supra ab aduersariis factum vidimus: & ita suis ipsorum telis eos penitus conficiemus. Sic ergo ab anima humana multæ fiunt excellentes operationes, quæ ab anima belluina fieri nequeunt. Et vt inci-

piamus ab iis actionibus, quæ ſunt quaſi rationis rudimenta, cuiuſmodi ſunt numerare, metiri, ponderare &c. nam quæ quæſo belluarum computat numerum ſtellarum, metitur profunditatem maris, ambitum cælorum, craſsitiem terræ &c. vel pondere certo vnius corporis examinat certam alterius corporis ponderoſitatem. Deinde quæ belluæ habēt cognitionem Angelorum naturarum vniuerſalium? Tertio quæ belluæ ex effectis inueſtigant cauſas rerum, & rurſus per eas cauſas perueniunt ad meliorem cognitionē effectorū? Hęc cognitio, ſcientia vocari ſolet, quæ licet in homine ſit valde admodum exigua, & non ſine multa fatigatione acquiſita: ea tamen eſt eiuſmodi, vt animam humanam diuinæ eſſe naturæ clarè demonſtret, quod & Philoſophus alicubi innuit.

Verum iam video aduerſarios inſtare & dicere; eſto conſtet animam humanam non eſſe eiuſdem naturæ cum belluina, prout nobiliores hæ operationes ſatis ſuperque demonſtrant: ſed tamen forte non inde ſequitur, animam humanam eſſe naturæ prorſus & in totum diuerſæ ab animâ belluina, ac proinde nec immaterialem, nec independentem à corpore, quemadmodum (inquiunt) ex excellentibus animæ belluinæ operationibus demonſtratur, animam belluinam eſſe longe excellentiorem anima plantæ, nec eiuſdē omnino naturæ cum ea

non tamen propterea animam belluinam esse prorsus diuersæ naturæ ab anima plantæ vllus hactenus putauit.

Quare ergo incumbit nobis demonstrare animam humanam non tantum esse eiusdē naturæ prorsus cum anima belluina, sed etiā esse naturæ omnino & in totū diuersæ ab ea, quod sic facimus. Quod non est prorsus dependēs à corpore nec obiectiuè, nec subiectiuè, ac consequenter est immateriale: id est naturæ prorsus diuersæ ab eo quod est omnino pendens à corpore tum obiectiuè, tum subiectiuè, ac proinde materiale (supra docuimus pendens omnino à materia esse materiale, & contra non pendens omnino à materia, esse immateriale, quare non hic repetendum.) Hæc autem ab omnibus agnoscuntur pro speciebus proximè diuidentibus substantiam incorpoream & diuersè inter se oppositis. Iam anima humana non pendet prorsus à corpore neque obiectiuè, neque subiectiuè, quare immaterialis. Sed anima belluina pendet omnino à corpore tum obiectiuè, tum subiectiuè, quare materialis, quod nemo negat. Ergo anima humana est naturæ prorsus diuersæ ab anima belluina. De veritate maioris in hac demonstratione nullus dubitat, nec vlla est de ea controuersia: omnes enim sciunt materiale & immateriale esse naturarum omnino diuersarum. Quod ad minorem attinet, cuius altera pars, puta, anima belluina

luina pendet prorſus à corpore, quare materialis eſt: nunquam venit in litem. Quin etiam ex ſequentibus patebit. Itaque reliqua eſt prior pars minoris, de qua controuertitur, probanda, hæc nimirum: Anima humana non pendet omnino à corpore, neque obiectiuè, neque ſubiectiuè, itaque immaterialis: Cuius probationem ſic inſtituimus:

Omnis cauſa naturalis dependens omnino à materia tantum operatur actione directa, vt patet ex nobiliſſima operatione nobiliſſime cauſæ omnino dependentis à materia, puta ex ſenſu animæ belluinæ, quo cognoſcuntur obiecta operatione directa: primum enim ex obiectis ideæ rerum ſingularium extractæ recipinntur in ſenſus externos, & ita dependent ab obiectis in operatione. Deinde hæ ideæ deferuntur ad ſenſum communem, à quo receptæ rudiùs paulo æſtimantur. Deinceps à ſenſu communi ad phantaſiam portantur, à qua exactius paulo quam antea æſtimantur & decernuntur. Denique à phantaſia deferuntur ad memoriam, vbi conſeruātur: quæ omnia fiunt per inſtrumenta ſentiendi & operatione directa: nam cum ſenſus communis & phantaſia æſtimant & diſcernunt, ac memoria dum meminit ideas oblatas ab obiectis externis, operantur per inſtrumenta ſentiendi & operatione directa extra ſe. Interim non ſum neſcius hanc æ- Nota.

ſtimationem & diſcretionem idearum per ſenſum communem & phantaſiam à quibuſdam dici reflexam, ſed malè & impropriè id fit: nam proprie id dicitur reflexum ſiue reciprocum, quod redit in ſeſe: quod non faciunt ſenſus communis & phantaſia: non enim æſtimant hanc ſuam de rebus æſtimationem, nec diſcernunt hanc ſuam diſcretionem de ideis, vt cognoſcant, num fiat bene vel male. Ideo anima belluina non agit actione reflexa cum æſtimat vel diſcernit, nec poteſt cum ſit cauſa materialis & eius facultas materialis. Si enim potentia aliqua materialis reflecteret actionem ſuam in ſeſe, daretur progreſſus in infinitū: quod nemo dixerit non eſſe abſurdum, ac in hac operatione directa & organica ſubſiſtit cognitio belluinæ animæ. Verum anima humana vltra progreditur; nam non ſolum operatur organicè actione directa, vt anima belluæ, v. g. quum rudiùs, ideſt per ſenſum tantum cognoſcit, nempe quum intelligit res ſenſiles extra ſe: verum etiam operatione independenti obiectiuè & ſubiectiuè, ac reflexa ſiue reciproca, quæ operatio independentibus à materia eſt propria; per quam operationem reflexam anima humana redit in ſeſe, vt ſeipſam intelligat (nec aliter id præſtare poteſt) vel vt melius examinet, ideſt melius cognoſcat de hac ſua priori cognitione, quam habet de rebus per actionem directam. Item anima hu.

mana ex effectis inquirit in causas, & vice versa à causis venit ad cognitionem meliorem effectorum, vt iam diximus. Deinde anima belluina, vt omnis causa naturalis dependens à materia, determinatur ad operandum fere idem, ac vno semper modo: sed anima humana cum edat operationes adeo diuersas & tam diuersis modis, oportet sit libera à determinatione eiusmodi, ac proinde ab omnimoda dependentia à materia.

Porro anima humana non tantum versatur circa paucula obiecta materialia vel materiæ inhærentia, vt facit anima belluina: sed circa omnia materialia & immaterialia versatur anima humana, hæc ab illis discernens Quod facere nequiret, nisi à materia esset ipsa immunis: non magis quam pupilla oculi non posset recipere tot species colorum diuersas, nisi ipsa coloribus vacua foret: vel lingua species tot saporum recipere, nisi ipsa saporum expers foret. Et quod hic mirere, anima humana ex phantasmatis à rebus pauculis crassioribus per sensus sibi oblatis format & effingit imagines omnium aliarum rerum. Præterea proprium est omni causæ materiali lædi ab obiecto excellenti, si in eo paulo diutius operationem sistit, vt vides in sensibus &c. Contra proprium est causæ immaterialis, quanto diutius circa excellens obiectum versatur, tanto magis perfici. Ergo (inquam) ergo humanus intellectus cum

Comparatio.

perficitur ab obiecto, quo excellentius, eoque plus quo diutius circa illud versatur, est immaterialis & à corpore independens dependentia omnimoda, quali dependet anima belluina à corpore suo.

Nunc ex iis non ita multis, quæ ex magno numero collegimus, satis constare puto animã humanã esse non solum excellentioris naturæ, quam est anima belluina, sed & naturæ longè diuersæ ab ea, cùm (vti sæpius iam inculcauimus,) non pendeat prorsus à corpore neque obiectiuè, neque subiectiuè quo ad operari, ac consequenter nec quo ad esse; *vnumquodque enim operatur naturaliter vt est*, nec meliori via per naturam quit, quandoquidem *impossibile est effectum superare sphæram actiuitatis causæ suæ*, prout ex phrasi scholæ superius loquuti sumus.

Verumtamen hic de nouo inculcandum animam humanam sæpius vti instrumentis corporis ad operandum multa, nimirum cum propter corpus, vel circa corpus operatur: iustum enim est per id operationem fieri, cuius gratia operatio suscipitur: sed non semper operatur anima humana per corpus & circa corpus: multas enim edit operationes sine vlla ope corporis, non solum obiecti, sed & subiecti. Nam quibus (quæso) auxiliis corporis vtitur anima humana ad intelligendum Deum, Angelum, seipsam? Item dum manens in vno corpore eodem momento sese attollit in cælum

& ſeſe demittit in tartara, vt alia infinita omittam ne longus ſim. Nunc vt omnia in vnum contraham, animam humanam poſſe agere ſine corpore, imo & ſine corporis ope, ſufficienter demonſtrat independentiam eius à corpore tum reſpectu obiecti, tum ſubiecti, ac ita immaterialitatem. Quia ſi à corpore in agendo omnino dependeret, nullo modo ſine eo agere poſſet. Prolepſis.

Nec quidquam facit contra hanc independentiam animæ humanæ à corpore, quod nimirũ ſæpe præceps agatur à corpore ac ita malum committat, prauaſque operationes edat, cum diuinitas animæ eiuſque independentia à corpore magis diiudicanda ſit ex intelligendi operatione, quam ex compoſitione morum.

Hic quæri ſolet, cum anima humana operetur per corpus, vti eſt apud omnes in confeſſo, quî poteſt agere ſine corpore, cum *vnius ſiue ſingularis rei modus operandi ſit tantum vnus & ſingularis*, vt eſt in regula recepta Quæſtio.

Reſpondeo; quam vera ſit hæc regula, non nunc diſputo: interim tamen exemplũ hic exhibeo, quo doceo rem vnam & ſingularem diuerſos operandi modos habere, imo iuxta ipſos Philoſophos. V. g. intelligentia dum mouet orbem ſuum vtitur corpore, ab eóque in ea operatione dependet: ſed dum intelligit, abſoluta eſt à corpore, quippe quæ eo nõ indigeat hîc vt ibi. Quare nihil obſtat animam noſtram operari cum Reſponſio.

corpore & ſine eo, quum ſit intelligentia quædam; & hoc non ſolum in diuerſis generibus actionum, vt ſunt vegetare, ſentire, intelligere quæ duo priora nunquã niſi vnâ cũ corpore nec edit, nec edere poteſt. Tertiũ ideſt munus intelligẽdi ſine corpore exequi poteſt & exequitur: ſed etiã in vno eodẽque genere actionum, puta in actionibus intelligendi, in quibus non tantum reciprocè operatur, dum redeundo in ſeſe intelligit ſeipſam & ſuam cognitionem nulla corporis ope vtitur nec obiectiue, nec ſubiectiue: verum quoque directè operatur, dum intelligit immateriales res, puta Angelos, Deum &c. Dum vero intelligit ſenſibilia, à corpore adiumentum tum obiectiue, tum ſubiectiue in operatione ſua ſumit: nihil enim obſtat, animam humanam modo vti corpore, modo non vti in actionibus ſuis; ſi hæc cautio adhibetur, nempe animã noſtram non operari cum corpore & ſine corpore, in vna eademque numero actione.

Cautio.

Hoc in loco pro vltima & extrema inſtantia ſic vrgent aduerſarij. Anima humana non poteſt intelligere ſine corporis ope ſaltem obiectiue: nam iuxta illud receptum apud omnes οὐκ ἔστι νοεῖν ἄνευ φαντάσματος; phãtaſma autem eſt ſpecies ab obiecto corpore extracta, ſine qua non eſt intellectio. Quare ſaltem obiectiue dependet anima humana à corpore vel in intelligendo. Itaque fruſtra eſſe videntur ea quæ de independentia ani-

Inſtantia noua.

mæ humanæ à corpore hactenus dicta sunt.
Ad instantiam sic repono. Verum est animam humanam physicè consideratam, idest cum respectu ad corpus, vt nimirum corpus informat, esse organicã, & corporis ope vti non solum in operationibus facultatum vitalis & sensitiuæ, sed etiam aliquando in ipso intelligendi munere, nimirum cũ sensiles res intelligit, quas non potest intelligere, nisi per phantasma siue speciem à sensibus extractam: ac ita dici potest animam humanam etiam quo ad intelligendi opus pendere à corpore, non tantum obiectiuè, sed etiam subiectiuè: tum enim quoque vtitur spiritibus vectoribus phantasmatum à sensu ad intellectum; neque aliter res fieri quit: sed immateriales res prorsus, vt sunt Angelus, Deus &c. anima nostra intelligit sine vlla ope corporis siue obiecti, siue subiecti. Respons.

Quod autem ad effatum illud attinet Philosophi, dico mentem Philosophi in his verbis esse, vt series ipsa contextus indicat esse talem. Impossibile est intelligere, supple sensilia sine phantasmate: ibi enim de sensibilibus loquitur Philosophus, quæ non possunt intelligi sine phantasmate ab anima nostra corpus suum informante; vel ei vnita. Hinc ibidem loci, idest primo de anima, phantasmata sensibilia vocat. Illud vero Philosophi *intelligibilia sunt in sensibilibus*, capi debet de mathemati- Nota.

cis ſolum, quæ ſunt intelligibilia & in ſen-ſibilibus tamen ſunt, vti docent omnes eius interpretes, etiam ipſe Philoſophus *in ſecundo de anima*, aſſignat propriam actionem intellectui diuerſam à phantaſia: quod non feciſſet, ſi crediſſet hæc duo coniuncta vt vnum, non poſſe eſſe ſine altero. Deinde idem ipſe Philoſophus *lib. 3. de anima, textu 3.* dicit, νοῦν vel intellectum εἶναι ἀπαθῆ impaſſibilem. *Textu* 4. vocat, ἀμιγῆ minime mixtum. *Textu* 6. dicit, quod ſit inorganicus. *Textu* 11. quod ſit ſecretus à materia. Denique *Textu* 15. ait quod ex ea immunitate materiæ, eſt intelligibilis vt intelligibilia. Quæ omnia abunde demonſtrant mentem Philoſophi in illo effato eſſe accipiendam de intellectione ſenſibilium.

ὁ νοῦς χωριστὸς καὶ ἀμιγὴς καὶ ἀπαθὴς τῇ οὐσίᾳ ὢν ἐνεργείᾳ.

Antequam hic finem faciam, ſuperioribus argumentis hoc ſuperaddere libet pro independentia animæ humanæ à materia. Anima humana quo magis recedit à ſocietate corporis huius caduci & infirmi in ſeſe rediens, eo eſt actuoſior, quod videre eſt in melancholicis &c. Quod non faceret anima noſtra, ſi eius operationes prorſus penderent à corpore. Inde nonnulli inferunt animam noſtram liberatam omnino vinculis huius corporis infirmi, fore actuoſiorem quam nunc eſt cum corpore.

Ex dictis concludimus, animam humanam, licet ſit forma corporis humani, per quam ſpeciem ſuam ſortitur corpus, &

per quam operationes edit: non tamen esse materialem, id est non dependere à materia, vt dependent animæ belluarum & plantarum à corporibus suis per omnimodam dependentiam, nec è materia educi. Quod enim educitur è materia, id à materia omnino dependet; exemplo sunt omnes aliæ internæ formæ. Quare cum anima nostra non pendeat de materia, ab ea non educetur.

Atque ita debellato, claua rationis, hoc quinto & vltimo circa naturam animæ humanæ errore, prout superiores erroneas opiniones eodem telo euertimus: tandem accedamus ad veram & genuinam animæ humanæ definitionem, quam in proximè sequenti sectione breuem & claram dabimus.

SECTIO VII.

In qua definitio animæ humanæ proponitur & explicatur ex parte, reliqua vero definitionis animæ nostræ in sequentibus enarrantur.

HActenus didicimus, quid non esset anima humana: quare nunc in proximè sequentibus videre nobis incumbit, quid sit anima nostra. Nam post refutatos erro-

res, immediate veritas proponi debet, & post τὸ μὴ ὄν, vtique τὸ ὂν ponendum eſt.

Verum hic ante quam vltra fateri oportet ingenue, facilius eſſe docere; quid non ſit anima, quam definire quid ſit, propter eminentiam naturæ ipſius ſupra res ſenſiles. Quod hic audis de anima humana, idem de aliis eius generis ſubſtantiis dictũ puta. Nemini hoc mirũ videatur, qui audiuit diuina aliis modis ferri, gubernari, intelligere, &c. quã noſter hic animus corporis huius infirmi vinculis alligatus, & ſenſuũ ſæpius errantium lege arctatus credat & exiſtimet, cum tot, quæ ſunt obuiam, minus nota nobis ſint: interim ex certis & experimentis, atque ex his quæ quotidie oculis ſubiiciuntur naturam animæ noſtræ explicare conabimur, plus equo curioſas & intricatas quæſtiones deſtinato relinquentes. *Nam difficilia difficilioribus quærere, nihil aliud eſt prorſus, quam ſeipſum ſeducere, aliosque ob ambitionem fallere velle.* Deinde ſcias velim, animam noſtram non poſſe definiri definitione omnino perfecta & completa & omnibus numeris abſoluta: ac proinde nec perfectè vel complete ſciri poſſe: nam perfecta & exacta rei cognitio pendet à perfecta & abſoluta rei definitione, & tũ demum rem noſcere exquiſitè putamus, cum exactã rei definitionem notam habemus. Cauſa vero cur anima humana non poteſt completè definiri & exactè ſciri, eſt hæc, quia non eſt res comple-

ta, cum ſit pars tantum rei completæ, puta, hominis, cuius eſt pars præſtantior, nempè forma eſſentialis: atque res quæque eſt definibilis & cognoſcibilis, hoc eſt definiri vel cognoſci poteſt prout eſt, nec aliter quit, alioquin res aliter poſſet definiri & ſciri quam eſt, quod eſt abſurdum: completa autem rei definitio euiſque exacta cognitio eſt eadem: quæ ita non ſolum conuenit & congruit naturæ rei definitæ & cognitæ, vt penitus eam notam faciat & plenariè eius naturam & eſſentiam declaret, ſed etiam eam adimpleat & abſoluat.

Interea, incompletum & minus perfectum animę noſtræ eſſe non impedit, quo minus perſpicuam & veram definitionem, eiuſque eſſentiæ explicatricem, licet non omnibus numeris abſolutam demus, ac conſequenter eius naturam planam faciamus. Definimus autem animam humanam ſic. *Anima humana eſt ſubſtantia ſpiritualis incompleta, per quam corpori humano vnitam homo eſt id quod eſt.*

Definitum in hac definitionę eſt, *Anima humana* ἡ πρώτη ἐντελέχεια prima perfectio, ἡ πρώτη ἐνέργεια, primus actus ἀνθρωπίνου σώματος corporis humani, quæ alias vocatur anima rationalis, intellectus, νοῦς *neſchamah.* Harum omnium appellationum occaſionem, vide ſis in ſuperioribus, vbi indigitamenta animæ humanæ enucleamus.

Genus remotũ in hac definitione eſt *ſub-*

stantia, id est ens finitum per se subsistens & mutabile, non ergo nihil, vt non ens, nec ens infinitum aut immutabile, vt Deus; neque ens per aliud & in alio tantum subsistens, sine quo alio subsistere nequit, vt accidens. Deinde ad limitandum quadantenus hanc τῆ *substantiæ* generalitatem, additur to *spiritualis*. Itaque cum non satis esset dicere animam humanā esse substantiam, dicendum erit qualis substantia sit anima humana: plures enim esse, substantiæ species supra docuimus. Est autem anima humana substantia spiritualis vel spiritus, id est substantia incorporea, immaterialis, ab omnimoda dependentia à corpore libera & immunis, tum quoad esse, tum quoad operari. Non ergo est substantia corporea vel corpus, vt sunt cælum, elementa & ex elementis composita, nec incorporea substantia materialis & à corpore prorsus dependens, vt sunt non solum formæ internæ mixtorum merè naturalium inanimorum, sed etiam formæ internæ belluarum & plantarum, id est earum animæ. Atque cum dico animam humanam esse substantiam spiritualem siue spiritum: intelligo esse eiusmodi substantiam, quæ sit pura, simplex & ἀμιγής, expers compositionis: ac consequenter ἀμέριστος, prout est Angelus. Si enim esset compositum quid, haberet partes: nam iuxta illud πᾶν σύνθετον εἰς τὸ μέρη διαλύεται.

Porrò cum aio ſpiritum eſſe ſimplicem ἀμεριστὸν expertem partium, intellige, extenſiuarum, vt loquuntur: nam non habet ſpiritus partem extra partem vt corpus, neque partes ſpiritus dantur, quarum vna ſit hic, alia alibi. Interim ſpiritus omnis creatus habet partes conſtitutionis, puta eſſe & eſſentiam, ſicuti docetur in prima Philoſophia; eſſe reſpondet materiæ. Hinc dicitur interdum materia intelligibilis, eſtque nihil aliud quàm ipſa rei actualitas: eſſentia vero eſt analoga formæ, & eſt actualitatatis ſiue τοῦ eſſe determinatio, per quam ſpiritus eſt τὸ ὅτι, id quod eſt.

Ratio cur ſpiritus creatus habet ~~dependen-~~ essen-tiam ab eſſe diſtinctam, eſt quia eſt creatura: omne enim quod habet entitatem ſibi ab alio communicatam, vel per participationem vt loquuntur; habet ab eſſe eſſentiam diſtinctam: quid quod ſpiritus creatus habet eſſentiam & exiſtentiam diſtinctas. Per illam ſpiritus eſt ſpiritus, per hanc eſt hic ſpiritus. Item ſpiritus creatus eſt ſubjectum plurimorum accidentium. Inde eſt quod ſpiritus omnis creatus dicitur conſtare ex ſubſtantia & accidente. Ac ita his reſpectibus omnis ſpiritus creatus dicetur compoſitus. Quare abſolutè ſimplex & ἀμεριστὸς ſolus eſt dicendus Deus, in quo hæc duo eſſe & eſſentia, quæ ſunt partes ſubtiliſſimæ, non diſtinguuntur: multo minus eſſentia & exiſtentia, & omnium minime

accidentia sunt in Deo. Verum cum vniuersalitas generis τȣ̃ *substantia* non sufficienter sit limitata per additionem τȣ̃ *spiritualis*. Insuper ad arctius coercendum generis latitudinem, addendum fuit in definitione post τὸ *spiritualis*, τὸ *incompleta*: ac ita dicimus animam humanam esse *substantiam spiritualem incompletam*. Hic scire oportet substantiam spiritualem dici duobus modis. Si quidem alia vocatur completa, idest integra & omnibus numeris perfectionis absoluta, vt Angelus. Alia dicitur incompleta, idest non ita integra, nec tali perfectione essentiæ in sese prædita, quippe quæ sit ordinata vt sit pars alterius. Et talis substantia spiritualis incompleta est anima humana, quæ est ordinata, vt sit pars hominis, forma nempe, cuius corpus informat. Atque hinc est quod anima humana imo cum sola & per se subsistit, separata nimirum à corpore suo & ab eius informatione absoluta ita, vt completus spiritus quodammodo dici possit, quæ separatio accidit animæ solutione totius compositi: post quam solutionem etiam separata manet, vt infra suo loco dicetur; nō habet τὸ εἶναι, vel τὸ ὑπάρχειν omnibus modis completū & perfectum, ac consequenter nec operari prorsus complete ac perfecte potest: vnumquodque enim operatur prout actu ὑπάρχει, sicut supra exposuimus, quare (inquam) separata à corpore manens etiam in beatitu-

dine tanquam ſuam hanc imperfectionem in ſeſe percipens & conſummatæ perfectionis appetens, habet quoddam deſiderium iterum vniri corpori ſuo, vt rurſus concurrens cum eo ad conſtitutionem hominis totius conſtantis ex anima & corpore vnitis, hanc vltimam perfectionem adipiſcatur. Inde fuit quod Chriſtiani primitiuæ Eccleſiæ preces ad Deum fundebant pro animabus defunctorũ fideliũ: non certè vt precibus animas defunctorũ è loco ad tẽporariam animarum pro peccatis caſtigationem, ac à peccatis (antequam cælos adirent vicariam (vt ita dicam) purgationem, deſtinato extraherent: aut vt in eo pænas animarum fidelium defunctorum lenirent, prout poſterorum ſeculorum Doctores nonnulli ab antiquis illis factum eſſe apud populum diuulgant: ſiquidem nouantiquum hoc animarum καθηρτήριον primis illis Eccleſiæ patribus erat prorſus incognitum, quod vel ex vnico Iuſtino Martyre diſcas licet qui *quæſtione* 77. ſic loquitur μετὰ τὴν ἐκ τοῦ σώματος ἔξοδον εὐθὺς γίνεται τῶν δικαίων καὶ τῶν ἀδίκων ἡ διαστολή· ἄγονται γὰρ ὑπὸ ἀγγέλων εἰς ἀξίους αὐτῶν τόπους· αἱ μὲν τῶν δικαίων ψυχαὶ εἰς παράδεισον ἔνθα συντυχία καὶ θέα τῶν ἀγγέλων καὶ ἀρχαγγέλων &c. Et paulo poſt αἱ δὲ τῶν ἀδίκων ψυχαὶ εἰς τοὺς ἐν ᾅδῃ τόπους &c. Quin etiã ipſis ſequentium temporum Doctoribus non ita notum eſt: nondum enim inter ipſos huius purgatorij atrienſes vbi terrarum ſit conſtat

nec quo pacto in eo animæ purgentur pro certo conſtitutum eſt.

Boni autem illi patres non aliud agnoſcebant καθάρθηριον, præter ſanguinē Ieſu Chriſti in cruce pro purgatione à noſtris peccatis effuſi: ſed ideo proximis poſt Chriſtum ſeculis in Eccleſia fiebant preces pro animabus defunctorum, vt nimirum anima & corpus reſuſcitatum iterum vniri fæliciter poſſent, ita pleniori ac perfectiori beatitudine frui poſſit anima comparti ſuæ, id eſt corpori ſuo per fælicē reſurrectionem denuo iūcta, quam ante hanc reunionem fruitur, etiam coram Deo in cælis. Licet enim animæ hæc beatitudo in cælis ſit ſumma, non tamen eſt ſumme perfecta & omnibus numeris abſoluta, quia anima eſt ordinata, vt ſit cum altero ad conſtitutionem tertij, *vnicuique autem rei melius, eſt, cum eſt cum eo ad quod ordinata eſt*, modo nihil ſit in illo altero, quod hoc melius eſſe impediat, prout nihil erit in corporibus noſtris poſt felicem reſurrectionem, à corruptibilitate liberatis, quo impediri poſſit melior ſtatus animæ noſtræ. Imo tantum abeſt vt corpus impediturum ſit hanc præſtantiorem animæ noſtræ conditionem, vt corpus iam cæleſte & ἐπουράνιον factum conditionem animæ auctiorem bonis facturum ſit: cæleſte enim erit poſt reſurrectionem corpus, vt ſupra vidimus ex Apoſtolo ad Corinth. ſcribente *Epiſtola priori cap*. 15. Verum cum hæc reunio

non

non sit futura ante extremi iudicij diem: hæc summa & omnibus modis absoluta animæ humanæ beatitudo non consũmabitur omni ex parte ante magnũ illum iudicij vltimi diem: huc facere videntur loci scripturæ *Epistola 2. ad Timot. cap. 1. v. 18. Det ei Dominus inuenire misericordiam in illo die. Eadem Epistola Timoth. cap. 4. 16. Reposita est mihi iustitiæ corona, quam daturus est mihi Deus in illa die iustus iudex &c.*

Hic quæri potest quomodo duo actu existentia adeoque diuersa, vt sunt anima humana immortalis, & corpus caducum coire possunt in vnum. Respondeo hoc sine vllo incommodo euenire; neque hoc in vniuerso solitariũ: nam lumen (quamuis enim lumen haberet actum proprium separatum ab actu aëris, hoc non impedit quo minus coëat in vnum cum aere) & aër, quæ sunt duo actu existentia, concurrunt tamen in vnum. Item motum & mouens concurrunt in vnum. Quid quod licet corpus & anima sunt duo actu existentia, tamen dum coeunt in vnum, alterum, id est corpus, habet locum potentiæ, & anima tantum actus rationem habet. Quæstio. Responsio.

Hic nota animam humanam exacte loquendo esse ἑτέραν vel diuersam ab Angelo, vt res simplex quælibet ab alia re simplici est diuersa, nam diuersitas siue ἑτερότης consideratur absolute & seorsim: differentia vero cum respectu ad alia. Ac ita explica-

uimus definitum, & genus in hac animæ humanæ definitione quam hic exhibemus.

SECTIO VIII.

In qua explicatur differentia huius definitionis.

SEquens est, vt ea quæ reliqua sunt in hac definitione explicemus, nimirum ea quæ differentiam eius exprimunt. Sunt autem hæc verba, *per quam corpori vnitam homo est id quod est.* Quibus verbis continetur differentia definitionis, vt iam dicebamus.

Hypostatica vnio corporis & animæ hominis.

Hic primum notes velim, animam humanam dici vnitam corpori humano: vnitur (inquam) corpori suo anima humana, vnione hypostatica quippe quæ ordinata est à summo rerum opifice, vt ex ea & corpore vna constituatur hypostasis, puta homo, anima hominis vnitur corpori suo iam rite per vim plasticam ei insitam formato & organisato. Nam ante absolutam fabricam & organisationem corporis, non potest anima ei vniri commode, quia ante organisationem corpus non est organicum. At anima omnis est actus corporis organici, prout vel pueri in scholis sciunt. De πότε, quo anima corpori vnitur, infra suo loco Deo dante fusius docebimus. Ex anima

humana & corpore suo vnitis fit homo. Anima humana non potest vniri alteri corpori, cum tantum ad corpus humanum informandum ordinata sit: dignissimæ enim formæ aptissimum & dignissimum corpus deberi omnino æquum est. De dignitate autem corporis humani ante alia corpora, in superioribus nonnulla diximus. Itaque hoc in loco vnum aut alterum verbum de aptitudine corporis humani præaliis corpotibus ad animam humanam recipiendam dicere contenti erimus, ac primum sic.

Corpus humanum habet peculiaria organa eaque cõuenientissima exercitio operationum procedentium à faculta tibus animæ humanæ, vt sunt manus, spiritus copiosissimi & subtilissimi &c. quæ organa in nullo corpore alio reperire est. Deinde corpus humanum fabricam, sin mauis figuram peculiarem nullique alij corpori communem, nimirum erectam cum facie cælum versus eleuata, quæ in nullo alio corpore inuenitur. Denique corpus humanum habet εὐκρασίαν humorum longe exquisitissimam, cũ mixtio in aliis corporibus sit rudior minusque subtilis si cum hac comparetur.

Ex his ergo vides nullum aliud corpus posse ita apte & conuenienter vniri animæ rationali vt ab ea informetur, ac informatum vitales actiones edat, intellige instrumentaliter. Nam propriè vitalem actionem edit anima ipsa, cum sit principalis

agens actionum, corpus vero tantum instrumentum. Itaque apposite in definitione posuimus, *per quam corpori humano vnitam homo est id quod est*, id est per animam humanam corpori vnitam homo est τόδε τι hoc aliquid vnum, certum, completum ens, & vt vnico verbo absoluam, per eam homo est homo.

Ex his itidem definitionis verbis animam humanam vniri vni corpori humano, non vero pluribus corporibus humanis discimus. Siquidem in definitione posuimus vnitam corpori humano, non corporibus humanis; alioqui homo per eam non foret τόδε τι, sed τῶν δεῖνων μέρος, non hoc aliquid completum, sed horum aliquorum pars, non vnum, sed plurium pars.

Facessere igitur iubeamus omnes μετεμσωματώσεις siue *transcorporationes. Item μετεμψυχώσεις siue transanimationes, id est transmigrationes animæ humanæ de corpore suo ad aliud corpus: nec non παλιγγενεσίας ac reciprocationes animarum in corpora, de quibus tam multa veteres fabulati sunt. Nam omnino impossibiles sunt, cum nequeat anima humana vniri nisi vni corpori, vt ex ipsa & corpore simul iunctis τόδε τι cõstituatur, non autem pluribus corporibus, quod prorsus impossibile est. Et hoc non solum vno eodemque tempore, sed ne per successum temporis quidem fieri quit, vti volunt animarum μετοικισμοί. Alioqui anima

non vniretur vni tantum corpori, sed pluribus corporibus, ac ita fieret non huius alicuius, puta hominis pars, sed horum aliquorum, puta hominum pars. Quod esse absurdissimum nemo non videat, cum vna forma vni tantum materiæ destinata sit, non vero pluribus: & vnius tantum materiæ compars sit, cum qua ad constitutionem vnius compositi concurrit. Non ergo plurium materiarum compars, cum quibus plura composita constituat.

Ex his itidem verbis manifestum est prorsus, vanam esse opinionem de transmutatione corporis humani in corpus belluæ, puta equi, lupi &c. licet à multis retro seculis à veræ philosophiæ ignaris receptam. Cæterum quia mutatio hæc falso credita sæpius accidit, vt ignauo populo videtur. Cum autem corpus humanum figuram suam apparenter exuit & figuram aliam assumit, λυκανθρώπια dicitur, voce quidem particulari, sed rem generalem denotante. Hæc vero λυκανθρώπια fieri vulgo putatur à sorciariis techna diabolica, sed falso: nam ea est ἀδυνατός, cum nullum corpus possit vniri animæ humanæ præter humanum, vt ex iam dictis constat.

At (inquies) sorciarij confitentur se interdum mutari in lupos &c. Respondeo verum esse non solum quod sorciarij in suis confessionibus id dicant, sed & reuera in seipsis hanc mutationem fieri putant: at Obiectio. Responsio.

ſtultè quidem, ob læſam ſcilicet phantaſiam, opera diaboli. Nec mirum miſeros hoſce habentes phantaſiam labefactatam à cacodæmone, ſe eſſe aliud quam re vera ſunt putare, cū quotidie videamus morbo ordinario affectos, puta febri &c. ſe vrceos factos credere, licet re vera homines permaneant.

Inſtantia. Verum inſtas, ſorciarij lupi facti, multis obuiis non ſolum habere ſpeciem, vel faciem luporum, ſed etiam rapere & deuorare occurrentes inſtar verorum luporum, viſi ſunt.

Reſponſio. Ad quod reſpono, diabolum præſtigiis ſuis ita perſtringere oculos aſpicientium, vt credant ſe videre lupos, cum re vera ſint homines: & non admodum diſpari pacto ac agyrtæ circumforanei fucum ſuis technis ſpectatoribus faciunt. Quod ad effecta hæc attinet ſorciariorum, dico procedere ab ipſo dæmone, tanquam cauſa efficiente, qui pro ſua aſtutia vult ſorciarium miſerum ſuū mancipium non ſolum actioni prauæ adeſſe, ſed & inſtrumentum nequitiæ ſuæ eſſe, augendo vires ordinarias miſelli ſui mancipij, ita vt ſorciarius facile perpetret ea, quæ alias patrare omnino non poſſet: auget enim diabolus vires ſorciarij, vires ſuas, quas habet longe maximas viribus ſorciarij, ſecreta via, addendo. Atque hinc eſt, quod tum ſorciarij ipſi, tum aſpicientes decepti putent eiuſmodi opera fieri à ſorciarijs in noua corpora

mutatis.

Denique non vllo modo eſt penes vllam creaturam mutare naturas &genera rerum, quare nec corporũ. Itaque neque diabolus poteſt. Huius certè quamuis potentia ſit magna, tamen eſt certis finibus limitata, vt potentia omnium creaturarum, prout earum eſſentia eſt finita,&eſt potentia diaboli multo inferior poteſtate quam habent boni Angeli. Quia diabolus lapſu ſuo plurimum in facultatibus eſt debilitatus & infirmatus: boni autem Angeli perſeuerando non ſolum vires integras, quas acceperunt in creatione, retinent, ſed etiam eas auctiores habent. Solus ergo is naturas rerum poteſt mutare, qui eas condere poteſt, & eſt is vnicus Deus infinitus, cuius omnipotentiæ nullus eſt limes.

Verum hic obiicies, diabolum poſſe mutare naturas rerum, cum ſe ipſum transformare poſſit in Angelum lucis, ſicut in ſacris libris ſcriptum legimus: qui enim habet poteſtatem ſui transformandi, alia poſſe mutare videtur. Obiectio.

Reſpondeo, inſtantiam nihil valere: nam cum dicitur in ſacra ſcriptura, diabolum ſe transformare in Angelum lucis: caue putes verba ita eſſe intelligenda, ac ſi diabolus exuat naturam ſuam,& naturam Angeli boni induat. Sed verba ſcripturæ ſacræ ita interpretari debemus: interdum diabolus pater omnis hypocriſeos, ſeſe fingit eſſe bo- *Replicatio.*

num Angelum, vt decipiat electos si fieri possit, sicut ex serie contextus perspicue patet, prout hypocrita agit personam viri boni interdumq;, vt facilius simplicioribus imponat.

Instantia

Verum adhuc instantes vrgent, hanc mutationem hominis in bestiam non esse impossibilem, cum eam factam esse in persona Nebuchadnezeris *c.4. Prophetiæ Danielis*, colligant multi docti viri.

Responsio.

Respondeo, quid alij censuerunt de mutatione Nebuchadnezeris, de qua *in cap.4. Danielis*, non est nostrum multum curare, nisi sententia eorum cum veritate congruat, cum charior nobis sit veritas, quam opinio hominum vel maximorum: nullius enim verbis adhærere tenemur, nisi quantum nos ipsa veritas cogit: ex verbis verò Danielis nunquam demonstrabunt Nebuchadnezerem fuisse mutatum in belluam: quod sic mecum cuilibet perpendenti textum sacrum patebit. Siquidem *vers.33.* vbi hæc habentur verba. *Nebuchadnezer ab hominibus eiectus est & herbam tanquam boues comedit, & rore cæli corpus eius rigatum fuit, donec pilus eius quasi aquilæ creuit, & vngues eius quasi auium.* Item *v.34. Oculos meos ad cælum leuaui, & sensus meus redditus est mihi* &c. Ergo ex his verbis clarum est, quod mansit idem Nabuchadnezer cum eodem corpore & eadem anima, alioqui non fuisset idem numero qui peccauerat, & qui ab homini-

bus eiectus est, qui comedit herbas vt bos, habens corpus suum rigatum rore cæli, & cui pilus creuit vt aquilæ, & vngues instar auium: & qui ad cælos oculos sustulit, & ille cui sensus redditus est: sed aliud animal, puta bos, &c. quod esse absurdum nemo non videt.

Dicitur autem mutatus in brutum, quia factus est amens & insanus, priuatus nimirum exercitio sensus communis ad certum tempus. Et hoc est quod dicitur *vers.* 16. *Et cor feræ vel bestiæ detur ei*, idest phantasia feræ, vt sibi videatur esse fera, non homo, & appetitus ferinus. Ergo propter imaginationem vitiatam præcipuè dicitur conuersus in bestiam. Item pascens herbas cnm belluis, quia est intereas conuersatus. Vngues autem ei creuerunt instar auium, & pili totum corpus texerunt, partim ex neglectu, partim ex superabundanti melancholia, á quo humore potissimum eiusmodi appendices prouenіunt.

Cæterum in hac sua feritate Nebuchadneser habuit quædam lucida interualla, (vt loquuntur) prout colligas *ex versu* 25. vbi hæc sunt verba. *Donec scias quod dominetur Excelsus in regno hominum*; quod non fecisset, si fuisset in belluam mutatus, vel si fuisset sine ipsis interuallis.

Quod ad verba illa *vers.* 33. secundum vulgatam versionem; *figura mea reuersa est ad me*, per figuram intellige magnificen-

tiam, decorem vel dignitatem, vt habent correctiores versiones iuxta veritatem Hebræam. Qui plura de hac re scire volet, consulat eos scriptores, qui dedita opera hunc locum Danielis interpretari susceperunt: nos enim in præsentia tantum de ea re dicere decreuimus, quantum ad propositum nostrum necessarium, & ad refellendum hanc aduersariorum instantiam esse duximus.

Porro hic per transennam scias velim, Pythagoram illum nobilissimum animarum μετεκισὶν per transmigrationem animæ humanæ (vt censent doctiores) docuisse quasi per apologiam esse quosdam homines, qui neglecto prorsus intellectus munere toti incumbunt vegetatiuæ & sensitiuæ facultatum operationibus, ac quodammodo in bestias transire dici, quia harum facultatum operationes nobis cum belluis communes sunt. At esse alios homines, qui subiugatis prorsus vegetatiua & sensitiua facultatibus, intellectus operibus omnino inuigilant, ac ita quasi toti intellectuales facti, angelisque annumerari possunt. Denique esse nonnullos inter homines, qui media via incedentes, nec prorsus negligunt vitalem & sensitiuam, vt neque intellectum, sed omnes mediocriter exercent: cuiusmodi sunt homines hi, qui secundum virtutes morales viuunt: hi nuncupari possunt puri homines. Primi

generis eſt maxima pars hominum. Secundi perpauci ſunt. Tertij vero ſunt plurimi.

Deinde per verba hæc, *vnitam corpori & non corporibus*; reiiciendum eſſe declaramus delirium eorum, qui toti generi humano vnam tantum animam rationalem & intelligentem concedunt, quam intellectum vniuerſalem vocitant, illuſtrantem ſingulos homines inſtar ſolis, qui ſingulas ſtellas illuminat: quem proprio nomine nonnulli *cholcodeam* denotant: hoc enim pacto ſinguli non homines, ſed ſemi-homines dimidio plus minores eſſemus, quippe priuati nobiliori noſtri parte, puta anima rationali ſiue intellectiua, quæ eſt forma, per quam homo eſt homo. Quæ ſi vnica foret in omnibus hominibus, omnium hominum idem foret eſſe & idem operari.

Item ſi vnum tantum intellectum omnes homines haberemus, nempe animam vniuerſalem, omnes ſimul & eodem tempore intelligeremus & neſciremus: idem vellemus & nollemus idem, eiuſdemque rei ſinguli eſſemus memores & immemores: imo eſſemus omnes vnum intelligens & vnum neſciens: vnum volens & vnum nolens: vnum recordans & vnum obliuiſcens. Vnum autem intelligens, volens & recordans rem vno tempore: vel intelligit vel non: vel vult vel non: meminit vel

non; minime verò vtrumque simul facit, cum sint contradictoria, quæ non possunt simul esse vera. Quare non solum rationi aduersatur, sed etiam experientiæ repugnat: & impossibile omnino est, nobis singulis per tot loca dispersis, tam variè eruditis, vt interim de aliis impedimentis taceã, vnam eandemque rem scire & nescire, vno eodemque tempore &c. nam ego hoc intelligo, tu non hoc, sed aliud: ego hoc memini, tu verò non hoc, sed illud: hoc ego volo, tu verò istud.

Quod ad nos attinet non alium intellectum vniuersalem agnoscimus, quam Deũ vere vniuersalem, omnia vnico intuitu intelligentem, & pro εὐδοκίᾳ sua mentes nostras irradiatione sui Spiritus sancti irradiantem, qui est vera lux illustrans omnem hominem venientem in hunc mundum, vt Euangelista diuinus docet *in cap. 1. commate 4. Euangelij sui.*

Insuper per hæc verba definitionis, *per quam corpori humano vnitam*, intelligendum do, animam humanam solam & vnicam posse corpus humanum informare: sicut enim nullum aliud corpus, præter quam humanum, potest vniri animæ humanæ vt ab ea informetur; ita nulla alia anima, præter rationalem, potest vniri corpori humano, vt illud informet, ac ex vtroque constituatur homo. Quare prorsus ἀδυνατὸν est, vt anima belluina, vel plantalis

informet corpus humanum, ac conſequenter omnino impoſſibile eſt, animam humanam poſſe mutari in animam belluinam opera vllius creaturæ. Cum non ſolum ſit opus vltra vires creaturæ vel excellentiſſimæ mutare ſpecies rerum, prout paulò ſuperius docuimus, dum de mutatione corporis humani in corpus belluæ loqueremur. Sed etiam res in ſeſe nullo modo fieri poteſt ſecundum principia naturæ ordinariæ: nam prorſus ἀδυνατὸν eſt formam ſpecificam vllius rei mutari in formam alterius rei, niſi re ipſa mutata, alioqui res foret eadem & non eadem, cũ per formam ſuam rès quæque ſit τὸ δέ τι, quod eſt contradictorium. Interim tamen ille qui omnia ex nihilo creauit, poteſt ex vna re facere aliam, mutato genere rerum. V.g. ex lapidibus eruere ſemen Abrahamo, vt ipſe Dominus in Euangelio loquitur.

Quod ad monſtra attinet ex hominibus procreata, à communi corporis humani figura, defectu tantum aberrantia (vt de his hoc in loco aliquid interſeram) cum ſint extraordinaria, de ijs nihil certi ſtatui poteſt, *de incertis nulla certa regula datur*. Cæterum monſtra quamuis deficiunt organis externis, tamen habent inſtrumenta interna, quibus vtitur anima ad exercitium operationum. Ac ſic vides monſtrum ſtatim atque naſcitur plorare, & circa quadrageſimum à natiuitate diem videre.

Nonnulla de mõſtris.

Quæ duo opera sunt certissima animæ rationalis indicia.

Deinde dico, ipsa monstra esse defectus vel ἁμαρτήματα naturæ particularis, quæ non intendit eiusmodi producere: vnde ea dicuntur fieri παρὰ φύσιν, id est præter cursum ordinarium, qui particularis natura dici solet: non vero παρὰ φύσιν vniuersalem, idest Dei potentiam absolutam, præter & extra quam nihil est: hæc vero φύσεως ἁμαρτήματα in productione animalium dicuntur monstra, quia per ea demonstratur ira Dei contra peccatum extraordinariè, præsertim in homine.

Porrò cum per solam animam humanam corpori vnitam homo constituitur, Angelus hospitans in corpore humano, id informare nequit, ita vt ex vtroque homo constituatur, quamuis Angelus assumat corpus humanum ad munia quædam exercenda. Hic non dissimulandum, bonos Angelos à summo gubernatore ad homines missos corpora adeo similia nostris assumpsisse, iisque ad multa munia ita dextrè vsos fuisse, vt esse re vera homines crediti fuerint.

Hoc in loco notes velim diligenter, bonos Angelos non corpora humana, sed nostris simillima eaque referentia assumpsisse. Quod vero ad malos angelos attinet, hi vti hominibus noceant, ita (pro secreta sua sapientia) permittente rerum omnium

summo Domino, modo intrant corpus humanum adhuc animæ suæ vnitum, modo anima destitutum, aliquando, idque sæpissimè, induunt speciem tantum vel corporis humani phantasma ex aëre densato confectum, non item ipsum corpus.

Verum non est hic obliuiscendum, posse simul & semel in vno eodemque corpore humano plures angelos hospitari, vt constat vel ex historia dæmoniaci in Euangelio, cui nomen erat inditum λεγέων, ob multitudinem dæmonum in eo habitantium. Nota.

Præterea cum dico per animam humanam vnitam corpori humano hominem esse τό δέτι, non intelligo eam vniri corpori suo per mixtionem, cohæsionem, adhæsionem &c. vt corpus corpori vnitur: sic enim anima foret corpus, cum corpora tantum ita vniantur inter se: animam autem non esse corpus supra demonstrauimus, neque per vnionem angustioris & latioris, vt genus & species vniuntur inter se: nam non se habet anima ad corpus vt eius genus, sed vt forma, cum id informat; neque per inhæsionem, prout accidens vnitur subiecto suo: non enim anima est accidens corporis, prout in superioribus docuimus: neque per adsistentiam tantum, vt eius motus regat, quemadmodum nauta adsistit naui, vel vt intelligentia dicitur adsistere cælo, nam sic sine ea homo esset homo,

quemadmodum nauis sine nauta non desinit esse nauis, & cælum sine intelligentia non cessat esse cælum, quod esse falsissimũ nullus est qui non videat. Restat ergo, vt anima humana corpori suo vniatur vinculo essentiali, tanquam forma id essentialiter informans, actuans & perficiens: cuius separatione à corpore suo homo desinit esse homo, & ex homine fit non homo.

Interim scias velim, cum dico animam humanam vniri corpori suo vt formam id informantem, hoc non intelligendum esse tantum μόνως, cum etiam anima humana vniatur corpori humano vt agens principalis instrumento suo. Hinc quandiu ei vnitur, eius membris anima nostra vtitur, tanquam organis ad multa munia, ac ideò meritissimo forma corporis organici dicitur, quemadmodum in sequentibus σὺν θεῷ demonstrabimus.

Ad hæc notato, licet dicam animam humanam vniri corpori suo essentialiter: me velle tamen hanc vnionem, quamuis in sese arctam, fieri citra vllam confusionem naturarum corporis & animæ: multa enim possũt vel arctissimè inter sese vniri absque vlla confusione naturarum vel minima in sese inuicem, præsertim si habent naturas multum à se inuicem differentes, cuiusmodi esse corpus & animam humanam sufficienter in superioribus demonstrauimus. Ita v. g lux & aer arctè inter

ter se vniuntur: lux enim transmeat per omnes aeris partes, non tamen in sese inuicem confunduntur lux & aer, sed permanent vt ante vnionem, in integritatibus suis sine vel minima confusione.

Interim vt non negauerim, quamuis anima humana vniatur corpori suo essentialiter, nam ex iis ita inter se vnitis constituitur totum essentiale homo: eam tamen non adeò arctè vniri corpori suo ob magnam naturarum discrepantiam, vt ea vniuntur inter se, quorum naturæ non ita discrepantes sunt. Siquidẽ res quæ viciniorum ad se inuicem sunt naturarum, eo arctius inter se vniuntur: & contra res quo magis differentes sunt naturis, eo minus habent arctam inter se vnionem. Hinc ergo anima belluina arctius vnitur corpori suo, quam anima humana corpori suo, ob maiorem conuenientiam naturarum inter animam belluinam & corpus suum, quam inter humanam animã & corpus suum. Anima siquidem belluina educitur è materia, eique immergitur, ac ita prorsus & omnino dependet à corpore. At anima humana ab eiusmodi dependẽtia est libera, vt in supra dictis demonstratum est.

Rursus arctiori modo vnitur anima plantalis corpori suo, quam anima belluina suo corpori, ob maius naturarum symbolon inter animam plantalem & corpus suũ, quam inter animam belluinam & corpus suum: nam anima plantalis magis adhuc

immergitur materiæ, quã belluina animã.

Deinde forma mixti naturalis inanimis arctius vnitur corpori ſuo, quã anima plantalis corpori ſuo: quia magis συμβολίζει corpori ſuo, eique magis immergitur, quam anima plantalis ſuo corpori. Pari pacto res, quo arctius inter ſe vniuntur, eo difficilius à ſe inuicem ſeparantur. Ita forma mixti naturalis inanimis difficilius ſeparatur à materia ſua, quam anima plantalis à ſuo corpore. Itidem anima plantalis difficilius ſeparatur à corpore ſuo, quam anima belluina à ſuo corpore.

Deinde anima belluina à ſuo corpore difficilius ſeparatur, quam anima humana à corpore humano. Quæ duo poſtrema omnium facillime à ſe inuicem ſeparantur, ob minus arctam vnionem. Et hoc ob longe maximam naturarum diſcrepantiam, vti iam dictum eſt.

Prolepſis. Quod ſi aliquando videtur corpus belluinũ in nonnullis belluis minori cum difficultate amittere ſuam animam, quam à corpore humano ſeparatur ſua anima: id euenit per accidens, nimirum ob infirmitatem & exilitatem corporum quorundã belluarum, puta animalculorũ, quæ vel prima minimaque violentia ob imbecillitatem corpuſculorum animã ſuam ſibi perdi patiuntur. Sed nulla reperitur bellua, cæteris paribus, ideſt cuius corpus ſit eiuſdẽ firmitatis ac roboris cũ corpore humano, quæ æque facile amit-

tat animā ſuam, ac anima humana ſeparatur à corpore ſuo. Ex iam dictis colligere eſt, licet anima humana vniatur corpori ſuo arctè, vt forma id informans, & ex ipſa & corpore humano vnum eſſentiale, puta hominem, conſtituens: non tamen metuendum eſſe animæ à corpore, ne corpus impuritate ſua vel minimum animæ puritatem polluat & inficiat, cùm non ita arctè corpori ſuo vniatur vt ei immergatur, prout immergũtur corporibus ſuis reliquæ formæ aliæ naturales, quamuis non omnes pari gradu corporibus immergātur: nam aliæ minus, aliæ plus, vt iam dictis patet.

Deinde non ita facile eſt materiali & corruptibili, cuiuſmodi eſt corpus, agere in immortale & incorruptibile, qualis eſt anima noſtra: animam autem eſſe immaterialem in ſuperioribus oſtendimus, & eā eſſe incorruptibilē inferius ſuo loco demōſtrabimus.

Porro ſummus opifex rerum huic incommodo obuiam iuit, dum εὐκρασίαν excellentiſſimam & humorum temperiem longe exquiſitiſſimam, nec non organa omnium ſubtiliſſima corpori humano pro ſua ſumma ſapientia indulſit, vt melius conueniret inter res adeo ἀσυμβόλας & diſcrepantes naturis, vt ſunt corpus humanum & anima humana. Itaque incommodum prædictum non valde pertimeſcendum eſt.

Nunc tempus eſt obſeruare, cum dicimus animam humanam vnitam corpori

humano, non ſolum nos innuere vnam animam humanam vni tantum corpori humano poſſe vniri, ſed etiam nos docere vnum corpus humanum non poſſe vniri, niſi vni animæ humanæ, nõ vero pluribus, ideſt habere vnam tantum animam informantẽ ipſum, non autem plures, cum vna tantum ſit forma quæ dat vni compoſito vel rei vni ſuum eſſe: quia compoſitum vnum vnicam tantum habet formam vltimatam & ſpecificam, id eſt talem quæ apta ſit compoſito. Alioqui compoſitum, puta homo, non eſſet τό δέ τι res vna, hoc aliquid: ſed potius τά δέτινα res plures, hæc aliqua, non vnum animal, ſed plura animalia pro numero animarum, non vnus homo, ſed plures homines, iuxta pluralitatem animarum. Si enim homo haberet plures animas, non foret vnus & idem homo, quod vel hoc exẽplo diſcas. Ego qui hæc ſcribo, pluribus imbecilli corporis infirmitatibus laboro, quod eſt opus vegetatiuæ animæ: & ob has infirmitates doloribus variis corporis afficior, quod eſt opus ſenſitiuæ. Dum verò inquiro cauſas harum infirmitatum & dolorum, atque via medica iis mederi conor: opus eſt intellectiuæ, quia tunc per cauſas diſcurro, quod non poteſt fieri niſi per intellectũ. Iam ſi eſſentia qua ſentio (vt hic taceam de vegetatione) eſt diuerſa ab ea qua intelligo: qui fieri poteſt vt idem qui ſentio, ſim ille qui intelligo? Vt verbo dicam, plures formæ

Vni corpori vna tantum anima vnitur.

ſubſtantiales non poſſunt eſſe in eodem ſubiecto; nam hoc eſt abſurdiſſimum. Quot enim habet materia formas, tot habet diuerſa eſſe: cum forma ſit quæ dat eſſe compoſito. Itaque quot ſunt formæ in corpore aliquo, tot erunt diuerſa eſſe in eo. Quare ſi corpus humanum haberet plures animas, non foret vnum animal, ſed plura animalia, merus Geryon, vel chimera &c. Fruſtra contra hanc veritatem nonnulli obiiciunt, ἀδυνατὸν eſſe, vnam eandemque ſimplicem animam, vt eſt humana, vno eodemque tẽpore contrarios habere appetitus: in homine ſiquidem appetitus rationales & ſenſitiui inter ſe pugnant. Ergo hi appetitus procedũt à duabus animab⁹, natura diuerſis in homine. Obiectio.

Reſpondeo, pugnam hanc inter appetitũ ſenſitiuum & rationalem non eſſe per ſe, & procedentem à facultatibus contrariis duarum diuerſarum ſubſtãtiarum: ſed inter hos duos appetitus procedentes ab eadẽ anima, vt infra docebimus, pugnam fieri ex accidenti, quatenus nimirum abrepti intẽperie organorũ, à quibus appetitus ſenſitiui vt debiliores prorſus dependent, reluctantur regimini appetitus rationalis ab eóque recuſant gubernari, à quo iure prærogatiuæ rationis regi debent. Hinc cum appetitus rationalis pro iure imperij ſui conatur regere appetitũ ſenſitiuum, & appetitus ſenſitiuus intemperie maleſani corporis abreptus excutit imperium appetitus rationalis, in Reſponſio

ſe, naſcitur pugna inter hos duos.

Interim anima humana vna & eadem manet eſſentia, quæ dũ vegetationi corporis vacat, vegetans dicitur: dum operã dat cognitioni rudiori, puta ſenſationi, quę fit omnino per organa corporea primum externa, deinde interna: dicitur ſentiẽs. Dum laborẽ impẽdit cognitioni excellentiori, puta intellectioni, dicitur intelligẽs. Quæ tria diuerſa effecta, ſcilicet vegetatio, ſenſatio & intellectio procedunt à tribus diuerſis facultatibus vel poteſtatibus, puta vegetatiua, ſenſitiua & intellectiua, in vna eademque anima humana, quæ habens in ſeſe has tres facultates, vna & eadem manet ſine mutatione eſſentiæ ſuæ: nec fit propterea triplex vel tres animæ magis, quã quinarius fit triplex vel tres numeri, quod contineat in ſe ternarium, quaternariũ & binarium, qui vnus & idem manet numerus: vel magis quã πεντάγωνον fit triplex figura, quod vna & eadem figura manet, licet includat in ſe tetragonõ & trigonon. Nemini negotiũ faceſſere debet, quod effecta adeo diuerſa, vt ſunt vegetatio, ſenſatio & intellectio ab vna eademque anima procedant, cum & alibi aliquid huic ſimile reperias. V. g. anima belluina habet hæc duo effecta diuerſa, puta vegetationem & ſenſationem: vna tamen & eadem anima manet, non autem plures propterea ſunt animæ in vna bellua.

Inſtantia. Sed inquies, vtraque hæc operatio animæ

belluinæ eſt materialis. At in anima humana præter duas operationes materiales, puta vegetationem & ſenſationem, eſt immaterialis operatio, puta intellectio: tales operationes adeo diuerſas, vt ſunt materialis & immaterialis, ab eadem cauſa procedere omnino difficile eſt.

Reſponſio.

Reſpondeo, etiam huiuſce rei exemplum alibi reperies. V.g. ab vna eademque intelligentia procedit motus cæli, qui poteſt dici operatio quædam materialis, licet procedat à cauſa immateriali. Nam dum cælum mouet intelligentia, vtitur corpore vt inſtrumento: & intellectio quam exercet intelligentia, immaterialis prorſus eſt: nam ſine inſtrumento intelligit, vt omnes agnoſcunt. Quid quod diuerſas operationes ab vna eademque cauſa procedere vel herculeus lapis ſiue magnes te docere poſſit: nam ab eodem magnete operatio procedit, qua ferrum trahitur, & per aliam longè diuerſam operationem ferrum, puta acicula in quadrante nautico vel horario, impreſſionem accipit, qua diſponitur ſiue præparatur moueri verſus alterutrum polorum, quod & ſupra docuimus.

Sed inquiunt aduerſarij, ſcriptura videtur innuere hominem habere duas animas: vnam, quæ ſit eiuſdem naturæ cum anima belluina. Alteram, quæ ſit eiuſdem naturæ cum Angelis, quæ propterea ſpiritus in ſcriptura dici ſolet. Loca autem ſacri textus,

quæ pro se potissimum facere putant, sunt hæc *Genes. c. 9. v. 5. Anima hominis est sanguis*, quod supra *in eodem capite*, de anima belluæ dicebatur. Deinde *Ioan. c. 1. & 13. Homo est natus ex αἱμάτων*, idest ex spermate, vti volunt. Et cũ hoc dicatur de homine, non debet restringi ad corpus solum. Quare de anima etiã intelligendũ. Itaque eatenus anima hominis est similis animæ belluinæ. *Tertio Iudicum c. 16. v. 30* vbi Samson in hæc prorupit verba: A*nima mea moriatur cũ Philistæis*, quod non potest intelligi, nisi de tali anima, quæ sit similis belluinæ quæ moritur: nam intellectus siue anima rationalis, quæ in scriptura dicitur spiritus, non nascitur ex sanguine, sed immediate procedit à Deo patre spirituũ, vti vocatur *c. 12. v. 9. in Epist. ad Hebr.* & redit ad Deum, à quo progressa est, vt habetur apud Ecclesiastem. Etiam Apostolus scribens ad Thessal. *c. 5. & v. 2*. distinctis verbis discernit inter spiritum & animam.

Responsio. Ad hæc omnia repono. Verum est intellectum siue animã rationalem dici spiritum & immediate procedere à Deo, sine ope humana, atque ad Deum redire vnde venerat. Sed interim dico, eundem spiritum, qui procedit immediate à Deo, & ad Deũ redit, esse ipsissimam animam humanam, non aliam: quæ non solum intelligit, sed etiam sentit & vegetat corpus. Quæ cum consideratur κατὰ τὸ esse in sese, vti est intelligentia quædam, dicitur spiritus: cum vero considera-

tur in ordine ad ſuam ſphæram, ſcilicet hominem quem animat, dicitur anima.

Quod autem attinet ad locorum Geneſ. Ioannis, & Pauli, explicationem, ex ſuprà dictis pete. Itaque reſtat vnicus locus Iudicũm, hic allegatus, qui ſic exponi debet.

Anima mea moriatur, ideſt ego moriar; nam anima hic ſumitur, vt ſæpe alibi, pro tota perſona in ſacra pagina. Præterea anima humana ipſa alioqui immortalis, vt ſuo loco demonſtrabitur, cum ſeparatur à comparte ſua quam amat, ideſt cum qua ſimul eſſe optat & gaudet naturali inſtinctu, mutationem patitur, quod mortis quoddam genus dici poteſt. Sed de his fuſius infra dicetur. Verum anima humana, vt omnis cauſa naturalis, orditur ab effectis rudioribus, & ſucceſſiuè venit ad excellentiora effecta. In quo progreſſu imitatur ordinem, quem ſummus rerum opifex in rebus producendis ſeruauit.

Itaque anima humana iam corpori ſuo vnita primo corpus vegetat, cui vegetationi aliquandiu in primis vacat. Deinde non ſolum corpus vegetat, verum etiam cognitioni, ſed rudiori, operam dat, id eſt ſenſationi, & hic etiam aliquandiu ſubſiſtit. Tertiò & vltimò non tantum vegetationi corporis vacat & ſenſui operam nauat, ſed cognitioni quoque excellentiori, puta intellectioni, incumbit. Ac cum intellectioni

ſtudet, primo rudiora intelligit, puta numerum, menſuram, pondus &c, quæ olim pueri diſcebant tanquam minus ſubtilia, antequam animum ad ſubtiliora appellerent. Nec illud programma ἀγεωμέτρητος μηδεὶς εἰσελθέτω. Poſt hæc ad minus rudia, ſcilicet ad moralia &c. curam applicat anima humana. Hinc diſciplinæ de moribus ſecundo loco doceri conſuetæ erant. Denique anima humana intendit operam intellectioni Phyſicῶν, metaphyſicῶν & diuinorū. Atque inde eſt quod vltimo in ſcholis hæc diſcentibus proponi ſolent.

Nota. Iam quamuis dicam animam vnitam corpori ſuo incipere à rudioribus, puta vegetatione progredi per minus rudia, puta per ſenſum; &tandem venire ad ſubtilia, ideſt ad intellectionem: caue putes me velle innuere animam noſtram ſerò incipere vti ratione ſiue intelligendi munere. Nam experientia docet, infantem recēs natum plorare, quod nulla facit bellua, & circa quadrageſimum à natali diem ridere. Riſus autem, vti loco ſuo dicemus, ab admiratione procedit: admiratio vero ab intellectione. Quare tempeſtiuè & ſtatim ab vnione eius cum corpore, vti rationis operibus incipit anima noſtra.

Admonitio. Hoc in loco monendus es; licet anima humana ſuperius paulo à nobis dicta ſit eſſe ſimplex & pura, ἀμιγὴς καὶ ἀμέριστος, vt Angelus dicitur eſſe purus, ſimplex, ἀμιγὴς καὶ

ἀμέριστος: caue putes nos velle animam humanam vel Angelum esse absolute simplicem, purum, ἀμιγῆ καὶ ἀμέριστον: absolute simplex, purus, ἀμιγὴς & ἀμέριστος est solus Deus, qui est purus actus simplicissimus, omnis potentialitatis, ac consequenter omnis compositionis & omnis impuritatis expers, ac prorsùs ἀμέριστος, quia aliter non foret Deus. Siquidem si haberet compositionem, esset ab alio compositus, ac ita non esset omnino vnus, primus, & infinitus, atque proinde non Deus.

Nec quidquam facit contra Dei omnimodam simplicitatem, quod sit causa tantum efficiens, producens & conseruans res; & causa finalis: omnia enim propter se fecit Deus, idest (vt verbo dicā) causa externa, nō vero interna, qualis est materia & forma, quæ ingrediuntur constitutionem compositi, ac sic non ita simplices sunt; quod nō faciunt efficiens & finis. Et cum Deus sit compositionis omnis prorsus expers, erit itidem & impuritatis omnis exors: impuritas enim est filia compositionis. Prolepsis.

Præterea cum Deus sit solus absolute simplex, & absolute purus, cōsequenter etiam erit absolute ἀμέριστος. Nam si posset diuidi in partes, non foret simplex, ac proinde non absolutè vnus. At sic non Deus. Quare Deus solus absolutè ἀμέριστος, vt absolute purus & simplex: entia verò omnia post Deum, imo ea quæ ad Dei simplicitatem

propiùs accedunt, vt Angelus, anima humana. De aliis rebus nullus dubitat, cùm sint effecta siue causata, necessario potentialitatis aliquid includunt (quamuis actus dicantur) & certo modo componuntur: siquidem (vt superius paulo dicebamus, *in hoc ipso capite, lectione septima*) habent esse siue εἶναι, essentiam siue οὐσίαν distincta. τὸ esse siue εἶναι respondet analogως materiæ, vt essentia formæ; esse denotat idipsum quod est: essentia autem quo id quod est, est quid. Hinc essentia alio nomine dicitur quidditas in scholis Latinorum, ac si Græcè audes τινότης: nam per eam res est τι. Deinde habent essentiam & existentiam distinctas: in ijs enim est natura indifferens, vt in sese subsistat vel in alio. Essentia autem est id quo, siue per quod res est, prout iam iam dicebamus Existentia vero est, per quod res capit vltimum complementum, producens singularitatem.

Quidditas, τινότης.

Item Angelus & anima humana habent sua accidentia à se ipsis distincta. Itaque cum sint sic composita, necesse est sint impura: compositionem enim sequitur necessario impuritas. Quare etiam cum sint composita, erunt diuisibilia & μεριστά: omne enim compositum diuidi potest. Quando ergo dicimus Angelum vel animam humanam esse simplicem, puram & ἀμεριστόν: intellige id dici κατά τι, non ἁπλῶς & absolute: sed esse minus compositum, minus im-

purum, minusque diuisibilem, quam sint res aliæ, quæcumque illæ sint. Cum anima humana & Angelus non sint prorsus ἀμερι-στοι, habent partes, non quidem tales, quales sunt partes rerum crassiorum, id est non habent partes extensiuas: non enim habent partem extra partem, nec est pars vna spiritus ibi, alia hic: sed intelligibiles & metaphysicas partes, scilicet constitutionis, esse nimirum & essentiam; potes enim cõcipere partem vnam animæ humanæ, vel Angeli, quæ non sit alia. Ergo potes considerare esse, non considerata essentia, & essentiam sine consideratione existentiæ. At eiusmodi partes intelligibiles nullo modo cadunt in Deum: nullam enim potes cogitare partem in Deo, quæ sit diuersa ab alia, cum Deus sit summè vnus, hoc ipso quod Deus est.

Hinc vides, exactè & præcisè loquendo, quod solus Deus est simplex, purus, & ἀμεριστὸς: Angelus verò & anima humana dicuntur ἀμεριστοὶ, puri, & simplices, loquendo κατ᾽ ἀπλατὸς, & συγκριτικῶς: comparatione nimirum facta cum aliis rebus omnibus, quæ sunt re vera compositiores, impuriores, & magis diuisibiles, quam sint Angelus & anima humana.

Cæterum cum per vnicam animam humanam, vni corpori humano vnitam, homo constituitur & fit τόδε τι: per vnam eandemque etiam animam corpori humano

vnitam, homo ab omni alia re distinguitur: nam eadem res est, quæ dat esse composito, id est quæ facit compositum esse τόδετι, & quæ id distinguit ab omni alio; quæ res, dum consideratur vt constituens esse vel essentiam, nōscitur sub notione formæ: quando verò consideratur vt distinguit compositum, sub nomine differentiæ. Verum hoc ipso quod & dum constituit, distinguit, & hoc ipso quod & dum distinguit, constituit: siquidem alterum non potest esse sine altero.

Denique per hanc vnicam animam, vni corpori humano vnitam, homo non solum constituitur, & ab omni alia re distinguitur: sed etiam per eam omnes actiones edit, quemadmodum corpus hominis (vt quæuis materia) respectu essendi est mere passiuum: sic respectu operandi passiue se habet. Nam vndecumque est actus essendi, inde etiam est actus operandi, & pro modo essendi est modus agendi; id est, res nulla potest excellentius agere, quam est. Vnde illud, *vltra esse, non est posse*: & *causa numquam superatur ab effectu*, supple excellentia. Interim res quælibet infra modum essentiæ agere potest. Exēpla congerere superuacaneum fuerit in negotio adeo noto.

Anticipatio. Quod ad obiectiunculam de candela sebacea vel cerea dante lucem: dico massam sebaceam siue ceream non debere dici candelam, antequam ardeat: quod vel

ex etymo nominis manifestum est; nam non candet, hoc est non καίεται siue *vritur*; candela autem, ex sententia primarii ἐτυμολογιστοῦ dicitur à *candeo*, & hoc à καίω idest *vro*. Non magis, inquam, dicenda est massa sebacea candela, antequam ardeat, quam fasciculus lignorum ignis, antequam vrat: sed esse tantum fomitem ignis subtilioris, à quo lux secundaria est: nam primaria lux (vt hoc obiter) à sole promanat.

Porrò cum dico, quamlibet rem agere secundum modum essentiæ, indico essentiam cuiusque rei esse finitam & mensuratam, vel habere modum. Solus enim Deus est, qui est infinitus & immensus.

Atque hæc de explicatione definitionis animæ humanæ cuiuis moderato satis esse possunt.

CAPVT TERTIVM.

SECTIO PRIMA.

In qua de facultatibus animæ in genere.

NVnc post enucleatam animæ humanæ definitionem, iuxta methodum quam

in hoc opere nobis proposuimus: immediatè sequitur, vt proxime dicamus de animæ humanæ facultatibus siue potentijs, quibus mediantibus anima nostra edit operationes tam nobiles, tamque diuersas: quarum operationum anima dicitur πρῶτον δεκτικὸν: facultates vero δεύτερον δεκτικὸν harum operationum dici solent.

Verum hoc in loco de facultatibus animæ humanæ tantum θετικῶς loquemur. Siquidem eas hic solum facili, commoda, breuique via delineare decreuimus. Itaque quæstiones super hisce facultatibus maxima ex parte plus curiositatis, quam vtilitatis in se continentes, scriptis Physicis & Metaphysicis, quæ consulere potis est is qui de his multum sollicitus est, vbi eiusmodi quæstiones ad λεπτολογίαν, ne dicam ad nauseam ventilari & agitari solent, meritissimo relinquemus: partim ne liber in immensum crescat, cui certum modum statuimus: partim etiam & præcipuè, ne in rebus non ita necessariis lectorem oneremus, cuius commodo & voluptati præsentem laborem suscepimus.

Facultates nomen habent à facili, quia per eas anima est, vt ita dicam, facilis ad operandum. Vocantur etiam omnes hæ animæ facultates potentiæ, quia per eas potens est anima agere. Alioqui potentia notat facultatem particularem contra distinctam ab aliis, vt suo loco docemus. Facultates

cultates autem sunt in anima, vt partes in toto suo, imo sunt ipsa anima, vt partes definitionis sunt ipsa definitio: vna enim eademque res dum actuat corpus, dicitur anima: dum edit operationes alias, dicitur potentia: & sic cum sentit, dicitur sensus: dum intelligit, intellectus &c. Quare etiam hæ potentiæ sunt eædem essentiâ inter se: nam quæ sunt vnũ alicui tertio identitate essentiæ; sunt idẽ inter se. Distinguuntur ergo tantum à se inuicem & ab anima ipsa, à posteriori tantũ & distinctione virtuali; respectu nimirũ obiectorum & effectorũ: non distinctione à priori realiter. Causa horum est formalitas, vt ita dicam, siue ratio formalis animæ humanæ; omnis enim forma naturalis, præsertim anima, & ante omnia anima humana, quæ est immaterialis & immunis à materia, qualem esse animam nostram ex præcedenti doctrina patet; agit immediate sine potentia à sese realiter distincta, dum informat corpus, & dat esse composito. Ego & operationes edit per potentias à se ipsa non realiter distinctas. Vt se habet potentia passiua ad materiam, ita se habet potentia actiua ad formam. Quare cum ista sit essentialis materiæ, sic hæc est de essentia formæ, & nihil aliud est quam actus formæ: quia actus respectu operationum dicitur potentia.

Cæterum potentiæ animæ considerantur duobus modis. Primo interne & intra es-

ſentiam : hoc pacto ſunt ſimpliciter vnum inter ſe & cum anima; ſecundò externè, reſpectu nimirum operationum, & ſic diſtinguuntur ab anima & à ſe inuicem, virtualiter ſcilicet & à poſteriori, imo per definitionem, vt nonnulli loquuntur : alioqui differre per definitionem eſt realiter differre, vt vulgo ſumi ſolet.

Hinc videas quo ſenſu ſumi debet illud tritum, *nullum poſſe eſt eſſe*. Hic etiam diſcas potentias ſpirituum omnium, id eſt tum Angelorum, tum animarum hominum referri ad primam ſpeciem qualitatis, quatenus conſiderantur externe. Quid quod ſi anima noſtra operaretur, v. g. intelligeret per accidens, ipſum accidens diceretur intelligere, ſi intellectus eſt accidens, quum per intellectum intelligat anima. Item ſic daretur progreſſus in infinitum, ſi quidem intellectus intelligeret intellectum ſuum per alium, & hunc rurſus per alium : atque ita deinceps ad infinitum. Quare anima intelligit, & alia operatur per eſſentiam ſuam.

Hic quoque diſce, dictum illud, *ſolus Deus intelligit per eſſentiam*, ſic debere accipi: ſolus Deus intelligit omnia in eſſentia ſua, ſpiritus vero creatus admodum pauca in eſſentia ſua intelligit. Omnia tamen quæ intelligit, per eſſentiam ſuam intelligit, id eſt per ſe : non autem per potentiam realiter à ſeſe diſtinctam, ſiue per accidens.

Facultates animæ humanæ principes sunt tres numero, puta vegetatiua, sensitiua & intellectiua, à quibus dependent, & sub quibus comprehenduntur reliquæ facultates minores : de quibus omnibus ordine dicemus. Loquentes autem de animæ humanæ facultatibus, eum ordinem, quem ipsa anima in suis operationibus obseruat, imitabimur. Nam ea iam primum corpori vnita, tanquam tyro rudia solum curans, in vegetatione corporis fermè tota est ; ita nos primò de facultate animæ humanæ, per quam vegetationi corporis vacat anima. idest de facultate vegetatiua dicemus. Deinde anima humana iam tyrocinium quasi egressa, non solum vegetationis corporis satagit, sed etiam altiora manifeste capessens, sensum, idest rudiorem cognitionem aggreditur. Sic nos secundo loco de ea facultate animæ humanæ, per quam sensui operam dat, id est de sensitiua facultate verba faciemus. Tertio & vltimo anima humana, iam tanquam adulta & operationibus vegetandi ac sentiendi quasi authoritatem adepta, non solum de prioribus operationibus est sollicita, verum longe excellentiora audacter moliēs, intellectioni, idest exquisitiori cognitioni incumbit. Itaque tertio loco de ea facultate per quam intelligendi munere defungitur, idest de intellectiua loquemur.

Nota. Supra iam docuimus, animam nostram non sero incipere exercere facultatis intellectiuæ munia, licet ea non sint adeo manifesta in principio vitæ, vt opera vegetatiuæ & sensitiuæ facultatum: sed cum nulla sit dies, in qua primum dixisse liceat, *hodie capi intelligere*: cumque intelligentia sensim prorepat, ab initio illam nobis inditam esse necesse est.

Quod ad minores animæ nostræ facultates attinet, eas eo ordine enarrabimus, quo principes facultates explicamus, ac ita minorum animæ facultatum iuxta dependentiam quam à principibus habent, historiam declarabimus.

Verum enim vero cum anima humana, quamdiu est vnita corpori suo ad operationes, quas mediantibus facultatibus prædictis edit, fere semper ope membrorum corporis cui vnita est, vtatur: quæ corporis membra sunt tanquam organa harum operationum; quare nos de hisce corporis membris, prout operationibus inseruiunt, paucula quasi per transennam dicere, nec prorsus ἀδιανυτον, nec prorsus inutile esse duximus: exactiorem vero horum membrorum tractationem ei parti Physicæ, quæ vulgò ἀνατομικὴ dicitur, consulto relinquentes. Siquidem nos non hic corporis humani vel eius membrorum historiam scribimus, sed animæ humanæ cum suis facultatibus doctrinam demonstramus. De cor-

pore ergo humano & de eius partibus, hic tantum loquemur, quãtum ad doctrinæ de anima cum suis facultatibus illustrationem necessarium esse putamus.

Cæterum anima humana ad opera vegetatiuæ & sensitiuæ facultatum semper & necessario vtitur instrumentis corporis: ad opera vero intellectiuæ facultatis nec semper, nec necessario vtitur eiusmodi instrumentis. Anima enim humana intelligit&c. sine vllo corporeo organo etiam corpori vnita; quod & alibi in hoc opere demonstrauimus, nihil hic repetentes. Causa huiusce diuersitatis in operationibus animæ humanæ pendet partim ab obiectis, circa quæ operatio quæque animæ humanæ versatur; partim à fine, quem operationi cuique intendit. Quare cum anima humana operatur circa obiecta quæ sunt corpora singularia, v.g. circa alimentum hoc vel illud, vt corpus alat: vtitur corporeis organis. Itidem cum operatur circa obiecta singularia, quæ licet ipsa non sint corpora, tamen corporibus singularibus sunt omnino vnita, ac proinde circa ea anima humana agere nequit sine ope corporis. Operatur autẽ anima humana circa eiusmodi obiecta singularia non corpora, v.g. cum sibi proponit ea sentire, idest rudius cognoscere. Cuius generis obiecta sunt accidentia singularia crassiora, quæ scilicet sub sensum cadunt, vt hic color, hæc figura &c.

Exemplum huiuſce operationis animæ humanæ ſic habeto. Anima dum operatur circa hunc colorem, qui neceſſario inhæret huic corpori, vt eum tantum rudius cognoſcat vel ſentiat: neceſſario vtitur organis corporeis. Porro anima noſtra operatur non ſolum per has duas facultates, puta vegetatiuã & ſenſitiuã, de quibus iã loquuti ſumus; ſed etiam per facultatẽ intellectualẽ, dum nimirum operationi incumbit circa ſenſilia ſiue ſingularia ſenſus obiecta: ſicut & per ſenſitiuam, vt iam vidimus; licet alium ſibi finem proponat in hac operatione ſua, puta cognitionem excellentiorem & exquiſitiorẽ. In qua operatione per facultatem intellectiuam circa ſenſilia quoque vtitur ope corporis, quod & ſupra docuimus, cum explicaremus illud Philoſophi ὀυκ ἐστι νοεῖν ἄνευ φαντάσματος.

Verum cum anima noſtra impendit operam facultatis intellectiuæ circa immaterialia & exquiſitiſſimam cognitionem ſibi proponit: tum non omnino vtitur ope corporis, quod & alibi docemus. Ad hæc cum anima noſtra in omnibus operationibus ſuis omnium facultatum verſatur circa obiecta certa, in explicatione operationũ cuiuſque facultatis: de obiectis ſingularum facultatum ſtrictim, ſed pro illuſtratione præſentis negotij abunde dicemus. Nunc ad primam principem animæ humanæ facultatem.

SECTIO II.

In qua de facultate vegetatiua siue vitali animæ nostræ.

PRima princeps animæ humanæ facultas dicitur vegetatiua, alias vitalis, quia per eam corpus humanum vegetatur & vitam habet siue viuit. Ad quorum verborum intellectionem planiorem docere oportet quid sit viuere vel vita. Verum hic ab ἐτυμολογίᾳ vocis incipiendum.

Viuo, vnde vita, est verbum natalibus Græcum: si quidem venit à βιόω, quo Græci idem denotant, quod Latini per suum *viuo*, mutata penultima vocali in digamma æolicum, & mutata itidem β consona affini, in literam æolicam. Nunc veniamus ad ipsius rei explicationem, quam sic expedimus. Vnde vita.

Viuere est vitam agere. Vita autem variis modis sumitur. Primo apud Philosophos sumitur vel in actu primo, vel in actu secundo, vti loquuntur. In actu primo vita nihil aliud est, quam ipsa essentia: & viuere nihil aliud est, quam esse compositi. Hinc dicimus, anima dat vitam vel viuere cōposito, id est dat essentiam vel esse composito. In actu secundo vita est opera- Quid viuere.

tio animæ. Sic vegetatio, alitio, augmentatio &c. dicuntur vita In hac significatione, vita vt dicitur actio, quatenus procedit nimirum ab ipsa anima, vel à principio corporeo per animam animato, sic passio dicetur, prout scilicet recipitur in subiectum non animatum. V. g. alitio, quatenus procedit ab anima & animato corpore, est actio: prout verò recipitur in cibum, est passio.

Nota.

Item vita in actu secundo est terminus in corpore, puta alimonia, idest subsistentia ex alimento in corpore facta per passionem hanc; vnde vulgo dicitur, *vita est cuiusque per alimentum subsistentia.*

Secunda acceptio.

Secundò vita sumitur pro vnione animæ cum corpore, & hoc sensu definitur *vita esse coexistentia animæ & corporis simul.* Item pro vnionis illius continuatione, vel si mauis pro mansione animæ cum corpore, Et quia vnitur anima corpori vinculo natiui caloris in corpore: vita dicitur continuata natiui caloris perseuerantia. Hinc sumitur pro spatio vel tempore perseuerantiæ illius vnionis, siue vt aliter loquuntur, pro tempore quo subsistimus; vnde dici solet *vita est breuis vel longa.*

Tertiò vita sumitur pro conditione vel statu siue gradu vitæ; Hinc dicimus vitam aliam miseram, aliam fælicem. Item hinc sanitas definitur esse status vitæ perfectior.

Denique vita ſumi pro viribus videtur, Vnde illa phraſis, *vix vitam traho*, ideſt paruæ mihi ſuperſunt vires.

Cæterum princeps prima facultas animæ humanæ vegetatiua vocatur; quia per eam anima humana vegetat corpus ſuum, ideſt agitat & mouet per internam tranſmutationem. Quod negotium peragit anima noſtra inſtrumento calidi & humidi naturalis. Vnde corpus tum demum dicitur viuere, cum habet animam ipſam, mediante hac facultate vegetatiua inſtrumento calidi & humidi naturalis, agitantem & mouentem ipſum per tranſmutationem internam: & corpora in quibus hæc vegetatio eſt in aliquo gradu eminentiori, vegeta & viuida vocitantur.

Corpus viuidum.

Hic notes velim humidum & calidum natiuum κατ' ἐξοχὴν dici inſtrumentum primarium animæ, vt & calidum μοναδικῶς ſiue ſolitarie & ſine mentione humidi etiã dicitur, interim tamen peculiare frigidum & ſiccum ad operationem vegetantis animæ, eiuſque [organi] conſtitutionem requiruntur. Item obſerua, per calidum &c. non intelligendum hic eſſe ipſas meras qualitates, puta caliditatem, ſed ſubſtantiam caliditate &c. præditam: quæ ſubſtantia caditate &c. prædita ſæpius denotatur voce caloris: licet alias calor ſignificet non ſubſtantiam calidam, ſed qualitatem ipſam in abſtracto, ideſt caliditatem.

Obiectio

Insuper per calidum & humidum &c. non debes intelligere substantias plures & diuersas: sed vnam & eandem habentem hasce facultates benigne temperatas. Ea autem substantia est halitus siue spiritus subtilis, oleosus & pinguis, tenue videlicet corpusculum, quod vulgo vocatur spiritus vitalis; quippe primarium vitæ instrumentum. Hunc spiritum communiter dicimus esse vinculum corporis & animæ, siue medium quo corpus & anima vniuntur. Æquum enim fuit inter duo adeo dissita, ac sunt corpus crassum terrenumque & anima humana ita pura & simplex substantia, intercederet medium aliquod, quo naturæ tam diuersæ vnà copularentur.

Huic ergo muneri à summo rerum opifice delegatus est hic spiritus vitalis: quo mediante, vegetans omnis potestas & virtus animæ per corpus hoc crassum transmeat & transfunditur. Qui spiritus vitalis est substãtia minus pura, & minus simplex, cum sit non tantum materialis, sed & corporea, quam anima humana, quæ non solum incorporea est, verum etiam immaterialis, vt supra docuimus.

Altera ex parte hic spiritus vitalis, quãuis sit corpus, est substantia longe purior & subtilior, quam illud alterum crassum corpus. Prout vel hinc discas licet, quod spiritus vitalis maximè gaudet luce, à qua nutritur & fouetur: lux autem non est adeo

amica vlli, nisi excellentibus naturis.

Hic spiritus vitalis, quamuis ordinarie dicatur vnitiuum animæ & corporis, proprie tamen & exacte loquendo est instrumentum tantum primarium, quo mediante anima vt agens principalis, exequitur multa munia, cum sit pars solum corporis subtilior, non quid diuersum à corpore, quod sit mediæ naturæ inter animam & corpus. Nam re vera est corpus vel pars corporis si mauis, vt iam diximus.

Porro spiritus hic vitalis est duplex, scilicet fixus & fluens. Spiritus vitalis fixus dicitur is, qui ortum ducens ex semine toti corpori & singulis corporis membris inhæret. Vocatur cognatus & congenitus spiritus calor natiuus, & humidũ radicale Spiritus autem congenitus dicitur fixus & permanens συγκριτικὸς & comparae respectu nimirum fluentis spiritus: quo multo fixius & firmius manet, nec ita subito fluit vt spiritus qui cõmuniter dicitur fluens, licet reuera etiam ipse fluat, vt infra dicemus.

Spiritus vitalis fluens, est qui post vnionem animæ & corporis innascitur corpori, & subinde generatur, ope præsertim cordis, à quo tãquam à fonte, in reliqua membra deriuatur: in quibus est, sed non ita firmiter, vt ille prior siue fixus.

Vterque hic spiritus vitalis tum fixus, tum fluẽs venit sub appellationem calidi & humidi naturalis, quod calidum est blan-

dum & benignum, nec ita conſumens; vnde cæleſte nuncupatur. Non quod cælitus deſcendat: nam ex ſemine promanat, vt nunc diximus: ſed ad diſtinctionem ſcilicet illius calidi in corpore, quod eſt minus blandum minuſque benignum & elementare dicitur: temperatur enim ex elementis craſſius mixtis in corpore. Hoc calidum minus benignum & elementare, vt multo indignius eſt, ita multo copioſius in corpore, quam illud quod cæleſte vocamus. In calido hoc elementari extraneus quicunque calor qui eſt in corpore, v.g. febris &c. conſiſtit, minime vero in illo cæleſti.

Calidum vero natiuum & cæleſte ita eſt ſingulis partibus inſitum, vt ad ſenſum ab iis ſeparari nequeat, at eſt primum & plurimum in corde, vt in fonte; deinde, ſed minus, in ventriculo: tertio adhuc minus in hepate: 4 & omniũ minime, in cerebro &c. Interim tantum ineſt cuique corporis parti, vt natura partis fert, & operatio requirit.

Hoc in loco per tranſennam notare vtile fuerit, illud tritum in ſcholis, *calidum in corpore agit in humidum, vt flamma in oleum*, primũ & maxime intelligendum eſſe de calore corporis extraneo, qui agit violenter in humidum. Secundò, ſed minus, de calido illo rudiori corporis, non extraneo, quod elementare vocari docuimus. Tertio, & adhuc minus, de calido, quod cæleſte, ſed fluens nuncupabamus. Quarto, & omniũ

minime, de calido illo, quod natiuũ fixum nominauimus, cui ex aduerſo reſpõdet humidum, quod radicale dicitur. Verum operatur calidum hoc fixum in humidum radicale continuo, licet non ita vt prædicta calida agunt in humida ſua, idque operatione naturali & vniuoca, quæ fit per mutuam actionem & paſſionem, cum ſint corpora ita συγγένεα & affinia. Hanc autem mutuam actionem & paſſionem neceſſario ſequitur ſucceſſu temporis, ſed paulatim, conſumptio vtriuſque: conſumptionem ſequitur ineuitabiliter defectus tandem totalis vtriuſque, id eſt tum calidi fixi, tum humidi fixi: nam quotidie, quamuis lente admodum & paulatim valde, aliquid conſumitur ex vtroque neceſſario, vnde tandem deficiunt totaliter, alioqui forent infinita. Quod non ſolum falſiſſimum, ſed omnino ineptum eſt, vt vel pueri ſciunt.

Dicimus autem per mutuam hanc actionem & paſſionem calidi natiui fixi, & humidi radicalis, neceſſe eſſe quant decidatũ huic, tãtum & depereat illi, cum inter ſe omnino connexa ſint, vt & ſupra innuebamus. Porro defectus ille calidi natiui & humidi radicalis tardius in illo homine aduenit, in hoc vero citius: quia ille habet calidum & humidum multo copioſius & exquiſitius, quam hic homo. In omnibus tamen aduenire neceſſe eſt etiam iuxta curſum naturæ ordinarium ſine vllis extraneis oc-

casionibus vel adminiculis. Nec quicquam contra hanc inuictam veritatem facit, quod calidum hoc fixum & humidum radicale in horas corroboretur à calido & humido fluenti, quod rursus instauratur quotidie per alimentum. Si quidem vt calidum & humidum fluens, à quo quotidie multum deperit per mutuam suam actionem & passionem, non sufficienter reparatur per alimentum: nam numquam ei tantum aduenit per alimentum, quantum per actionem & passionem illam mutuam ei decidit. Ita calidum fixum, & humidum radicale non sufficienter corroboratur à calido & humido fluenti. Adde quod alimenta quæ ordinarie assumuntur ad instaurationem calidi & humidi fluentis, oppugnant calidum & humidum fixum. Vt interim nihil dicam de calido & humido extraneo, quæ licet primum agant in se inuicem, tamen secundo agunt in calidum & humidum fluens; denique in calidum fixum & humidum radicale. Quod videre est in morbo, puta febri; nam in febri extraneus calor primum agit in extraneũ humidum, deinde in reliqua eo ordine quo diximus.

Hic obiter obserues mecum, si calidum & humidum naturale corpori, sub qua appellatione nunc comprehendo calidum & humidum fixum, sint ita valida vt repellant omnino hanc oppugnationem calidi & humidi extranei, cum in se inuicem agunt

& ſeſe mutuo conſumunt, vt fit in pleriſque morbis; corpus multo melius ſe habere poſt morbum, quam ante: quippe iam liberatum à calido & humido extraneis mutua actione & paſſione à ſe inuicem cōſumptis. Sed ſi calidum & humidum naturale cedit extraneo, ita vt ab eo ſuperetur, breui ab eo in totum conſumitur.

Iam ex his quæ diximus vides, neceſſario per mutuam hanc paſſionem & actionem aduenire defectum calido fixo & humido radicali: quem defectum tandem ſequitur vtriuſque extinctio, ac conſequenter ſolutio compoſiti vel ſeparatio animæ à corpore, ideſt vitæ priuatio vel mors; cum calidum illud fixum &c. non ſolum ſit vt dicebam, primarium inſtrumentum quo anima vegetat corpus, ſed etiam vinculum quo corpus & anima vniuntur. Inſtrumento autem ablato neceſſario ceſſat actio, quæ non fit niſi per inſtrumentum, & ablato vinculo neceſſario ea quæ hactenus vnita fuerant, ſeparantur. Verum enim vero vel defectu ſpiritus vitalis propter hanc mutuam actionem & paſſionem, de qua iam ſupra, quamuis paulatim & lente properanti mors homini aduenit, vt iam demonſtrauimus, quæ mors ideo dicitur naturalis, licet euertat naturam compoſiti: vel mors homini accidit à violento aliquo principio externo, quo ſpiritus vitalis opprimitur, puta gladio &c. Hæc mors vulgo dicitur

violenta, quia per eam violatur curſus ordinarius naturæ, & qui ſic moritur, dicitur mori ante diem, ſupple hanc qua mori debebat iuxta curſum naturæ ordinarium. In vita vero futura corpus humanum non ſolum immune erit ab extraneo calore & humido, ſed etiam omne calidum & humidum naturale in eo erit fixum omnino & permanens, nec quicquam ab eo defluet ex operatione hac mutua, vt iam fit; cum pro ſublunari induet cæleſtem naturam, & pro corruptibilitate incorruptibilitatem aſſumet, ſicut alibi ex magno doctore gentium docuimus. Ita vt tunc corpus non amplius habiturum ſit opus vllo externo auxilio quo inſtauretur; nam inſtar angelorum corpora noſtra durabunt in cælis ſine alimento. Huc pertinet illud 1. *Corinth. cap.* 13. τὰ βρώματα τῇ κοιλίᾳ καὶ ἡ κοιλία τοῖς βρώμασι, ὁ θεὸς καὶ ταύτην καὶ ταῦτα καταργήσει: ideſt abolebit cibum & ventris vſum alterabit.

Cæterum vitæ duo ſunt ſtatus. Vnus perfectior. & dicitur ſanitas. Alter minus perfectus, & vocatur morbus. Itaque ſanitas eſt vitæ ſtatus perfectior, qui naſcitur ex εὐκρασίᾳ calidi & humidi, frigidi & ſicci in corpore humano cum bona corporis conformatione. Morbus contra oritur ex horum defectu. Sed hæc Medicis exagitanda relinquamus.

SECTIO

SECTIO TERTIA.

In qua de facultate nutrice, vbi de attractrice, retentrice, concoctrice & expultrice potestatibus.

PORrò facultati vegetatiuæ vel vitali tres subseruiunt minores facultates, puta nutrix, auctrix, & procreatrix; de quibus singulis ordine.

Facultas nutrix, est ea vis animæ, potestati vitali inseruiens, per quam alimentum assumptum mutatur, & mutatum corpori vnitur, & eo vnito corpus instauratur. Vt autem alimentum instauret corpus, necesse est vt primum sit corpori conueniens, id est corpori congruum, alioquin non alet: quæ enim sunt inepta ad alendum, ea alere non possunt. Deinde oportet sit sufficiens, idest nec nimium, nec minus æquo, alioqui non sufficienter, id est vel plus æquo, vel non satis alet; nam quod non est sufficiens in se ad alendum, non potest sufficienter alere. Alimento autem instauratur & corroboratur calidum & humidum fixum. Cum enim calidum &c. fluens quotidie aliquod insigne fluxu suo amittat, necesse est post periodos certas alimento instauretur. Verum in corpore non tantum alimento instauratur

fluens

id quod calidum & humidum fluens nũncupamus, ſed & aliæ itidem corporis partes eæque tum humidiores, tum ſolidiores; primo tamen humidiores, quia plus iis quotidie deperit quam ſolidioribus, cum partes ſolidiores & minus abundantes humido permaneāt per totam vitam. Niſi enim partes corporis præcipuæ, quales ſunt ſolidiores, permanerent per totam vitam, corpus non eſſet idem numero, magis quam Argo nauis, identidem nauis aſſeribus reparata. Item niſi corporis partes vt ſunt ſolidiores permanerent, forma ſepararetur à ſua propria materia, quæ duo ſunt abſurdiſſima.

Hic notandum, nutritionẽ fieri primario propter partes corporis diſſimilares, quibus vtitur præſertim anima velut organis ad operationes ſuas. Hæ autem partes poſt inſtaurationem per nutrimentum fiunt ad munia ſua aptiores. Partes diſſimilares, vt hoc etiam obiter, dicuntur eæ, quarũ portiones diuerſo gaudent nomine à toto. Vel pars diſſimilaris dicitur, cum totum prædicatur de portione ſui in obliquo caſu, vt caput, pes, &c. Contra pars hominis ſimilaris eſt, cuius portiones gaudent eodem nomine cum toto, vt caro, ſanguis, &c. vel cum totum prædicatur de portione ſui in recto caſu.

Denique hic obſeruatione dignum, prout corpus humanum exquiſitius multo eſt corpore belluæ, vel plantæ; ſic

alimētum quo nutritur corpus humanum, longe debet esse exquisitius eo quo nutriuntur corpora belluæ, & plantæ.

Cæterum facultati nutrienti subancillantur quatuor potestates adhuc minores, puta attractrix, retentrix, concoctrix & expultrix, de quibus singulis breuiter & ordine.

Facultas attractrix est ea, per quam mēbrum aliquod corporis humani attrahit sibi alimentum ope fibrarum rectarum, quæ fibræ cognomen habent ab eo, quod recta dependeant ab inferiori parte ventriculi & hepatis.

Virtus retentrix est ea, de qua membrum aliquod humanum alimentum attractum retinet ope fibrarum obliquarum; quæ fibræ ita dicuntur, quia à superiori in inferiorem partem veniunt à latere.

Virtus concoctrix est facultas, per quam alimentum concoquitur vi caloris vitalis, & ope fibrarum certarum ei operationi destinatarum.

Concoctionis sunt tres gradus: quorum primus fit in ventriculo, vbi alimentum iam ore præparatum mutatur in massam quandam lacteam, quæ dicitur chylus; vnde hic concoctionis gradus dicitur chylosis. Chylosin præcedit masticatio in ore dentibus si alimentum est solidius. Secundus concoctionis gradus fit in hepate, quo chylus ex ventriculo per venas mesara-

icas, id est medias inter hepar & intestina, ibi ex albo fit ruber, id est ex chylo fit chymus, qui κατ' ἐξοχὴν sanguis vocatur, licet in eo etiam reperiatur bilis, phlegma, & melancholia. Sicut in ore fit præparatio ad primum concoctionis gradum: sic in venis mesenterij fit præparatio ad secundũ gradũ concoctionis. Tertius gradus concoctionis est, per quem chylus per certos meatus delatus & diffusus in totum corpus mutatur in humorem, qui primo vocatur demensum, secundo ros secundarius, tertio gluten, vltimo cambium: & diffusus combibitur ab omnibus corporis partibus, & tandem corpori assimilatur, eiusque portio fit Prout præparatio ad primam concoctionem fit in ore. Ad secundam in venis mesaraicis: sic ad tertiam concoctionem fit præparatio in tenuibus venularum extremitatibus per totum corpus dispersis.

Notandum in vno quoque horum concoctionis graduum alimentum alterari, quare alteratio pars cõcoctionis esse dicitur Item notes volo, quodque corporis membrum, in quo & ope cuius fit concoctio attrahere & retinere alimenti particulã sibi conuenientem, vt ab ea alatur & recreetur.

Denique notato, in singulis concoctionis gradibus vitium committi sæpius. Verum vitium primæ concoctionis non corrigitur in secunda: nec secundæ in tertia. Ratio est, quia fiunt à diuersis efficientibus proxi-

mis, & in diuersis partibus, & ob diuersos fines proximos. Si vis exemplum rei familiaris, sic habeto. Coriarius committit vitiũ in præparatione corij, quod nõ corrigitur à calceario. Item in netione lanæ committitur vitium, quod non corrigitur in textura: nec vestiarius corrigit vitium netionis vel texturæ.

Virtus expultrix est, per quam inutilia ab alimento eiiciuntur ope fibrarum transuersarum. Vt sunt tres gradus concoctionis alimenti: sic sunt tres gradus excretionis inutilium ab alimento: quæ inutilia propterea recrementa siue excrementa vocantur. Primus gradus excretionis est, quo recrementa primæ concoctionis, quæ sunt crassiora, per aluum ordinarie egerũtur, & egesta in ἀφεδρῶνα eunt. Secundus gradus excretionis est, quo recrementa secundæ concoctionis, quæ sunt vrina, expellũtur præcipue. Tertius expulsionis gradus est, quo tertiæ concoctionis inutilia, puta vapor, halitus &c. per cutis poros emittuntur.

Non prætereundum est committi etiam vitium in quoquo horum expulsionis graduum, nec vitium primi gradus corrigi à secundo gradu: nec vitium secundi à tertio gradu, prout supra iam iam docuimus, loquentes de vitiis concoctionis. Rationem ibi vide: ea huc adaptari potest.

Ex recrementis autem primæ concoctionis nascuntur vermiculi in intestinis, ex ex-

crementis ſecundæ concoctionis naſcuntur calculi & arenæ in iis partibus per quas vrina tranſit. Ex recrementis tertiæ concoctionis naſcuntur ſudor , fuligo , ſcabies , pediculi, pulices.&c.

SECTIO IIII.

In qua de auctrice facultate.

FAcultas auctrix eſt ea virtus , qua per alimenti copioſioris agglutinationem corpus ſecundum tres dimenſiones extenditur per omnia membra, donec ad certam & iuſtam menſuram à natura præſcriptam, id eſt ad ἀκμὴν perueniat. Primo extenduntur partes corporis ſolidiores fibræ, venæ, nerui, ligamenta, cartilagines, oſſa &c. ſecundario partes fluidæ , vt humores & ſpiritus. Bona temperies calidi & humidi in corpore, promouet eius auctionem , vt & mala impedit , quominus bene fiat auctio, nec non defectus materiæ , exempli gratia in nanis , & exceſſus v. g. in gigantibus ; in cauſa ſunt , quominus bene fiat auctio. Corpus ordinarie creſcit in mare vſque ad 25. 26. 27. ætatis annum : in fæmina vſque ad 21. 22. quia huius corpus eſt humidius, quam illius. Circa ſeptimum ætatis annum fere dimidium habet magnitudinis corpus humanum, quantum ἐν ἀκμῇ habiturum eſt.

Nunc ſicut ad nutritionem requiritur, vt alimentum non ſolum ſit congruum corpori, ſed etiam ſufficiens, alioqui non conuenienter, nec ſatis alet: ſic niſi alimentum non ſolum conueniens & ſufficiens ſit, ſed & inſuper copioſum, non auget: ideo augentur corporis partes ad iuſtam menſuram, vt aptius inſeruiant animæ in ſuis operationibus: vtitur enim anima corporis partibus vt organis, vt toties inculcatum. Qui de his plura cupit, conſulat eam partem Phyſicæ, in qua de corpore viuente agitur. Si quidem nos hîc de actione, quatenus eſt operatio facultatis auctricis animæ noſtræ, non vero de corpore peream extenſo, niſi per tranſennam, in tantum nimirum ac negotium præſens requirit.

SECTIO V.

In qua de facultate procreatrice.

FAcultas procreatrix eſt ea poteſtas, qua homo iam habens corpus bene nutritũ & ſufficienter auctum ſibi ſimile procreat ex ſemine ſuo, per inſtrumenta certa: quæ quia procreationi vel generationi deſtinata ſunt, genitalia dicuntur.

Hæc facultas animæ procreatrix habens in promptu organa, & ſemẽ ad generationẽ valide apta, dici ſolet fæcunditas & homo

fæcunditate pollens dicitur fæcundus. Fæcũditati opponitur sterilitas, vt fæcũdo sterilis. Homo autem dicitur esse sterilis, cum procreatrix facultas eius animæ non habet organa, nec semen ad generationem requisitè apta.

Semen autem est excrementum, non vero inutile & noxium, quales sunt ea quæ eiiciuntur per aluum, vesicam, nares, aures, cutis poros &c. Sed semen est excrementum commodum, tertiæ nimirum concoctionis: siquidem est vapor spirituosus & succus valde halituosus decisus ex omnibus corporis partibus, intra vasa certa collectus, ibique ad generationem conseruatus in procreationem noui hominis.

Cæterum vnus homo non sufficit, sed duo sint oportet qui ad generationem coëant, agens nimirum & patiens. Hinc nascitur distinctio hominis in marem & fæminam: mas dicitur agens, & fæmina patiens, quia præcipue ille agit, vt hæc patitur in actu generandi. Interim ambo agunt & patiuntur, sed denominatio fit à potiori parte. Quę distinctio est modalis secundum existentiam: & modus hic existentiæ sexus nuncupatur. Inde in sexu dicitur esse alterutra potestas generandi. Sexus vero est vel gradus existentiæ, vel eius determinatio, nempe in homine. Mas & fæmina non solum distinguuntur generandi organis, licet iis primario distinguantur: sed etiam confor-

matione ac temperie aliarum corporis partium ordinarie diſcriminantur. Ideo nonnullis ſexus dicitur eſſe diſtinctio indiuiduorum puta in homine à diuerſa diſpoſitione corporis & diuerſitate membrorum.

Nota cum ſexus dicitur πάθος, id minus proprie dici: nam πάθος omne conuenit toti ſpeciei, non vero ſexus vterque.

Item illud quoque, θῆλυ ἐστὶ ἁμάρτημα τῆς φύσεως, minus exacte minuſque proprie dicitur, cum fæmina ſit perfecta in ſuo gradu exiſtendi.

Porro procreationi ſubſeruiunt hæ operationes primariæ, primo coitus maris & fæminæ: qui quia eſt prima operatio ~~eiaculatur ad os vteri fæminæ~~ procreandi & ſequentibus viam ſternens: per eam enim ſemē è vaſis ſpermaticis ab vtroque coeunte, dici ſolet communiter generatio & actus generandi, quamuis exacte loquendo multi alii actus ad procreationem pro his requirantur. eiaculatur ad os uteri foeminae,

Secunda procreationis operatio eſt, per quam ſemen operatione priori è vaſis ſuis dimiſſum non ſolum attrahitur ab vtero fæminæ, ſed & attractum ab eodem retinetur, & retentum calore vteri exſuſcitatur quaſi: fruſtra enim ſemen attrahitur, niſi retineatur: & fruſtra retinetur, niſi in eo ſpiritus, vt ita dicam, ſopitus quodammodo reſuſcitetur. Nam alioqui euenire poteſt, vt ſemen è vaſis ſpermaticis emiſſum ab

vtero attrahatur, nihil tamen ex eo producitur quia non retinetur. Imo euenire potest vt semen emissum & attractum retineatur aliquandiu, puta 2. vel tres dies frustra, nisi exsuscitetur.

Hæc secunda operatio vulgo dicitur conceptio. Inde definiri solet *esse massæ prolificæ, præeunte vel mediante coitu, constitutio.* Hæc operatio secunda est solius fæminæ, cum prior fuerit vtriusque, videlicet maris & fæminæ simul.

Tertia procreationi prolis inseruiens operatio est præparatio seminis iam exsuscitati ad formam fætus recipiendam.

Quarta operatio inseruiens procreationi prolis, est ipsius fætus ex semine conformatio.

Hæ duæ posteriores operationes fiunt à virtute ipsi quidem semini inhærente; sed à virtute vteri fæminæ fota & suscitata: quæ virtus seminis vulgo dici consueuit, δύναμις πλαστική vis conformatrix.

Sed de his plura inferius, vbi de origine animæ nostræ dicemus. Interim hæc hic satis sunto ac ita paucis pro negotio præsenti primam animæ nostræ principem facultatum expeditam relinquimus, & ad secundam properamus.

SECTIO SEXTA.

In qua de ſenſu in genere.

SEcunda princeps animæ humanæ facultas eſt ea quæ vocatur ſenſitiua. Vt per facultatem vitalem homo dicitur habere vitam vel viuere; ſic per ſenſitiuam dicitur homo habere ſenſum vel ſentire, ideſt rudiori modo quaſdam res cognoſcere. Quæ cognitio licet rudis, eſt tamen adeo firma & certa, vt ſi quis ei non credat, peccet contra Deum & naturam (à quibus vllam vnquam fieri illuſionem impoſſibile prorſus eſt, dum ſenſus ſine vitio ſiet) quarum rerum ſit hæc cognitio rudis, mox videbimus.

Verum hic ante omnia notandum, iuxta ἐτυμολογὺς, το *ſenſus* repetere originem ſuam ab Hebræo חושש *choſes*, per interpolationem nonnullarum litterarum. *Choſes* autem Hebræorum idem denotat quod *ſenſus* Latinorum. Cæterum to ſenſus multifariam ſumi ſolet. Primo pro facultate ipſa ſenſitiua: & hac mente loquentes dicimus omnem hominem habere ſenſum, id eſt, ſentiendi facultatem. Secundò ſenſus ſumitur pro ſenſatione vel actu ſentiendi: & ſic dicimus cæcum ſenſu viſus carere, id eſt

non actu videre. Tertio ſenſus ſumitur pro habitu illo rudi cognoſcendi: ſic dicimus hominem habere ſenſum, ideſt rudis cognitionis habitum. Quarto ſenſus ſumitur pro re ipſa rudius cognita: ita dicimus, *capio ſenſum horum verborum*, ideſt ipſa verba percipio. Denique pro ſenſorio ideſt ſentiendi inſtrumento ſumitur ſenſus: & ſic res quædam dicitur ſubiici ſenſibus, ideſt ſenſoriis.

Obiecta ſenſus.

Quod ad res attinet, quæ ſenſu cognoſcuntur, primario ſunt paucula craſſiora accidentia ſingularia, corporibus ſingularibus inhærentia. Secundario hæc ipſa corpora ſingularia pauculis his accidentibus veſtita, ratione nimirum horum pauculorum accidentium à quibus veſtiuntur, per ſenſus cognoſci dicuntur. Res autem hæ pauculæ, quæ ſenſibus immediate & primario percipiuntur, ſubiecta ſenſuum vel obiecta appellantur, quia ſenſibus ſubiiciuntur & obiacent. Quæ autem eæ res particulatim ſint, mox ordine docebimus.

Sed hic antequam vltra, obſernes ea quæ ſenſibus cognoſcuntur, debere eſſe præſentia, intellige reipſa vel repræſentatione, vt inferius ſuo loco videbimus.

Porro modus quo rudis cognitio per ſenſum fit: itidem rudis & ipſe eſt. Sic nimirum, res ſenſiles primum ſenſoriis, ideſt ſentiendi inſtrumentis obtenduntur, vel

obiiciuntur: deinde à rebus ita ſenſui obiectis per eadem ſenſoria imagines, ideæ, & vt ita dicam, notiones quædam extrahuntur, quæ extractæ ad interiora cerebri deferuntur; quò delatæ intra cerebrum recipiuntur: receptæ verò paulum ſubtileſcunt: at iam ſubtiliores factæ æſtimantur & perpenduntur: atque ſic æſtimatæ conſeruantur, ac pro exigentia depromuntur, atque ita tandem cognoſci per ſenſum dicuntur.

Hoc in loco ſcias volo, attentione opus eſſe vti res ſentias, alioqui non inde extrahes imagines. Sine autem extractione imaginum à rebus, nullus eſt ſenſus rerum. Quemadmodum dum ſpiritus, qui vocatur vitalis (de quo in ſuperioribus abunde diximus) eſt primarium inſtrumentum facultatis vegetatiuæ: ſic primarium inſtrumentum facultatis ſenſitiuæ eſt ſpiritus alter, qui ob hoc ſuũ miniſteriũ, quod ſenſitiuæ facultati operã impendit, vocatur ſpiritus ſenſitiuus: & eſt halitus ſpiritu vitali longe tenuior, atque aëri ſubtiliori magis cognatus, à quo aere ſubtili fouetur in corde ex ſpiritu vitali generatus in cerebro perfectius, vnde transfunditur per neruos ad omnes partes corporis, ſenſui à natura deſtinatas.

Cum definitionem animæ humanæ explicaremus, animam humanam vniri corpori ſuo; non ſolum tanquam formam id infor-

mantem, ſed etiam tanquam agentem prin-cipalem inſtrumento ſuo luculenter docui-mus.

Item, ſicut id, quo anima humana vti-tur vt organo primario ad operationem aliquam, non tantum dicitur inſtrumen-tum animæ, ſed quoque vinculum animæ & corporis: vnde ſpiritum vitalem, qui eſt primarium organon animæ, ad operationes vitam ſpectantes, vocari etiam vinculum animæ & corporis ad vitam in prædicto lo-co demonſtrauimus. Ita hoc in loco ſpiritũ ſenſitiuum, qui eſt primarium organon ad operationes ſenſiles, vinculum animæ & corporis ad ſenſum dici pariter ſciendum eſt.

Cæterum ſpiritus ſenſitiuus alio nomine vocatur ſpiritus animalis, quippe animanti peculiaris: ac non vt ſpiritus ille prior vel vitalis, qui eſt omnibus viuentibus com-munis.

Poſt ſpiritum animalem aliæ quoque non-nullæ corporis partes ſenſui inſeruiunt, quæ idcirco inſtrumento ſenſus etiam ap-pellantur, & iis eadem de cauſa ſenſus in-eſſe vulgo dicitur. Corporis autem partes, quæ ſunt inſtrumenta ſenſus, vel quibus ſenſus ineſſe dicitur: ſunt vel exteriores, vel interiores.

Corporis partes interiores, quibus ineſt ſenſus, ſunt cor, cerebrum, pulmo, ventri-culus, inteſtina, hepar, lien, renes, veſica

&c. exteriores verò sunt truncus, artus &c.

Sed imprimis & ante omnia cordi inest sensus propter generationē spirituū animalium, ac in cerebro propter eorundem spirituum elaborationem Hinc si cor est male affectum, non bene generantur spiritus sensitiui: & cum cerebrum non bene se habet, iidem spiritus non bene elaborantur.

Hic non obliuiscendum vitium generationis spirituum in corde non corrigi in cerebro: non magis quam vitium concoctionis, alimēti in ventriculo, non corrigitur in hepate. Rationem & exemplum huius rei pete ex eo loco, vbi loquuti sumus de vitiis concoctionis. Hæc de sensu in genere dicta sufficiant.

SECTIO VII.

In qua de generali sensus diuisione & de sensu externo in genere.

SEnsus in sua latitudine sumptus est duplex. Internus scilicet, & externus. Hic rudior, ille minus rudis. Sensus dicitur externus, quia eius obiecta sunt externa, idest extra sentientem, organa etiam externa, idest in exteriori parte sentientis; & media etiam externa, id est vel extra sentientem, vel in exteriore parte sentientis.

Quæ autē sint illa obiecta, organa & media per quæ fit sensus externus: inferius mox in historia cuiusque sensus externi particulari docebimus. Hinc sensus externi descriptio non incommode elici poterit: *Est sensus, quo res sensiles externæ per media & organa externa apta percipiuntur, ac eatenus sentiri dicuntur.* Contra, sensus dicitur internus, quod ea per quæ fit, idest organa sunt interna, nec non obiecta. Quæ sit autem definitio sensus interni, & quæ eius species, infra dicemus, post scilicet sensuum externorum explicationem.

Supra innuebamus res quæ sentiuntur, debere esse præsentes, alioqui subiici vel obiici sensibus nequeunt. Id tamen intellige fieri, vel reipsa cum præsertim res sensibus externis sentiuntur: nisi enim ipsæ res sensiles per præsentiam suam obiicerentur sensoriis, ab iis per sensoria imagines extrahi non possent, ac ita sensatio fieri nequiret, sine extractione imaginum nulla per sensus cognitio: post vero extractionem imaginum obiecta abesse possunt, & quotidie abesse experientia ordinaria docet.

Cum dicerem res sensiles debere esse re ipsa præsentes, quando res sensibus externis percipiuntur, interposui τό præsertim, quia hoc non semper fit: nam in vno externorum sensuum, puta in visu, res sensilis non semper est re ipsa præsens, vel res sensiles tantum fiunt præsentes per repræsentatio

tationem, præcipuè cum res sensibus internis percipiuntur, prout mox apparebit.

Ex superioris sensus externi definitione obseruare est, ad sensum externum non solum requiri organum & obiectum, sed etiam opus esse medio, per quod fit perceptio rei externæ sensilis. Et vt hæc tria, puta obiectum, organum & medium requiruntur ad sensum externum: ita non solum sensus bene & male fit pro bona & mala dispositione horum trium, sed etiam pro mala dispositione horum trium prorsus impeditur sensus.

Sensus externus diuiditur in quinque minores species, obiectis, mediis & organis distinctas. Sunt autem hæ, *tactus, gustus, visus, olfactus, auditus.* De quibus singulatim ordine, ac primum de tactu sensuum omnium externorum maxime communi, quippe per totum corpus diffuso, & licet ignobilissimo, maxime tamen omniũ necessario & facultati vitali proximo: cum enim deficit tactus, coniicimus harmoniam primarum qualitatum etiam deficere: in qua harmonia fundatur calidum natiuum & humidum radicale, ac consequenter cessat omnis operatio facultatum vitalis & sensitiuæ.

SECTIO VIII.

In qua de tactu.

TActus sic describi potest. *Tactus est sensus externus, quo per organon aptũ & mediũ conueniens res tactiles percipiuntur.* Res autẽ tactu percipiũtur vel mediate, vel immediate. Quæ immediate tactu percipiuntur, immediata tactus obiecta dicũtur, & sunt ex qualitatibus quę quod sẽsoria afficiũt passione, appellantur patibiles, quæque particulariter tactiles dici solent. Mediate corpora singularia qualitatibus tactilibus prædita tactu percipi dicuntur. Qualitates hæ sunt calor, frigus, humidum, siccũ; flexile, rigidũ; rarum, densum; subtile, crassum; læue, asperum; molle, durum; lubricum, aridum; lentum, friabile; leue, graue; & si quæ sint eiusmodi, de quibus singulis, sicut occasio præsens exigit, vnum aut alterum verbum dicemus.

Qualitates tactiles, nouẽ, sed non male *tango res*, dicuntur.

Calor est qualitas congregans homogenea & disgregans heterogenea, incidens, penetrans, coquens & maturans.

Calidum dicitur actu tale, quod tactu adurit. Aliud dicitur calidum potentia vulgo, alias calefactiuum, quod calorem excitat in eo quod calefieri aptum est, quodque calefactile dici consueuit; motus, piper, omnia amara, &c. sunt calefactiua.

Contra frigus eſt qualitas congregans homogenea & heterogenea, ac conſequenter aſtringens, condenſans, obſtruens & incraſſans.

Humiditas eſt qualitas, qua quæ corpora afficiuntur facile termino alieno includuntur, difficulter autem ſuo.

Contra ſiccitas eſt qualitas, qua quæ corpora afficiuntur, facile ſuis terminis cohibentur, & non ita facile alienis.

Durities eſt qualitas, qua corporis partes compinguntur & difficulter cedunt tactui.

Mollities contra eſt qualitas, qua corporis partes non ſunt adeo compactæ & tactui cedunt.

Aſperitas eſt qualitas, qua corporis partes aliæ aliis eminent, & tactum offendunt.

Læuitas contra eſt qualitas, qua vna pars corporis non eminet alij & tactum oblectat. In liquidis læue dicitur lene, & aſperũ vocatur acre: ſic aqua acris, oleum lene: ſic ventus aſper vel acer, aura lenis: ita humores in corpore dicuntur lenes vel acres.

Læuitati affinis eſt lubricitas, quæ eſt qualitas, qua corporis partes affectæ facile tactum fugiunt.

Ariditas eſt qualitas, qua corporis partes affectæ non multũ habẽt humidi, vt arena.

Lentor eſt qualitas, qua corporis partes ſunt inter ſe bene cohærentes, ac conſequenter difficulter ſeparantur, ſicut gluten.

Friabilitas contra eſt qualitas, qua cor-

poris partes non ita bene inter se cohærent, & facile separantur.

Flexilitas est qualitas, qua corporis partes affectæ, quasi humido glutine inter se compactæ, se incuruari patiuntur.

Contra rigor est qualitas, qua corporis partes affectę quasi sicco glutine coagulatæ potiùs franguntur quã incuruari se sinunt.

Raritas est qualitas, qua corporis partes extenuantur & dissoluuntur, vt spuma.

Densitas contra est qualitas, qua corporis partes sunt compactæ & concretæ.

Subtilitas est qualitas, qua corporis partes sunt minus solidæ, & valde tenues, & consequenter penetrantes, vt aer tempore gelu.

Crassities est qualitas, qua partes corporis sunt solidiores & conglobatæ, vt aer tempore pluuiæ.

Grauitas est qualitas, qua corpora affecta feruntur deorsum versus mundi centrum.

Leuitas contra est qualitas, qua corpora sursum tolluntur à centro mundi.

Qui de his plura videre cupit, eam partem Physicæ cõsulat, in qua de corpore naturali & de eius affectionibus, vbi de his pertractate agitur: nos enim hic de hisce qualitatibus tantum κατα πλατὸς obiter pauca attingimus: nimirum in tantum ac cognitionem earum ad doctrinam tactus melius intelligendam (de qua hoc in loco agimus) vtilem esse duximus, cum sensui tactus subjaceant.

Organon tactus extimum est cuticula, quæ & medium tactus dicitur: nam in tactu idem potest esse organon & medium. Quæ duo alioquin re ipsa distincta sunt, quod in aliis sensibus notes licet. Organa vero interiora tactus sunt nerui, membrana, caro &c. Tactu qualitas realis, id est ipsa qualitas tactilis imprimitur & recipitur in instrumentum exterius, vbi imago & intentio huiusce qualitatis efformatur, & efformata per spiritum sensitiuum tactui ordinatum ad sensum communem defertur: nam qualitas realis propter (vt ita dicam) crassitiem, cum desunt propria vocabula, minus propriis necessitas nos vti cogit, nequit imprimi spiritui sensitiuo, minusque multo recipi à sensu communi.

Notato tactum numquam æquè bene fieri ac impressione mediocri & blanda: quæ impressio variatur pro varietate qualitatum tactilium. Tactus promouetur & impeditur pro dispositione obiecti & medii, sed maxime organi. Quare quo melior temperies corporis tangentis, eo tactus est subtilior. Itaque homo habet tactum longe exquisitiorem, quam vlla bellua: quia corpus humanum habet temperamentum longe perfectius, quam corpus belluinum. Ideo autem corpus humanum est temperamento omnium mixtorum exquisitissimo, propter animam eius omnium dignissimã, quæ alioqui vt non adeo commodè recipi

poſſet à corpore nimis exquiſite tẽperato: ita nec eo poſſet vti vt inſtrumento ad ſuas operationes ſatis idoneo.

SECTIO IX.

In qua de guſtu.

SEcundus ſenſus externus eſt guſtus, ſubtilior & nobilior tactu, homini ad alimentum vtilis: qui ſic deſcribitur. *Guſtus eſt ſenſus externus, quo res guſtabilis per organon aptum & medium conueniens percipitur.* Res guſtabilis eſt quæ ſub guſtum cadit & guſtu percipitur, & eſt talis immediate vel mediate. Res quæ ſub guſtum cadit immediate, ſiue res quæ immediate guſtu percipitur, eſt qualitas quæ dicitur ſapor, qui ex qualitatibus patibilibus eſt vna, orta ex temperie (vi caloris) humidi per ſiccum percolati. Res quæ mediatè ſub guſtum cadit, eſt corpus ſingulare ſapidum, ideſt ſapore præditum.

Saporum autem duo ſunt genera extrema, puta, dulce & amarum. Dulce, eſt ſapor, in quo humidum aereum & mediocre ſiccum temperatur exquiſite per calorem mediocrem. Amarum, eſt ſapor in quo humidum paucum & ſiccum terreſtre copioſum vnita aduruntur quaſi per calorem vehementem.

Ex dulci & amaro inter se mixtis conficiũtur reliqui omnes quotquot sunt sapores intermedii, quales sunt salsedo, acredo, austeritas, aceribitas. Qui plura de his desiderat, consulat eam partem Physicæ, in qua de affectionibus corporis mixti naturalis agitur, & ibi inueniet quo desiderium expleat.

Gustus organon exterius est lingua, palatum, labra. Organon vero interius est neruus deferens spiritum sensitiuum gustationi destinatum. Medium per quod fit gustus, est saliua.

Notato hic qualitatem realem, idest ipsum saporem imprimi in organon exterius gustus, prout in tactu fieri diximus; & inde deferri ad interiora cerebri, vbi efformatur qualitatis realis, puta saporis, imago, vel qualitas intentionalis, quæ hinc ad sensum communem defertur, à quo non potest recipi qualitas realis, quod & supra in tactu docuimus, tu hinc repetas licet.

Gustus fit peius vel melius dispositione bona vel mala obiecti, medii vel organi, imo vitio eorum prorsus impeditur.

Gustus adeo vicinus est tactui, vt nonnulli non veriti sint eum quendam tactum vel speciem tactus nuncupare, licet re vera sit sensus alius à tactu, quod ex obiectis adeo diuersis clarum est: vt interim de instrumentis & finibus tactus,

& gustus multum differentibus taceam.

SECTIO X.

De olfactu.

TErtius sensus externus est olfactus, sensus admodum subtilis, homini ad commodum & volupe vtilis, quem sic describas. *Olfactus est sensus externus, quo per instrumentum idoneum & medium conueniens res odorabilis percipitur.*

Res odorabilis est quæ sub olfactum cadit, vel olfactu percipitur. Talis est vel immediate, cuiusmodi est odor, qui est ex qualitatibus patibilibus vna, orta nimirum ex conuenienti temperie per calorem, humidi aerei & blandioris cum sicco terrestri. Vel mediate res quæ mediate sub olfactum cadit, est corpus odoriferum, vel odore præditum.

Odor.

Odoris autem duo sunt genera extrema scilicet fragrantia & fætor. Fragrantia est odor, in quo siccum subtilius blandum valde cum humido aërio per calorem contemperatur. Fætor est odor, in quo siccum non ita subtile cum humido crassiori, vt plurimum putrescenti, per calorem minus apte contemperatur.

Fragrantia.

Fætor.

Alij odores ſunt inter hæc duo extrema intermedij, & de vtroque extremo participant. De his etiam enucleate in Phyſica, vbi de affectionibus corporis tractatur, quò lectorem, plura de his cupientem, remitto.

Odoratus inſtrumentum exteriùs eſt naſus. Interiora organa ſunt canales, quibus defertur ſpiritus ſẽſitiuus odoratui deſtinatus. Canales dicuntur proceſſus mammillares, ſuntque gemini pro binis naribus, præſertim ab extremis vbi nares attingunt, ſed in principio & radice conueniunt & in vnum coeunt.

Medium per quod fit odoratus, primarium eſt aer: ſecundarium aqua.

Cæterum olfactu ipſa qualitas realis, puta odor organo externo odoratus imprimitur, ac inde defertur ad interiora cerebri, ideſt ad truncum proceſſuum mammillarium: ibi efformatur qualitas intentionalis, ideſt odoris imago, quæ hinc defertur ad ſenſum communem, qui non recipit qualitatem realem, vti iam ſæpius dictum eſt.

Homo habet duas nares, nõ tamen res binas, ſed vnã odoratur vnica vice: vt etiã habet duas aures, non duplicẽ ſonũ vnica vice audit. Itidem duos oculos, non tamen videt res geminas, cum ſenſatio ſit magis per ſenſum communem qui eſt vnus (vt ſuo loco videbimus, & vnicam tantum rei

ſenſibilis ſpeciem vnica vice recipit. Quin etiam licet organa externa prædictorum ſenſuum ſint bina, nerui tamen interiora organa ſunt vnici, ſaltem qua propiores ſunt ſedi ſenſus communis. Nam quamuis hi nerui ſecentur in ramos duos, quorum ramorum extrema vniuntur organis exterioribus binis: hi tamen rami conueniunt in trunco vel radice, parte ſcilicet propiori ſedi ſenſus communis, vti iam iam docuimus. Idcirco imago vnica defertur ad ſenſum communem, & non gemina, nimirum ſi omnia ad ſenſum ſunt bene diſpoſita. Alioqui ſi ſit vitium, tunc res gemina ſentiri putatur: ac ſic ebrius habens ſpiritus viſuales vini, puta nimio vapore turbatos, ſe videre res geminas credit.

Quæſtio. Iam quæras, cur bina ſint organa externa à natura prædictis ſenſibus attributa.

Reſponſio. Reſpondeo vt ſint ſibi inuicem auxilio & ſolatio; ita ceſſante, vel impedito vno alterum operatur. His tribus ſenſibus tactui & guſtui plura ſunt inſtrumenta externa attributa, quemadmodum ſuo loco vidimus, vt ſe mutuo adiuuent & partes ſuas inuicem agant. Veruntamen propterea res plures vna eademque vice à nullo horum ſentiuntur.

Porro odoratus quo ad impreſſionem & receptionem ipſius qualitatis realis vel intentionis ſiue imaginis ipſius qualitatis hu-

iuſce realis ab obiecto, celerius multo fit & forte è loco remotiori à belluis nonnullis, quam ab homine. Atque hinc eſt, quod canis & vultur &c. vulgo dicantur ſuperare hominem odoratu, intellige nimirum celeritate tantum impreſſionis ipſarum qualitatum realium vel imaginum, non vero diſcretione earundem à ſe inuicem: vt nec æſtimatione, neque conſeruatione & memoria, in quibus maxime conſiſtit dignitas ſenſationis omnis. Quod hic dico de odoratu, idem intelligendum de auditu & viſu. Quare id non repetemus, vbi de iis ſenſibus loquemur. Cur autem ita celeriter belluæ quædam odorentur præ homine, temperies organorum externorum belluæ eſt in cauſa. Inſuper odoratus tardatur & promouetur mala vel bona diſpoſitione obiecti, medii & organi. Quin etiam eorum vitiis prorſus aliquando impeditur, ſicut in aliis ſenſibus declaratum eſt.

Denique vt omnia quæ de guſtu in præſentia ſtatui dicere concludam, ſciendum eſt guſtus & odoratus obiecta eſſe admodũ inter ſe affinia, ſunt enim adeo ſibi inuicẽ propinqua, vt à Philoſophis ſpecies odoris recenſeantur per nomina ſpecierum ſaporis, licet re vera ſint ab ipſis diuerſæ & re ipſa diſcretæ. Ita etiam ipſi ſenſus guſtus & olfactus inter ſe valde vicini ſunt Hinc ſæpe accidit, vt qui habet vnum bene vel male diſpoſitum, habeat & alterum, quod

euenit propter vicinitatem ſenſoriorum.

SECTIO XI.

De Auditu.

QVartus ſenſus externus eſt auditus, ſenſus perquam ſubtilis homini, propter ſocietatem omnino vtilis, ſic autem definitur. *Auditus eſt ſenſus externus, quo per organon idoneum & medium aptum res audibilis percipitur.* Res vero audibilis vel quæ auditur, eſt ſonus, qui eſt ex qualitatibus patibilibus vna, orta ex colliſione duorum corporum, quorum alterum contra alterum ſe obdurat, àc ita alterum alteri reſiſtit.

Sonorum ſunt duo extremi, nimirum ſonus acutus, & ſonus grauis. Sonus dicitur acutus, qui ob ſuam ipſius ſubtilitatem penetranter organon ἀκουστικὸν ferit. Sonus grauis ~~netranter~~ ob ſuam craſſitiem obtuſius ferit aures. Ex acuto & graui conficiuntur omnes ſoni intermedii, qui in muſica adeo grati ſunt.

Porro vt hic ſenſus, puta auditus eſt longe ſubtilior prædictis ſenſibus, ſcilicet tactu, guſtu, olfactu: ita ſpiritus huic ſenſui deſtinati, ideſt ἀκουστικοί, ſunt minus craſſi

multóque subtiliores quam spiritus prædictis sensibus inseruientes. Quin etiam imagines & species audibiles sint minus crassæ minusque, vt ita dicam, materiales, quam tactiles, gustabiles, & odorabiles.

Instrumentum auditus externum est auris, artificio suo inter alia mirabilis, cui vniuntur nerui ἀκουστικοὶ: qui sunt canales, per quos spiritus auditui destinati deferuntur à cerebro ad aures; qui licet sint gemini in extremis ramorum, qua attingunt aures: tamen conueniunt in trunco & radice. Cur autem homo habet duas aures, & rem tamen vnam vnica vice audit: rationem ex superioribus pete, si vis.

Mediũ per quod fit auditus, est duplex; externũ, puta aer, cælũ, ignis, aqua &c. & internũ. Mediũ auditus internum est ἀὴρ ἔμφυτος, innatus scilicet huic auris parti, quæ dicitur cauum ossis petrosi. Porro ad externum auditus sensorium defertur qualitas audibilis realis, idest ipse sonus: aer enim vicinus corporibus sonum edentibus imbuit aërem vicinum sono reali. Verum sonus hic, quamuis realis, non habet parem realitatis gradum, cum peruenit ad aurem, ac habet in principio, vbi est propior corporibus sese mutuo collidentibus, præsertim si ea corpora sese inuicem collidentia, ac ita sonum edentia sint paulo ab auribus audientis remotiora. Ratio est, quia sonus est multiplicatus per multos gyros, quibus

continuatur ab ipſo pulſu corporum ſeſe mutuo collidentium, ac proinde non eſt tam vnus; itaq; non tam realis: nam quodque quo magis vnum, eo magis res dicitur. In aure poſt receptum ipſum ſonum efformatur ſoni recepti imago, quæque per ſpiritus ἀκουστικοὺς defertur ad ſenſum communem.

Ex iis quæ de ſenſu odoratus diximus, diſcere potes, qua mente dicatur aper ſuperare hominem auditu. Denique auditus promouetur, tardatur & omnino impeditur pro diſpoſitione organi, medii & obiecti.

SECTIO XII.

In qua de viſu.

QVintus ſenſus externus eſt viſus, omniũ ſenſuum externorum nobiliſſimus & ſubtiliſſimus. Viſus homini ſolitarie agenti & in ſe conſiderato eſt magis neceſſarius quam auditus: nam eius ope homo fugit noxia, & ſequitur commoda ſibi. Contra viſus eſt minus vtilis ad ſocietatem humanam, quam auditus, nec non ad cognitionem diſciplinarum & myſteriorum regni cæleſtis.

Viſus, vt omnes reliqui ſenſus, fiunt re-

cipiendo ab obiecto rem ſenſibilem, ac ita ſenſoria dici poſſunt affici paſſione ab obiecto. Paſſio autem eſt ipſa receptio rei ſenſibilis in ſenſorio. Hinc eſt quod verba denotantia ſenſum, vt ſunt *ſentio, tango, guſto, olfacio, audio, video* &c. licet habeant flexionem verborum actiuam, ac ita grammaticis verba actiua nuncupentur: tamen cum paſſionem ob hanc receptionem rei ſenſibilis innuant, à Philoſophis verba paſſiua dicuntur. Verum cum dico ſenſum omnem fieri recipiendo rem ſenſibilem in ſenſorium: ſic intelligas velim. Tactus, guſtus, odoratus & auditus fiunt recipiendo ipſam realem qualitatem ſenſilem in organon exterius: in organon vero interius qualitatis illius tantum imaginem. Sed viſus fit recipiẽdo in organon externum realis qualitatis tantùm imaginem, non verò ipſam realem qualitatem: quod euenit partim ob craſſitiem, vt ita loquar, ipſius qualitatis realis, partim ob ſubtilitatem organi externi viſus, quod eſt multo ſubtilius, quam ſunt organa aliorum ſenſuum. Quin etiam imago rei viſibilis, quæ recipitur in ſenſorium internum viſus, eſt longe ſubtilior, quam imagines quæ recipiuntur in ſenſoria interna aliorum ſenſuum, vt & ſpiritus deſtinati ad miniſterium viſus, ideſt viſuales ſunt multo tenuiores & ſubtiliores, quam ſpiritus deſtinati miniſteriis aliorum ſenſuum. Itaque imagines viſibiles breuio-

ri egent mora, vt deferantur ad ſedem ſenſus communis, quam imagines ſenſiles aliorum ſenſuum: nam quo quid ſubtilius, eo citius hinc illuc defertur. Atque inde eſt quod multo prius videmus flammam bombardæ, quam ſonum eius audimus.

Item viſu certius cognoſcimus, quam auditu. Ratio eſt, quia licet ipſa qualitas realis, puta ſonus, deferatur ad organon externum auditus: tamen cum non niſi multiplicatus, ac ita minus vnus; minus enim vna, ſunt minus certa. Siquidem multiplicitas mater confuſionis eſt, ac ita incertitudinis, ~~niſi~~ ad aures perueniat: vel imago rei viſibilis in externum organon viſus recepta cum recta ſine vlla multiplicatione ob ſubtilitatem ſuam, & ſic magis vna, ideóque magis certa peruenit ad oculum. Atque hinc eſt quod dici ſolet, plus valet oculatus vnus teſtis, quam auriti decem. Hinc eſt quod oculi vocantur teſtes fideles.

Viſus ſic deſcribi poteſt. *Eſt ſenſus externus, quo per organon aptum & medium conueniens res viſibilis percipitur.* Res autem viſibilis dicitur vel immediate, & hoc vel primario, vt lux & lumen; vel ſecundario, vt color. Vel res dicitur viſibilis mediate, cuiuſmodi ſunt corpora luce, lumine & colore prædita. Dicimus autem colorem ſecundario, licet immediate viſibilem: quia ope lucis & luminis color irradiat,
ideſt

ideſt imaginem ſui efformat: hinc illa radiatura vel imago rei viſibilis dicitur mixtura lucis & coloris: lux vero vel lumen in ſe habet vim maximam irradiandi vel imaginem ſui mira celeritate repræſentandi. Apud Philoſophos, dum exacte loquuntur, lux & lumen diſtingui ſolent, vt lux ſit ipſa patibilis qualitas inhærens corpori perſpicuo, à cuius puritate oritur, & aliud corpus illuſtrans. Lumen vero eſt qualitas patibilis, generata à luce in corpore quod illuſtrari queat, ac ita lumen eſt effectum lucis. Sic lucem dicimus eſſe in ſole vel candela: lumen autem in aere illuſtrato luce ſolis vel candelæ.

Iam notes velim, omnia corpora non poſſe illuſtrari vel recipere lumen: ea vero quæ poſſunt illuſtrari, lucida dicuntur, cuiuſmodi ſunt aer, aqua, ignis, vitrum &c. Illa autem corpora, quæ illuſtrari nequeũt, obſcura appellari ſolent. Huiuſmodi ſunt terra & multa corpora compoſita craſſiora minuſque polita.

Cæterum ſecundario color viſu percipitur, vt dicebamus, qui eſt qualitas patibilis, orta ex mixtione lucidorum & obſcurorũ. Vt autẽ color videatur, neceſſe eſt vt illuſtretur: nam in tenebris color non apparet. Item opus eſt vt ſit in ſuperficie extima corporis denſi; quare color in viſceribus latens, non videtur.

Coloris duo ſunt genera extrema, puta al-



bum & nigrum. Albus color eſt, in quo eſt plurimum lucidi, obſcuri vero minimum. Niger color contra, in quo parum lucidi, & multum obſcuri. Albus color diſgregat viſum, vt conſtat vel per niuem. Niger vero congregat viſum.

Ex albo & nigro conſtant omnes colores intermedii, qui ſunt longe plurimi tum naturales, tum artificiales ad imitationem naturæ ab hominibus comperti. Ex coloribus intermediis ruber videtur eſſe ille, qui eſt in æquilibrio inter album & nigrum, ideſt ex æquo vtriuſque particeps.

Verum enim verò color vel eſt realis, qualis in plantis, & metallis, pannis &c. vel intentionalis, quales ſunt colores in iride, in ſpeculo &c.

Medium per quod fit viſus, eſt corpus quod illuſtrari lumine queat, quale eſt corpus διαφανές, vel pellucidum, per quod radiatura vel imago rei viſibilis ſpargitur, antequam ad organon viſus deferatur. Corpus vero dicitur διαφανές, tranſparens & pellucidum à receptibilitate luminis: quod ſcilicet lumen, tranſmittit: & lumen dicitur ἐντελεχείας διαφανοῦς, ideoque nec coloratur, nec videtur, vt aer. Aer non coloratur, ideſt luce non tingitur, vt videre potes in conclaui vndique clauſo, ſi per rimam ſolis radium immittis: radius enim licet tranſeat totum conclaue, non tamen apparebit, niſi in oppoſito pariete, vel pa-

nimento : vel ſi manum aliudue denſum interponas, aut ſi atomi eius quantitatis è puluere excitato volitent, vt lucem reflectere poſſint. Quædam etiam ſunt pellucida, quæ aliquatenus colorantur, vt aqua, vitrum, cryſtallum &c. Corpus quod non tranſmittit lucem, ſed reflectit, ideoque coloratur & videtur, opacum dici ſolet & lumen reflexũ, ab hoc opaco corpore propriè color dicitur. Eiuſmodi opaca ſũt colorata.

Primarium & ante omnia medium per quod fit viſus, eſt aer, qui quo purior, eo melior: Deinde cælum, ignis ſubtilis, aqua, vitrum, cryſtallum, cornu politum &c. Per aquam, vitrum, cornu politum, imago rei viſibilis defertur ad viſus organon, ſed non ita celeriter : nam eorum craſſitie aliquantiſper detinetur. Deinde in aqua, vitro &c. non ita fideliter redditur imago: frangitur enim & efformatur multo maior, atque adeo craſſa & materialis, vt non ſine errore ad organon viſus deferatur: vnde naſcitur error in viſu, qui vocatur παράλλαξις, ideſt alteratio, ſupple in viſione, qui error à nullo ſenſuum corrigi quit, ſed ſolum ab intellectu & ratione. παράλλαξις

Organon viſus externum eſt oculus, de cuius miranda fabrica conſule ἀνατομικήν. Interius vero viſus organon ſunt nerui, qui vocantur optici vel viſuales, quia per eos neruos, hi ſpiritus qui viſui inſeruiunt, ad oculum deferuntur. Obiter, qui habent Nota.

ſpiritus hos viſuales paulo ſubtiliores, proinde minus fortes, melius vident, ſi medium eſt tenuius ac minus illuminatum. Hinc eſt quod luſci melius vident crepuſculo, quam medio die; & è propinquo, quàm è longinquo. Contra qui habent hoſce viſuales ſpiritus craſſiores paulo, ac proinde fortiores, vident melius meridie, quam ſub extremis diei; & è loco longe diſſito, quam è propinquo, ſed non ita diſtinctè. Itaque egent ope medii alicuius craſſioris, puta conſpicilium, vt imago viſilis incraſſeſcat.

Cæterum binos habet oculos homo, vt alter alteri in auxilium ſit, ſicut ſupra diximus in auditu. Vnica tamen res vice vna videtur, non autem binæ. Rationem vide ſuperius in loco iam allato.

Vt viſus bene fiat, opus eſt bona diſpoſitione obiecti, medii & organi vtriuſque, nimirum externi & interni. Hinc ſi ſpiritus viſuales prorſus impediuntur, vt fit in nonnullis cæcis, non fit viſus omnino: ſin turbantur ſolum, fit quidem viſus, ſed non ita bene, vt accidit in ebriis, licet oculus bene ſe habeat. Contra ſpiritus poſſunt eſſe liberi & ad viſionem bene diſpoſiti: ob vitium tamen in oculo impeditur interdum viſus omnino, interdum vero turbatur tantum.

Micat oculus propter puritatem humoris in oculo, qui cryſtallinus dicitur, noctu non interdiu, quia lux minor obſcuratur à

maiore. Cum oculus motu celeri cietur, vt cum alapa impingitur, cryſtallinus oculi humor, quaſi denſatur, ac ad humorem cryſtallinum ſpiritus viſuales iam delati colliduntur & reflectuntur, ac proinde radiant. Hinc illa pars humoris cryſtallini, quæ non turbata fuit, v. g. ictu alapæ, alteram partem intuetur, quæ erat turbata.

Nunc hoc in loco, coronidis vice, ad doctrinam de ſenſibus externis, licet ſinguli ſenſus externi habeant ſua obiecta propria, tamen quædam res percipiuntur à pluribus ſenſibus externis, vt ſunt motus, quies, magnitudo, figura & forma externa &c. quæ omnia tum tactu, tum viſu percipiuntur, nec pertinent ad vllum ſenſum externum priuatim. De his ſingulis pro more noſtro vnum aut alterum verbum, cum ſint ſenſuum obiecta, dicemus.

Motus ergo eſt agitatio corporis ab vno termino ad alterum. Quies nihil aliud eſt, quam ceſſatio, ſcilicet à motu. Magnitudo alias quantitas continua eſt extenſio corporis ſecundum longitudinem, latitudinem & profunditatem. Figura vel forma externa (nam hic eas non diſtinguo, licet iuxta exactam Philoſophiam diſtinguantur) eſt qualitas, qua corporis extrema aliter atque aliter obiiciuntur ſenſibus, puta tactui & viſui.

Sed non prætereundum eſt, licet motus à vulgo putetur cadere ſub ſenſum auditus,

id fieri tantum ex accidenti & non per se, quia nimirum motus fit cum sonitu, qui est obiectum auditus.

Denique obseruatione dignum est, angelos tum bonos, tum malos dici sentiri, intellige per accidens; nempe ratione effectorum, quæ dicuntur producere. Hinc angelos auditos esse legimus etiam sine assumptione corporum, auditos vero post assumpta corpora, propter ipsa corpora, vel potius propter accidentia his corporibus inhærentia planum est.

SECTIO XIII.

In qua de sensibus internis in genere.

SEquuntur sensus interni, qui sic nominantur, quod eorum organa & obiecta sunt interna. Vnde talis sensuum internorum dari possit descriptio *Sensus interni sunt sensus, quibus per sensoria interna cognoscuntur obiecta interna.*

Sensoria autem interna sunt subtiliores spirituum sensitiuorum portiunculæ in vẽtriculis cerebri contentæ, & à natura ad talem operationem per hosce sensus ordinatæ.

Obiecta interna sunt imagines, species, ideæ siue intentiones rerum, sensibus externis obiectarum, quæ species rerũ à sensibus

externis per canales ſpirituum ſenſitiuorũ vectores huc delatæ non ſolum recipiuntur à ſenſibus internis, ſed & per eoſdem diſcernuntur, æſtimantur & conſeruantur.

Senſuum internorum tres ſunt ſpecies, puta, ſenſus cõmunis, phantaſia & memoria. Hæ ſpecies internorum ſenſuum non habent organa adeo manifeſtè diſtincta, vt externorum ſenſuum ſpecies habent ſua organa. Interim tamen ſunt ſpiritus alii atque alij, quibus ſenſus interni ad aliter atque aliter operandum vtuntur, quorum ſpirituum bona vel mala diſpoſitione iuuatur, promouetur, tardatur, & imò prorſus impeditur ſenſatio interna. Neque ſenſus interni habent obiecta ſua differentia, ita, vt externi ſenſus habent ſua: nam omnium trium ſenſuum internorum obiecta ſunt imagines & ideæ rerum ſenſibus externis obiectarũ, ſed aliter atq; aliter conſideratæ. Nec propterea hi tres ſenſus interni deſinunt eſſe à ſe inuicem diſcreti & differentes, cum diſtincta habeant munia, quæ ſeparatim obeunt.

In ſuperioribus dicebamus, rem debere eſſe præſentem vt ſentiatur: hoc intellige vel re ipſa, vt in ſenſibus omnibus externis. Excipe in viſu, vbi res fit aliquando præſens pictura, vel repræſentatione tantum, vel per imaginem in ſenſibus internis. Inſuper ſi opus eſt attentione ad ſenſus externos, multo magis opus ad internos ſenſus, vbi

imago rei ſenſilis eſt multo ſubtilior, ac ita facilius effugit, niſi attentio habeatur. De his autem ſenſibus internis ſingulatim & breuiter ſic agemus.

SECTIO XV.

De ſenſu communi.

PRimus ſenſus internus vocatur ſenſus communis, quia primum & commune omnium ſpecierum vel idearum à ſenſibus externis venientium eſt receptaculum. Quæ ideæ deinde poſt ſenſum communem à phantaſia, tertio poſt phantaſiam à memoria recipiuntur.

Verum enim vero quamuis ſenſus communis in cõmune omnes ſpecies & intentiones rerum in ſeſe recipiat, non tamen eas confundit, imo contra, eas diſcernit & diſtinguit à ſe inuicem. Senſus autem communis ſic deſcribi poteſt non incommode. *Senſus communis est ſenſus internus, qui ideas à ſenſibus externis ad ſe delatas primo omnium recipit, diſcernit & æſtimat*: quæ æſtimatio licet paulo rudior ſit, cum à nullo ſenſuum externorum fieri potuerit, hic fieri oportuit. Sedes ſpiritibus, miniſterio ſenſus communis deſtinatis, vulgo aſſignari in priori cerebri parte ſolet. Vt ſpiritus hi, qui ſunt pro organo ſenſus communis, bene vel male ſe habent, ſenſatio per ſenſum communem fit bene vel male.

Deniq; vt verbo cõcludã, hæc paucula quæ

de sensu communi in præsens dicere statui, scias velim: licet sensus communis sit commune omnium idearum ab externis sensibus delatarum receptaculum, manet tamen vnus & idem, prout centrum in circulo semper est idem, quamuis innumeræ lineæ è circumferentia prouenientes in eo conueniant.

Dictis hoc addere libet. Supra vidimus sensum omnem fieri per passionē iam dico in sensu omni non solum esse quod patitur, verum quoque & id quod agit. Licet enim prima impressio rei sēsilis vel eius imaginis fiat patiendo, sensus enim percipit rerum sensilium formas, idque absque materia, vt alibi docemus: nam oculus dum cernit album, eius formam percipit à materia aliquatenus abstractam: tamē post primam impressionem vel rei sensilis formæ siue ideæ receptionem in opere sentiendi omnino est actio, quod præcipue videre est in sensu communi, qui imagines rerum sensilium non solum patiendo recipit, sed & agendo diiudicat, in quo diiudicandi actu proprie & præcipue sensatio consistit. Itaque exactius loquentes, dicimus sensum siue facultatem sensitiuam & cum eâ siue per eam animam ad opus sentiendi concurrere actiuè, organon vero tantum concurrere passiuè.

SECTIO XV.

In qua de phantaſia.

SEquitur ſecundus ſenſus internus, qui vulgo phantaſia vel imaginatio dicitur: quia non ſolum phantaſmata & imagines rerum, quæ à ſenſibus externis per ſenſum communem ad ſe deferuntur recipit, ſed inſuper noua phantaſmata ad inſtar priorum cudit & effingit. Sic vero deſcribas phantaſiam licet. *Phantaſia est ſenſus internus, qui ſpecies & ideas rerum à ſenſu communi receptas & æſtimatas modo ſubtiliori recipit, diſcernit & æſtimat, nec non alias ad harum exemplum ſibi ipſi effingit.*

Phantaſia.

Vt ſenſus hic eſt diuerſus à priori, ideſt à ſenſu communi: ſic diuerſa habet organa ab organis prioris ſenſus, ideſt ſenſus communis: atq; organa ei⁹ diuersã ſedẽ à ſede & organo ſenſus communis habent. Organa autem phantaſiæ ſunt ſpiritus, non ſolum alij à ſpiritibus, qui inſeruiunt ſenſui communi, ſed etiam multo ſubtiliores & tenuiores illis ſpiritibus, qui ſenſui communi ancillantur.

Quod ad ſedem ſpirituum phantaſiæ miniſtrantium attinet, ea eſt in media cerebri parte, vt communis philoſophantium calculus ſtatuit.

A bona vel mala diſpoſitione horum ſpirituum operatio phantaſiæ facile vel difficulter fit.

Hoc in loco notandum illud in ſcholis tritum, nempe, *per ſenſum communem & phantaſiam homo ſe ſentire ſentit*, ideſt diſcretim & diſtincte ideas rerum à ſenſibus externis oblatas nouit.

SECTIO XVI.

In qua de memoria ſenſitiua.

TErtius ſenſus internus dicitur memoria, quæ ideas rerum meminit, ideſt in ſeſe manentes habet: nam *memini*, vnde memoria, eſt ab obſoleto Latino, *meno*, vt volunt Etymologi; quod *meno* Latinorum ego non vereor deducere à μένω Græcorum, à cuius à oriſto ſecundo formatur *mane*o Romanorum, quod & pueri ſciunt.

Memoriam autem ſic definire poteris ſi vis. *Memoria eſt ſenſus internus, ideas rerum à prioribus ſenſibus exceptas cuſtodiens, eaſque pro exigentia depromens, ac ita repræſentando imagines, eas præſentes faciens.*

Memoria habet ſpiritus ſenſitiuos alios à ſpiritibus reliquorum ſenſuum internorum operationi ſuæ peculiariter inſeruientes, qui vulgo in poſteriori parte cerebri ſedem

habere putantur.

Nota. Ne te fugiat, me non esse nescium à nonnullis, qui supra vulgum in ἀνατομικοῖς sapere se æstimant, non sic distingui sedes sensuum internorum, vel potius spirituum sensibus internis inseruientium: sed omnium & singulorum sedem esse per totum cerebrum promiscuè; Nos tamen hic opinionem super hisce maxime receptam sequimur, quam verissimam credimus, nostroque instituto maxime conuenientem, & scientes hanc philosophiæ partem iis exagitandam relinquimus, qui destinata opera eam tractant: siquidem κατὰ πλάτος de corporis humani partibus, tamen vere, ac prout inseruiunt operationibus animæ nostræ, hoc in opere dicere decreuimus.

Cæterum bona vel mala dispositio spirituum memoriæ inseruientium promouet vel impedit memoriæ operationem

Porro supra docebamus nonnullas belluas superare hominem celeritate impressionum idearum in sensus externos., vnde lynx visu, aper auditu, vultur odoratu, simia gustu, aranea tactu dicuntur anteire hominem: homo tamen omnes belluas longe post se relinquit earundem specierum vel idearum discretione, æstimatione & conseruatione distincta & clara, in quibus præcipue sensus consistit: sensu enim communi, homo imagines ab externis sen-

ſibus receptas melius multo diſcernit; quin etiam phantaſia homo adhuc melius longe æſtimat & perpendit rerum imagines; denique memoria homo conſeruat melius & exactius quam vlla bellua. Quare meritiſſimo dicas hominem ſuperare omnes belluas ſenſu.

Iam vt omnia de ſenſibus internis concludam, ſciendum eſt ſenſum internum optime adumbrare intellectum vel rationem, & nihil in hoc mundo propius eſſe intellectui, quam eſt ſenſus internus. Supra vidimus hominem videri aliquibus ſenſibus externis à bellua ſuperari: ſed ſenſibus internis, in quibus maxime conſiſtit ſenſatio, homo longius ſuperat omnem belluam. Siquidem belluæ ſenſus communis & phantaſia tantum obſcure diiudicant & æſtimant ideas rerum per ſenſus externos perceptas. Quid quod phantaſia belluæ ad pauca adſtringitur, nimirum ad ea quæ ſenſus externi perceperunt. Cum phantaſia hominis infinitæ fere virtutis ſit, quod ad memoriam ſenſitiuam attinet, ſi eam metiare diuturnitate conſeruandi, belluæ multæ forte ſuperant hominem eatenus: ſed in huius defectus ſubſidium homo habet memoriam intellectiuam & reminiſcentiam. Aſt ſi memoriam metiri libet claritate & diſtinctione, hac in parte homo ſuperior eſt. nam memoria belluæ eſt confuſa, nec poteſt aliter fieri, cum eius phan-

tasia & sensus communis sint confusi, si cum sensu communi & phantasia hominis comparentur, etiam in sensibus externis homo re vera superat belluam, si non celeritate, saltem subtilitate & dexteritate: nulla enim bellua percipit harmoniam & concentum sonorum, nec varietatem colorum percipit, neque odoris extra cibum, suauitatem olfacit, vt iis delectetur, prout facit homo. Idem intellige de tactu & gustu, ita vt meritò dicas, hominem comprehendere medullam sensibilium, belluam vero corticem tantum.

SECTIO XVII.

In qua de facultate concupiscibili.

PRincipes humanæ animæ facultates, de quibus hactenus loquuti sumus, puta vegetatiuam, siue vitalem; & sensitiuam, siue animalem: sequuntur hæ tres minores potestates, tanquam ancillæ dominas ἐπιθυμητικὴν, idest concupiscibilis, θυμητικὴν, idest irascibilis, & τοποκινητικὴν, idest locomotiua, de quibus singulatim ordine & clare, sed paucis pro instituto nostro agemus; ac primum de ἐπιθυμητικῆ siue concupiscibili, quæ est minor siue inferior potestas animæ humanæ, inseruiens duabus

prædictis principibus facultatibus, per quam homo ἐπιθυμεῖ concupiſcit, vel appetit aliquid vitæ ſuæ congruum, vel ſenſibus gratum. Hinc naſcitur diſtinctio appetitus, vel concupiſcentiæ.

Nunc cum ἐπιθυμοῦμεν concupiſcimus vel appetimus rem vt ſenſui gratam, v. g. cibum vt ſapidum eſt: tunc appetitus dicitur ſenſitiuus. Cum vero appetimus rem forte eandem, puta eſcam tantum vitæ commodam, nulla habita ratione gratandi ſenſibus appetitus: tunc vocatur vitalis. Ita vides appetitum ſumendi alimenti, ſiue is ſit alimenti ſolidioris, qui appetitus vocatur fames; ſiue liquidioris alimenti, quem vocamus ſitim: vno reſpectu poſſe dici ſenſitiuum appetitum, altero reſpectu appetitum vitalem, ſcilicet prout cibus appetitur, vel vt ſenſibus gratus, vel vt vitæ tantum commodus. Quod hic dico de appetitu ſumendi alimentum, idem dictum puta de appetitu exerendi excrementa ab alimento iam ſumpto. Verum hic appetitus eiiciendi excrementa ſiue ſolidiora, ſiue liquidiora per quemcumque meatum fiat, magis videtur dici debere appetitus vitalis, quam ſenſitiuus. Nam licet non fiat ſine placentia ſenſui: tamen magis in eo conſideramus quod vitæ commodum, quam quod ſenſibus gratum.

Hic iam quæres de appetitu venereo, qui vno verbo dicitur libido, vtrum ſit vitalis Quæſtio.

appetitus, an sensitiuus.

Responsio. Respondeo esse vtrumque, nam eo appetimus vitæ commodum, v. g. exonerationem excrementi, quamuis non noxij, nec inutilis, superabundantis tamen. Item cum vitam quam in nobis ipsis paulatim deficere percipimus, ac ita tandem eius finem præsagimus, vtcumque in perpetuum conseruare cupimus, idest si non in nobis ipsis, cum hoc sit impossibile, saltem in nostri simili ex nobis descendenti; quod possumus procreando prolem nos referentem, quæ procreatio fieri nequit sine actu veneris, per quem eiicitur siue emittitur semen, appetitus veneris potest dici appetitus vitalis. Verum cum venere sæpius nec exonerationem excrementorum, multo minus nostri similis procreationem quærimus, sed tantum rem sensibus gratam cupimus, ideo appetitus veneris licet sit vitalis, tamen est magis sensitiuus tunc dicendus.

Pariter appetitus somni, vigiliarum, quietis, laboris, modo dici poterit vitalis, modo sensitiuus, prout fit vel vitæ commodi causa, vel sensibus gratandi ergo.

Iam ne te lateat τὸ appetitus, licet si vim vocis spectes, tantum significet propensionem, puta animæ nostræ ad prosequendum id quod est commodum vel gratum, cum descendat ab *appeto*, quod denotat mouere ad, primigenio significatu: nam

peto

peto simplex idem notat, vt in hoc exemplo *peto vrbem*. Verum postea cum motus ad aliquid non possit fieri in viuente sine concupiscentia eò perueniendi, *peto*, & eius cōpositum *appeto*, pro cupio sumi cœperūt: hinc appetitus pro cupiditate sumitur. Interim tamen appetitus latius hic sumitur, vt sub se comprehendat etiam auersionem animæ nostræ ab eo quod est nobis noxium vel minus gratum: quare ad potestatem ἐπιθυμητικὴν vel concupiscibilem pertinet, non tantum propensio animæ ad quamque rem, siue ea res sit vitæ commoda, siue sensibus grata: sed etiam auersio animæ nostræ à noxiis & ingratis, cum & propensio & auersio animæ sub appellationem appetitus vitalis & sensitiui comprehendantur.

Cæterum alij sunt appetitus ab his, vitali scilicet & sensitiuo, diuersi, qui non pertinent ad facultatem animæ ἐπιθυμητικὴν, ac propterea non sunt huius loci, qualis est appetitus qui vocatur naturalis, mere scilicet, & appetitus qui vocatur rationalis vel intellectiuus, hic posterior vnica voce dicitur voluntas, de qua suo loco paulo infra (Deo dante) docebimus; vt prior, puta appetitus naturalis mere, vocatur ὄρεξις: atque nihil aliud est, quam instinctus à natura insitus cuique rei etiam sine anima, quo instinctu res quæque inclinat ad id quod est naturæ & conditioni suæ conueniens, ac auersatur id quod sibi est contrarium. Hinc instin-

ctus à natura cuique rei insitus cõmuniter dici solet, appetitus naturalis, supple mere nihil vltra, vt sic distinguatur ab appetitibus vitali & sensitiuo: qui licet etiam naturales dici possint, cum fiant naturaliter ab anima, quæ est naturalis forma corporis sui, tamen appellationem το appetitus naturalis relinquũt instinctui illi, quem singulis rebus etiam inanimis insitu in esse diximus. Præterea per appetitus vitalem & sensitiuũ non tantum appetitur id quod rei naturæ siue conditioni congruum est, sed altius assurgunt hi appetitus: nam & per hos homo appetit, quod vitæ suæ est commodum, vel quod sensibus est gratum.

Atque hæc de facultate ἐπιθυμητικῇ, siue concupiscibli in præsens sufficiant.

SECTIO XVIII.

De facultate irascibili.

SEquitur facultas θυμητικὴ siue irascibilis, quæ est secũdaria animæ humanæ potestas, ex qua tanquã ex fõte emanant omnia, quæ Græcis dicuntur πάθη, Latinis *affectus*, cuiusmodi sunt amor, ira, gaudium, tristitia, spes, metus &c. de quibus singulis ordine atque breuiter pro re præsenti, interim dilucide dicemus, ac primum de amore.

Amor est affectus, quo homo nititur esse

ἅμα idest simul & vnà cũ re grata. Et obiter hic vides, ἐτυμολογίαν τῆ amor: Alias definitur amor esse beneuolentia erga rem quâ gaudemus, quæ res dum vertitur in voluptatem nostram, non fit amor, sed libido: nam amor per se purus est. In amore spiritus dissipantur per membra externa, ita vt interdum cor nimis dilatatum suffocetur & moriatur homo.

Contra ira est affectus, quo homo conatur procul abesse à re sibi ingrata, ita vt interdum rem sibi ingratam cum violentia à se pellat. Ira si fuerit intensior, degenerat in furorem: vnde illud, ira furor breuis est; vel furor est ira plus æquo intensior. Quod si vero ira diutius manet, degenerat in odium, quod nihil aliud est quam ira permanens. Iræ species est zelus siue zelotypia, ira nimirum concepta contra id, à quo quod nobis charum est lędi putamus. Vindicta vero vel vindicatio, est effectum iræ, quo nimirum homo se liberat à re sibi ingrata. In ira fit collectio caloris circa cor, & transmissio eiusdem à corde ad partes quæ nocere possunt. Interdum vero transmissio, hæc caloris per partes corporis impeditur metu maioris periculi, iudicio, ratione &c.

Gaudium vel lætitia est affectus, quo homo se oblectat in re quam sibi bonam & gratam esse apprehendit. In lætitia spiritus sese effundunt ad sensum obiecti grati, quasi se se cum eo copulaturi; hinc in læ-

tabundis viuidus color faciei, propter effluxũ eo ſpirituũ cũ ſanguine puriori. Quare moderata lætitia depurare ſanguinem, & conferre ſanitati creditur: Quo pertinet illud, Prouerb. *cap* 15. *v.* 13. *&* 17. *v.* 22.

Triſtitia vel mæſtitia contra eſt affectus, quo homo ſe angit ob rem ſibi ingratam, quæ ſi eſt propter res malas alterius, dicitur miſericordia : ſin vero ob res proſperas alterius, vocatur inuidia. Lætitia autẽ ob res malas alterius, dicitur ἐπιχαιρεκακία, quæ eſt vitium in affectu naturali ortum ab obiecto apparenter bono loco veri boni.

Spes eſt affectus, quo homo ſibi pollicetur aliquid grati in futurum. Amiſſio ſpei dicitur deſperatio.

Metus eſt affectus, quo homo eſt ſollicit⁹ ac in futurũ ne loco boni, quod ſpe ſibi promiſerat, aliquid mali ſibi eueniat. In metu fit fuga caloris intrinſecus eius qui eſt extra ad cor, eius vero qui eſt in corde ad penitiſſima cordis: hinc timentes pallent & tremunt, cutis & capilli rigent, calore deſerente membra. In timore maximus caloris concurſus fit ad cor, quoniam cor laborat. Excuſſio metus dicitur audacia. Species metus eſt verecundia, qua homo eſt ſollicitus ob ignominiam futuram : verecundamur enim ne amittamus bonum, quod nobis ipſis pollicebamur. In verecundia laborat facies, quaſi non potens ferre præſentiam eius, qui noſtrum defectum

videt, natura quaſi opem latura illuc calorem mittit, calor etiam ſanguinem trahit, vnde erubeſcimus. In adoleſcentibus eſt ſignum ingenui animi, cui cura ſit defectus proprij; in ſene non laudatur, quia eſt ſignum eum non adeptum eſſe virtutem. Qui eſt verecundia deſtitutus, dicitur inuerecundus, & exprobratione impudens: ſi quidem impudentia eſt verecundiæ priuatio. Sed hæc ſatis de θυμητικῇ eiuſque affectibus ſint.

SECTIO XIX.

In qua de facultate τοποκινητικῇ, de vigilia & ſomno.

REſtat facultas τοποκινητικὴ, ſiue locomotiua, quæ eſt ea ſecundaria animæ noſtræ poteſtas, per quā homo mouet corpus ſuum in loco: idque vel ſecundum ſe totum, v.g. cum diſcedens relinquit vnum locum & occupat alium: vel ſecundum partes tantum homo mouet corpus ſuum, vt ſunt motus pedis, manus, capitis &c.

Inter ſpecies motuum partialium corporis, inſignis eſt pulſus cordis & arteriarum, diuiſus in ſyſtolen & diaſtolen, id eſt contractionē partium, & dilatationem: quò pertinēt reſpiratio, inſpiratio, expiratio &c.

de quibus omnibus enucleatè in Physica tractatur, quò lectorem plura desiderantem remittimus, cum nos de his tantum hic loquamur, quantum ad rem nostram facere putamus.

Iàm notes vsum liberum sensuum ἐπιθυμητικῆς & τοποκινητικῆς vocari vigiliam, & hominem quandiu iis libere vtitur dici vigilare: vice versa cessationem sensuum externorum, sensus communis & τοποκινητικῆς ab operatione vocari somnum, & hinc hominem dum ab horum operatione cessat, dici somnum ducere vel dormire. Hoc posterius proprie est ἐν δέρμασι somnum inire, vt olim apud Græcos fiebat, & etiamnum hodie alicubi terrarum fit. Somnus nonnullis vocatur retrocessus quidam. Per somnum homines fiunt similes belluis, belluæ plantis, vt tempore hyemis plantę fiunt similes inanimatis.

Sensus communis est arbiter sensuum externorum, ideo eo impedito vel ligato necesse est impediri vel ligari sensus externos. Hinc somnus definitur sic à nonnullis, *affectio sensus communis non operantis ob organi sui impedimentum*. In somno spiritus qui meat ab extra ad cor cessant, sed qui intus sunt etiam à corde mouentur.

Nota. Initio somni, præsertim grauioris, spiritus contrahuntur ad cor, & sic vides etiam in somno motū spirituū reciprocum seruari. In medio somni se dilatant spiritus ad exterio.

res corporis partes, hinc initio ſomni partes corporis extremæ ſunt frigidores, in medio calidiores. Cum ſpiritus multiplicati ſunt & exuberantes in extremis partibus, redeunt ad cor, motum contrarium facientes, ac ita euigilamur.

In ſomno phantaſia & memoria non deſinunt exercere operationes ſuas; teſtimonio ſunt inſomnia. Inſomnium autem eſt efformatio imaginis per phantaſiam, dum homo dormit, de obiecto præſenti tantum per repræſentationem.

Inſtrumentum primarium harum trium poteſtatũ, de quibus proxime diximus, puta concupiſcibili, iraſcibili, & locomotiua; idem eſt quod & aliarum facultatum, ſcilicet cor: deinde ſecundum locum tenent hepar, lien, renes, cum ſpiritibus quos natura his operationibus deſtinauit. A bona vel mala horum inſtrumentorum diſpoſitione, ſuper omnia cordis, operationes harum facultatum minorum bene vel male fiunt.

Hic non prætereundum ἐπιθυμίας ſiue cupiditates πάθη ſiue affectus, cum ſunt homini naturales, quippe naturaliter promanantes à facultatibus animæ humanæ naturalibus, quæ anima corpus humanum naturaliter informat & ita hominem conſtituit non magis mali ſiue vitij in ſeſe continere, quã τοποκινήσεις ſiue motus in loco; exceſſus vel defectus in illis ſunt tantũ in vitio. Quod verum eſt, non ſolum in his operationibus,

ſed & in aliis id genus omnibus, quæ non ſunt ſecundum naturæ rectæ regulam & præſcriptum. Verum cum homo pro imbecillitate naturæ ſuæ iam corruptæ ſæpiſſimè labatur modo in exceſſum, modo in defectum cupiditatum & affectuum, virtutem in horum moderatione, non autem priuatione eſſe ſitam docent ſaniores philoſophi Ethici. Ac ita vides per ἀπάθειαν Stoicorum eſſe intelligendam μετριοπάθειαν, non autem παθέων priuationem.

Epilogus hactenus dictorum de vitali & ſenſitiua facultatibus.

ATque ſic habes duas principes animæ humanæ facultates vitalem & animalem, cum minoribus poteſtatibus, quæ iis ancillantur, quæque ab iis dependent breui ſermone, ſed vt ſpero, facili & claro, atque pro inſtituto noſtro ſufficienti explicatas: quarũ facultatum tum principum, tũ minorũ ſimiles in aliis viuentibus, nimirũ in belluis poſteriorem principem animæ facultatem cum ſuis minoribus poteſtatibus & priores principes facultates, nec nõ minores poteſtates ei inſeruientes, non ſolum in belluis, ſed etiam in plantis inuenire eſt. Interim licet facultates illæ, quæ in belluis & in plantis ſimiles ſint facultatibus in homine, quas hoc in loco explicauimus: tamen procedunt à diuerſis cauſis, puta ab animabus diuerſis. Nam, vt ſupra ſuo loco vidimus, anima humana

est naturæ & conditionis maxime differentis ab anima belluina, vt & anima belluina est diuersa ab anima plantæ: quamuis facultas vegetatiua cum suis famulis potestatibus similis sit vegetatiuæ in belluis, cum minoribus sibi ministrantibus. Nec vllum offendat, quod effecta adeo similia producantur à causis natura diuersis. Cuius rei exempla & alibi reperire est. V. g. calor ignis est quodammodo similis calori solis, sol tamen & ignis plurimum differunt.

Verum hæc de his in præsens sufficiant, quare nunc ad tertiam principem animæ humanæ facultatem, puta intellectiuam, accedamus, quæ homini soli ex omnibus viuentibus hic sub cælo propria est, prout in superioribus demonstrauimus.

SECTIO XX.

In qua de intellectiua facultate plurima.

INtellectus vel νοῦς est facultas animæ humanæ maxime nobilis, quo homo non tantum inferiores creaturas omnes post se relinquit, sed & Angelis fere æqualis est; quin quod maximum est, homo intellectu ad Deum creatorem quam proxime accedit. Verum hic in huius doctrinæ limine

antequam vltra procedamus, τῶ intellectus homonymiam discutere, ad cognitionem sequentium omniuo vtile erit.

Primum ergo *intellectus*, sumitur pro ipsa substantia spirituali, ac sic anima humana dicitur intellectus, angeli appellãtur intellectus vel intelligentiæ. Secundò intellectus sumi solet pro tertia principe animæ humanæ facultate, puta intellectuali, ac ita comprehendit sub se eam vim huius tertiæ facultatis principis, quam peculiariter intellectum dicimus, nec non duas alias vires scilicet voluntatem siue appetitum intellectualem & memoriam intellectualem. Tertio intellectus sumitur particulariter pro prima vi huius tertiæ principis facultatis, puta pro vi intelligendi: ac sic cõtra distinguitur ab aliis duabus viribus, puta voluntate & memoria intellectuali. Quartò intellectus sumitur pro cognitione principiorum, ac sic est vnus ex quinque habitibus, de quibus paulo inferius. Quintò intellectus sumitur pro actu intelligendi, idest pro intellectione. Sexto & vltimo intellectus capi solet pro re per intellectionem intellecta.

De intellectu in prima significatione supra dictum est, vbi ipsius animæ nostræ appellationem discussimus. Intellectum in secunda vero acceptione sic definimus. *Intellectus est potestas animæ humanæ, per quam homo intelligit cuiusque generis res, &, intel-*

lectas prosequitur ac retinet. Ex hac intellectus descriptione potes eius subdiuisionem discere, scilicet in intellectum peculiariter dictum, in voluntatem & in memoriam intellectualem: siquidem intellectu peculiariter dicto homo rem intelligit, voluntate rem intellectam prosequtur, memoria rem eandem retinet. De his tribus deinceps & ordine loquemur: sed primum de primo, nimirum de intellectu in tertia acceptione dicemus. Quod vero attinet ad alias intellectus acceptiones, eas in sequentibus pro rerum exigentia, Deo dante, videbimus.

Porro *intellectus peculiariter sumptus est vis facultatis intellectualis, per quam homo exacte & exquisite cognoscit*, idest, vt verbo dicam, per quam intelligit omnia, hoc est entia cuiusque generis. Non ergo rudis cognitio hic vt per sensum, cum sit exacta & exquisita: nec hic cognitio ad paucula restringitur, vt fit in sensu, cum ad omnia entia extendatur. Vt homo per sensum subtiliori via cognoscit quam bellua, cuius cognitio est rudior longe quam hominis per sensum: ita per intellectum rudiori modo cognoscit homo quam angelus, cuius cognitio est subtilior longe quam hominis. Hinc κατ' ἐξοχὴν à nonnullis cognitio angelorum intellectualis nuncupatur & merè, à quibus cognitio hominis per intellectum, tanquam appellatione inferiori, vocatur rationalis.

Cæterum hos gradus cognitionis notant nonnulli. Primo in homine est rudior cognitio per sensum, quam vocant mere sensitiuam, qualis est in belluis. Deinde est cognitio in homine subtilior priori illa, eaque non solum per sensum, sed etiam per rationem. Hanc cognitionem hominis per rationem vocant rationalem. Tertio est cognitio in angelis adhuc subtilior per intellectum, quam propterea vocant intellectualem. Denique addunt cognitionem in creatore, quam vocant intuitiuam, qua vno intuitu & simplici actu sine successione & tempore, sine intermissione, perpetua ac immutabili apprehensione omnia cognoscit.

Interim tamen, venia prædictorum hominum, vere & ordinarie cognitionem hominis per rationem, æque ac cognitionem angelorum per intellectum, vt & cognitionem Dei vocitamus intellectualem, cum ratio in homine sit vis intellectus, & Deus cum cognoscit intelligere dicitur.

Ea quæ intellectus intelligit dicuntur intelligibilia, quod intelligi queant; itemque intellectus obiecta, quod intellectui obiiciantur. Ea vero quæ ab intellectu intelliguntur vel intelligi possunt, non sunt æque intelligibilia omnia: vnum enim alio magis & prius intelligitur, vel intelligi potest, ac proinde omnia intelligibilia non

ſunt æque dicenda intellectus obiecta. Aſt id quod eſt magis & prius intelligibile, magis & prius dicendum eſt intellectus obiectum. Quare quod primario & maxime intelligibile, erit primarium intellectus humani obiectum. Maxime autem & primario intelligibilis eſt Deus, & proinde primariũ intellectus obiectum. Ideo Deus eſt maxime intelligibilis, quia maxime & primario eſt verus: & hoc quia ſolus vere eſt: omnes enim creaturæ, quotquot ſumus, à Deo omnino pendemus & dependemus, tum quoad eſſe, tum quoad operari, ἐν αὐτῷ γὰρ ἐσμὲν καὶ ἐν αὐτῷ κινῦμεν. Item cũ ens ſit proprium & adæquatum intellectus obiectum, id quod eſt maxime, eſt primario intelligibile, ac conſequenter primarium intellectus obiectum. Præterea, quod eſt maxime ens, eſt maxime verum: nam quatenus quid eſt ens, eatenus eſt verum, quando ens & verum reciprocantur. Itaque cum Deus ſit maxime ens, erit maxime verus: reliqua ergo omnia cum non ſint vera entia, niſi propter dependentiam à primo & ſummo ente, vere non ſunt vera, niſi propter eandem dependentiam. Cum ergo entia ſint intellectus obiecta, ideo quia vera ſunt, quæ ſunt ſecundario vera, erunt ſecundario intellectus obiecta, cuiuſmodi ſunt res omnes creatæ. Ita tamen vt res quo plus veritatis in ſeſe continent, & quo magis accedunt ad primum verum,

puta ad Deum, eo plus & magis intellectus obiecta sunt dicenda: hinc substantiæ magis dici debent intellectus obiecta, quã accidentia, cum aliter se res habeat in sensu, cuius obiecta primaria sunt accidentia. Item vniuersales naturę sunt magis intellectus obiecta, quam singularia, vltra quæ sensus non ascendit, vt alibi docuimus &c. Insuper facultas animæ nostræ quæque fertur ad obiectum suum, vt ab eo perficiatur: sic facultas videndi vel visus fertur ad lucem & colorem, tanquam ad fines suos, vt ab iis perficiatur. Ita intellectus noster fertur ad ens & verum, tanquam ad finem suum, vt ab eo perficiatur: à fine enim res quæque perfecta est, & in eo acquiescit. Huc pertinet illud, omnes studio veritatis tenemur. Deinde quo obiectum est perfectius, eo ad id facultas animæ magis fertur. Ita visus magis fertur ad lucem, quam ad colorem; hinc intellectus magis fertur ad Deum, quam ad alia entia, quia ab eo magis perficitur. Imo maxime ad Deum fertur, quia maxime ab eo perficitur Ita enim perficitur intellectus noster à Deo, vt vltra nihil desideret, sed in eo, tanquam in vltimo fine, penitus quiescat.

Verum cum dico intellectum nostrum magis quam ad alia siue maxime ferri ad Deũ, id intelligi cupio de intellectu nostro in statu primæ integritatis suæ, vel in statu

plenæ restitutionis siue gloriæ: nam in hoc statu præsenti siue in terris post lapsum primorum parentum, etiam in optimis hominibus intellectus noster modo ad Deum fertur, sed non plene, proh dolor! & hoc fit cum bene se habet, modo ab eo refugit, nimirum cum se male habet. Quemadmodum cum visus se habet bene, fertur ad lumen: sin vero male se habet, & non bene est dispositus, fugit lucem, & quærit tenebras. Ratio huius inconstantiæ est, quia homo primus inobedientia sua ita lapsus est, vt nullo pacto ad Deum assurgere queat post lapsum, vt prius ante lapsum ad eum ferebatur, etiam nequidem in statu restitutionis inchoatæ siue gratiæ, cum restitutio nostra hic in terris non sit plena, sed multis modis imperfecta, ita dispensante (pro summa sua sapientia) summo rerum moderatore.

Superius paulo audiuimus Deum esse maxime intelligibilem, supple in sese, qui nō desinit esse in sese intelligibilis maxime Quamuis intellectus arctus homunculorum, sua culpa iam miserorum, Deum omnium minime intelligat vel intelligere possit: sicut sol non desinit esse maxime lucidus, licet oculi vespertilionum solis lumen neque percipiant, nec percipere possint.

Hic scias oporret, cum ens & verum sit adæquatum & proprium intellectus obie-

ctum, non ens fictum & falsum, quamuis lateat sub specie veri, non proprie debere dici intellectus obiectum, sed improprie & ex accidenti, quatenus nimirum habet speciem entis veri; nam non ens & falsum, qua falsum, idest enti vero contradictoriũ: tantum abest vt sit intellectus nostri obiectum, ac consequenter vt ad id intellectus feratur, vt intellectus humanus quam longissime ab eo recedat, & tanquam à maxime noxio aufugiat. Quare & imago rei à pictoribus & poetis repræsentata minus debet dici intellectus obiectum, cum non sit res vera, sed tantum eius species siue idea.

Iam audiuimus ens ideo esse intellectus nostri obiectum, quia verum: ideo non inutile fuerit hoc in loco varios veri modos vel acceptiones enarrare. Primo ergo & ante omnia, Deus dicitur verus ob conformitatem sui ipsius cum intellectu suo. Hinc dicitur verus per essentiam, & veritas est essentia Dei. Res autem omnes sunt veræ per qualitates, vt iam iam dicemus; & veritas est qualitas in rebus. Secundò res quæque naturalis meritissimo vera dicitur, quia est conformis menti diuinæ, à qua habet suum esse Hinc veritas in hac acceptione solet describi. *Veritas est conformitas rei naturalis cum intellectu diuino, à quo habet suum esse*: nam vnde est esse rei, ab eo etiam est verum esse. Pariter cum res artificialis ab

intellectu

intellectu artificis habeat suum esse, ab eodem habebit & suam veritatem. Porro definimus, rem artificialem tum demum debere dici veram, cũ est conformis menti artificis, vt idea rei artificialis est prior re artefacta, res artificialis est meliori nota in mente artificis, quam in seipsa, quia ab ea procedit. Ita imago rei naturalis in mente Dei est longe meliori conditione, quam in seipsa, & idea hæc est prior re ipsa, quia ab ea procedit res.

Veritas in genere dicta consistit vel in congruentia ipsius entis, cum sese ita Deus sit verus. Vel in congruentia entis cum mente authoris sui, sic res naturalis & res artefacta sunt veræ. Vel est in congruentia λόγϰ eiusque ἐνδιαθέτϰ vel προφορικϰ cum re extra intellectum, iuxta quam veritatem loquela dicitur vera de re, quæ vera est. Vel est in congruentia sermonis externi cum sensis animi. Et ea veritas dicitur veracitas. È contrario falsitas consistit in defectu huiusce conformitatis, in qua consistit veritas.

Cæterum intellectus humanus cum non accipiat in sese rem ipsam naturalem, quia solus Deus id facit, in quo & à quo sunt omnia, sed tantum rei ideam secundariam, de rebus ipsis profluentem, & rebus posteriorem: quare etiam veritatis primæ tantum ideã vel speciem secundariam, non vero ipsam veritatem amplectitur. Veritas omnium prima, vt & veritas in secunda acce-

ptione vocatur metaphyſica veritas, quia
de iis in principe diſciplinarum tractatur
præcipue. Item veritas vtraque hæc voca-
tur tranſcendentalis, quæ eſt comes indi-
uidua entis tranſcendentis per ordines re-
rum. Hinc & veritas entis dicitur. Veri-
tas vero ſumpta pro conformitate vocis
ἐνδιαθέτȣ, vel προφορικȣ, cum re extra
intellectum poſita, dicitur veritas cogni-
tionis exercita in ſignificando. Item ve-
ritas logica, quia de ea in Logica tracta-
tur. Hæc veritas cognitionis difficulter
inuenitur, quia vna: vnum autem inuentu
difficillimum eſt. Item, quia non eſt vſque-
quaque conueniens præparatio inter intel-
lectum noſtrum & inter intelligibilia. V.g.
alia ſunt longe ſupra intellectum vt Deus,
hinc eſt illud quod tantum analogως de
Deo loquamur: & cum Deum non adæ-
quate cognoſcamus, de eo non poſſumus
adæquate loqui. Alia ſunt, quæ pro ſua ma-
gna imperfectione intelligere nequimus, vt
materia prima &c. Et hæc veritas cogni-
tionis duobus modis dicitur. Vel enim eſt
veritas ſimplex, ſiue de ente ſimplici. Sic
diſtingues veritatem metaphyſicam ſiue
tranſcendentalem à veritate logica ſimpli-
ci: Veritas logica ſimplex eſt congruentia
vnius vocis cum vna re. Veritas metaphy-
ſica eſt congruentia rei naturalis cum men-
te diuina, rei artificialis cum mente artifi-
cis. Deinde eſt veritas logica de ente com-

plexo, quæ propterea vocatur veritas complexa in ſcholis, ſiue de ente complexo: ſicut prior illa veritas logica ſimplex, ſiue de ente ſimplici.

Veritas capi ſolita pro congruitate ſiue conformitate externi ſermonis noſtri ſiue ore prolati, ſiue ſcripto mandati cum intellectu vel ſenſu animi noſtri, vt audiuimus: vocatur veracitas, alias dicitur candor, ſinceritas & integritas in ſermone: quæ tum demum eſſe dicitur, cum ſermo noſter externus reſpondet vſquequaque ſenſo animi noſtri. Hæc veracitas dicitur etiam veritas ἠθικὴ ſiue moralis, quia in ea diſciplina præcipue de illa agitur, in qua de moribus ſiue ἤθεσι tractatur.

Nota in populari ſermone ſinceram & nudam veracitatem dici ſolere veritatem ſimplicem, quod ſit ſine fuco, plicis, inuolucris, vel ambagibus. Veritas eſt in rebus vt in fundamento, in intellectu vt in imagine, in voce & in ſcripto, vt in ſigno: nam ex Logica didicimus, ſcriptum eſſe ſignum vocis, vt vox eſt ſignum conceptus.

Veritati, vti notum eſt, falſitas opponitur, & tot modis dici poteſt eſſe falſum, quot modis verum; nam oppoſitorum eadem eſt ratio. Itaque vero metaphyſico opponitur falſum quod dici poteſt metaphyſicum, quod eſt purum putum non ens, cum omne ens hoc ipſo quod eſt, ſit verum, quare falſum non eſt ei intrinſecum. Itaque per de-

nominationem externam, ens dicitur esse falsum: & hoc fit vel fuco, sic facies fucata dicitur falsa. Vel similitudine, sic auricalcum dicitur falsum aurum. Vel praua imaginatione, sic idolum dicitur falsus Deus. Vel defectu artis, sic imago dicitur falsa, quæ non repræsentat rem. Quin etiam cum est ineptitudo in intellectu vel sensu, per quam homo acquirit falsam opinionẽ de rebus, inde est quod falsitas dici solet esse vel ab intellectu errante, vel à malitia voluntatis.

Veritati simplici logicæ opponitur falsitas simplex, quæ est quando vna vox non significat rem vnam simplicem, sed aliam. Veritati complexæ opponitur falsitas complexa, quæ est defectus in congruentia enũtiationis cum re extra intellectum. Veritati morali vel veracitati opponitur falsum, quod peculiari nomine mendacium nuncupamus: quando nimirum sermo noster & sensa animi nostri non congruunt, vt supra vidimus. Cum veritas habeat suum fundamentum in rebus ipsis, non est nostrum opinari, dicere vel negare, quæ veritatem rebus adferunt, vel auferunt.

Iam circa hæc omnia vera versatur intellectus humanus, sed diuerso modo & gradu: siquidem intellectus præcipue & primario versatur circa veritatem primariam, qualis est veritas Dei & rei naturalis veritas, vt pote dignissimam intellectu. Qui operam

veritatis huius primariæ contemplationi impendit, dicitur ſpeculatiuus vel contemplatiuus. Deinde intellectus nauat operam conſiderationi veracitatis ſiue veritatis moralis, qui propterea dicitur practicus vel moralis: hæc enim veritas tota eſt in praxi morum. Tertiò intellectus noſter conſiderat veritatẽ complexam & veritatem in artefactis, quæ veritas vtraque maxime conſiſtit in poeſi vel artificio. Hinc intellectus dicitur poeticus, dum alterutri harum veritatum, puta complexæ & poeticæ incũbit.

Porro prout intellectus fertur ad verum, ſic verum nihil magis appetit, quam vt ab intellectu apprehendatur vel intelligatur, nihilque magis metuit, quam ne relinquatur vel in occulto lateat. Vnde conſultiſſimo & appoſitiſſime vero Græci nomen indiderunt ἀληθὲς à non latendo.

Poſt Deum, primarium intellectus obiectum, eſt vniuerſale, puta ſimplex: quod eſt ens completum, immutabile, liberum ac immune à circunſtantiis loci & temporis. Ideo vniuerſale ens eſt obiectum primariũ intellectus, quia eſt primariò & maxime verum, habens eſſentiam & definitionem proprie dictam. Item quia ab vniuerſalibus magis perficitur, quã ab aliis entibus. Quin etiam quia vniuerſalia magis accedunt ſimplicitate ſua ad primum illud & ſimpliciſſimũ ens, ex vniuerſalibus autem ſubſtantiæ vniuerſales magis ſunt intellectus obiecta

quam accidentia, quia propius accedunt ad τὸ πρῶτον ὄν, veritate essentiæ, quam accidētia: atque ex substantiis quæ sunt completæ & perfectæ: & quæ per se vnæ ac perfectæ sunt, magis proprie intellectus obiecta quam substantiæ imperfectæ partiales vel collectione & ex accidenti vnæ: hæ enim minus perfecte cognoscuntur quam illæ: rē enim sua natura imperfectam perfecte cognosces nūquā, cū ens quodq; se cognoscēdum offerat prout est; hinc materia prima, quia est substantia imperfectissima, imperfectissime in sese est intelligibilis: contra Deus ens perfectissimum, perfectissime in sese est intelligibilis: vniuersale simplex magis est intelligibile & perfectiori modo cognoscitur, puta per definitionem. Modus autē cognoscendi per definitionē proxime accedit ad modum cognitionis, quo Deus cuncta cognoscit, & vno & simplici intuitu intelligens. Vniuersale complexum est minus intelligibile, & modo minus perfecto cognoscitur, puta discursu, progressu videlicet à notiori ad minus notum, qui modus cognoscendi est imperfectus præ definitione, ad quam ducit & propter quā est. Omnes creaturæ intelligentes sine intellectuali facultate præditæ vtuntur hoc progressu à notiori ad minus notum: ipsi enim Angeli hoc modo cognoscunt. Interim progressus quo vtuntur Angeli, est multo subtilior, quam ille quo vtuntur homines. So-

lus Deus actu vnico omnia intelligit, & solus est cui cucta sunt æque nota.

Post vniuersalia intellectus obiecta sunt singularia, quæ quia indefinita & mutabilia non admittunt essentiæ ordinem propriè dictũ. quare nec perfectam intellectionem. Et vt ordinem essentiæ habere dicantur, sunt referẽda ad vniuersalia, ita vt melius & perfectius cognoscantur eodẽ referri debẽt.

SECTIO XXI.

In qua alia de intellectu.

NVnc notes velim, duplicem animæ humanæ esse statum. Vel enim consideratur, vt est substantia per se subsistens etiã sine corpore, qualis est post mortẽ hominis, siue post separationem animæ à corpore. Vel consideratur vt forma corpori vnita, & id informans, eiusque agens principale. Anima in illo statu agit & operatur sine corporis organis, quippe à quo iam separata est. In hoc autem statu cum sit corpori vnita, corporis organis vtitur ad operationes suas, & non tantum ad eas operationes quas suscipit propter corpus, causaque corporis, cuiusmodi sunt operationes facultatum vitalis & animalis, quas sine corpore producere nequit: nam hæ operationes sunt omnino per & propter corpus, sed etiam non infrequenter ope corporis vtitur ad

eas operationes, quæ non fiunt omnino propter corpus vel cauſa corporis; cuiuſmodi ſunt eæ operationes facultátis intellectualis circa ſenſilia, quæ tamen licet non fiant propter corpus omnino nec ſemper, ope corporis tamen fiunt. Ideo autem intellectus dans operam cognitioni ſenſilium ope corporis vtitur, quia anima noſtra quãdiu eſt vnita corpori ſuo ſenſilia intelligens, vtitur phãtaſmatis, è ſenſilibus extractis. Phantaſmata autẽ ſunt εἰδῶλα ſimulachra, ſpecies & apparitiones verarũ rerum, non autem res ipſæ veræ, nec altera ex parte mera non entia, ſed mediæ ſunt conditionis inter verum ens & purum non ens, puta repræſentationes verorum entium, prout imagines ſunt repræſentationes rerum in ſpeculo. A Philoſophis autem phantaſmata, intentiones rerum vocantur, quia ens verum intendunt, ideſt, repræſentant. Sine his phantaſmatis οὐκ ἐςὶ νοεῖν, ſupple ſenſilia, quandiu nimirum anima eſt vnita corpori ſuo, quamuis hæ rerum imagines in intellectu intentiones ſiue entia intentionalia dicantur; tamen vſitatius & frequentius per intentiones ſiue intentionalia entia intelligimus eas rerum imagines, quæ ſunt extra intellectum, vt ſunt imago rei in ſpeculo &c.

Inſuper homo non naſcitur cognoſcens ſiue actu habens notitiam rerum, neque per ſenſum, neq; per intellectũ: ſi quidẽ homo in

hunc mundum vehit cum anima, ſine actuali rerum cognitione. Hinc anima hominis recens nati comparari ſolet tabulæ raſæ, in qua nihil pictum ſit, ſed ad picturam recipiendam aptæ: ita in principio homo habet animam actualis cognitionis vacuam & potentia tantum cognoſcentem. Interim ad cognitionem recipiendam non ſolum idoneam, ſed & ad cognoſcendũ valde propenſam, quia cognitio eſt animæ noſtræ finis & perfectio, ideo delectat animam, eamque ad ſe trahit. Hinc vi ſibi inſita anima ad cognoſcendum rapitur: atque id non tantum vt cognoſcat per intellectum, verum etiam per ſenſum, licet ad cognoſcendum per ſenſum non ita feratur anima noſtra, vt ad cognoſcendum per intellectum fertur: nam non ita exacte noſcit per ſenſum vt per intellectum. Quare vt anima multo perfectius noſcit per intellectum, quam per ſenſum: ſic multo maiori impetu fertur ad noſcendum per intellectum, quam per ſenſum: natura autem ad perfectiora ſemper magis inclinat. Quid quod cognitio per ſenſum eſt tantum gradus & via ad cognitionem per intellectum, eiuſque quaſi rudimentum. Præterea vt ſenſus quique feruntur ad obiecta ſibi propria & prima, vt ea ſuo more cognoſcant ſine vlla manuductione per vim ſibi inſitam: ſic intellectus vi ſibi inſita maiori certe rapitur ad ſua primaria obiecta, eaque pro

veris agnoſcit, ſine vlla probatione, in quibus ſint notitiæ illæ, de quibus mox: quas homo facile recipit ſine vllo examine ſtatim ac menti offeruntur, licet eas prius neſciuerit. Vnde ob hanc facilem eorum perceptionem dicuntur homini innatæ, quamuis re vera non cum eo naſcantur.

Ad hæc ſicut euidentia obiecti ſenſibilis multum confert, vt bene ſenſu percipiatur, ideſt ſentiatur eius imago: ita euidentia obiecti intelligibilis plurimum contribuit, vt eius imago intellectu percipiatur vel intelligatur. Imago autem hæc fluit ab ipſa re, recta via tendit ad intellectum, per ſpiritus ei muneri deſtinatos, mirabiliter ſe mouentes, ac ita ab intellectu recipitur vera imago obiecti ſiue rei intelligibilis, eiuſque vel totius, vel per partes intellectui repræſentata. In ſcholis vocatur νοημα πρωτὸν, conceptus primus, imago ſcilicet rei immediata.

Modus autem rite intelligendi hanc rei imaginem immediatam, item ars eam imaginem diſponendi vel multiplicandi, in ſcholis vocatur imago mediata vel intentio ſecunda, νοημα τῶν πρωτῶν νοηματῶν, & fit per reflexionem: reflectit enim in primã notionem, cui imponitur. Totus ordinarius cognoſcendi res ſenſiles progreſſus: nam hæ ſunt nobis magis obuiæ (& intelligibilium alia eſt ratio) ſic fere ſe habet. Primo loco res cognoſcenda vel obiectum

cognoſcibile ſenſile, ſeſe externis ſenſibus offert. Deinde imago obiecti huius confuſa adhuc, recepta per ſenſus externos extracta defertur ad ſenſus internos, vbi aliquantiſper manet & certo modo, ideſt rudiori examinatur. Tertio hæc eadem obiecti cognoſcibilis imago, poſtquam ope ſenſuum internorum iam minus confuſa, quam erat ante quam ab iis receperetur euaſit: à ſenſibus externis defertur ad intellectum, à quo recipitur, & dum recipitur, explicatior multo fit quam hactenus erat, prout cū à ſenſibus externis deferretur ad ſenſus internos, à quibus recepta ſtatim, minus implicata minuſque turbida euaſerat. Hæc vis, qua intellectus recipit imagines rerum communiter vocatur intellectus paſſiuus, quod patientis inſtar eas imagines recipiat.

Interim hæc operatio recipiendi rerum imagines, non fit ſine actione, ſed à potiori fit denominatio. Denique noua operatione longe excellentiori intellectus imaginem iam receptam, ſicut dicebamus, diligenter euoluit, exactiſſime perpendit, examinat & ad certas regulas probat.

Vis qua intellectus humanus ſic operatur, vocatur communiter intellectus agēs. Intellectus agēs dicitur χωριστὸς, quod etiam dum anima manet in corpore ſit ab eo quaſi ſeparatus: nam non vtitur ope corporis, vt intellectus patiens circa ſenſibilia. Item ἀμιγὴς nuncupatur, quod omnino à conſor-

tio sensuum remotus sit. Contra quam intellectus patiens, quin etiam intellectus agens vocatur actus, quod mere sit agens: non enim patitur vt intellectus patiens, sed in imagines iam receptas agit.

Præterea intellectus hic agens nonnullis dicitur anima intellectualis, quia eius merito anima potissimum intelligens dicitur. Aliis vocatur interior pars animæ, quippe quæ à corporis consortio magis remota sit. Aliis lux dicitur, quia rem cognoscendam illustrat, atque eius respectu potissimum anima lux dicta est. Denique κατ᾽ ἐξοχὴν intellectus vocatur: magis enim per eam anima intelligit, quam per intellectum passiuum.

Hoc in loco notes velim, animam humanam ante lapsum non eguisse hoc curioso examine & probatione laboriosa per intellectum agentem: quia receptas imagines sensilium rerum veras à sensibus bene dispositis facile euoluebat, sine periculo erroris: quem vt nunc euitet anima, adeo sollicite satagit per hunc operosum laborem intellectus agentis. Cum iam post lapsum non solū sensus hominis sit valde læsus sed & eius intellectus multum offuscatus sit: Interim tamen non est penitus & omnino excæcatus, siquidem etiam adhuc in hoc statu ei supersunt prioris lucis scintillæ quædam, licet exiguæ admodum: quæ reliquiæ fouentur bonis disciplinis. Verum

iis per disciplinas ita sotis homo pauca valde noscit, prout noscere debet etiam ex his inferioribus. Quare multo minus potis est attingere ad cognitionem spiritualium vel cælestium sine peculiari spiritus sancti irradiatione, ad quam intellectus agens etiam mere passiuus est.

Modus quo homo mere intellectualia (quod facit per intellectum agentem) cognoscit, propior est modo quo angeli cognoscunt, imo ei modo cognoscendi quo Deus cognoscit, non tamen est idem cum modo cognoscendi quo angelus cognoscit: siquidem modus cognoscendi quo angelus cognoscit est multo simplicior, quam modus quo homo cognoscit per intellectum agentem. Multo minus est hic modus intelligendi, quo homo intelligit per intellectũ agentem, vnus cum modo quo Deus cognoscit, qui vnico & simplicissimo intuitu cuncta intelligit: & modns cognoscendi quo homo intelligit sensilia, quod proprie facit per intellectum passiuum, est propior sensui: tamen multum abest, vt sit ide m cum eo.

Itaque hic inter intellectum patientem & sensum, mecum obseruabis discrimen notabile, vt interim alia omittam. Sensus tantum recipit & efformat imagines pauculorum obiectorum crassiorum & ex iis nonnullas alias effingit, vt supra vidimus.

Intellectus vero patiens non solum reci-

pit species pauculorum obiectorum sensibus, atque ex iis pauculis effingit nonnullas alias species, quod præstat ex sensibus phãtasia in homine, vt suo loco vidimus: sed insuper omnium rerum efformat imagines, quas intellectui agenti offert.

Mens humana perficitur intellectione rerum, imo & rebus quas intelligit, ita cõiungitur, vt quodammodo cum iis vnum fiat. Vnde dici solet, intellectus fit res intellecta, nimirum recipiendo imaginem rei veram, claram & plenam. Eiusmodi autem imago rei communiter dicitur res ipsa, vt videre est in speculo vel tabula picta. Mens ergo humana dum recipit imagines omnium rerum, est & fit omnia, receptiue scilicet, non autem mutatur reipsa in rem, quam intelligit: hoc enim pacto foret vere chamæleon: nec mens humana esse potest reipsa omnia quæ intelligit, propter finitam & limitatam essentiam suam: solus enim Deus dicendus est, esse omnia, in quo & à quo omnia sunt, & quia in eo sunt, ideo sunt.

Audiuimus mentem humanam perfici à re & vniri rei, imo & fieri rem quam intelligit. Itaque quo excellentior intellecta res fuerit, eo mens hominis excellentior & perfectior euadat necesse est. Quare dum mens humana Deum intelligit, eumque meditatur, maxime perficitur & Deo vnitur quasi: nam Deum meditans, eum quo-

dammodo videt, oculis nimirum mentis, ſiquidem aliter nequit videri ſpiritus. Deum autem ita videns cognoſcit aliquatenus. Deum vero cognoſcens, in eo delectatur. In Deo delectans, ei adhæret. Deo adærens, Deum poſſidet. Deum poſſidens, eo fruitur. Deo fruens, ita arcte ei vnitur, vt fiat quodammodo Deus. Hic pertinet illud *Ioan. cap.* 17. *v.* 3. *Hæc eſt vita æterna vt te ſolum noſcant verum Deum*, vbi per vitam æternam intellige ſummam felicitatem. Quin etiam Deus eſt ad intellectum, quod lumen ad oculum. Vt enim oculus luce perficitur longe melius quam colore: ſic intellectus perficitur à Deo maxime præ omnibus aliis rebus.

SECTIO XXII.

De intellectu adhuc plura.

MEns humana vel intelligit res vnicas ſeorſim & ſingulatim, v. g. equum, hominem, &c. & tum eius intellectio dicitur ſimplex, qui modus intelligendi eſt nobiliſſimus: nam ad modum quo Deus cuncta intuitu vno cognoſcens intelligit, prope accedit. Item alter ille modus intelligendi (de quo mox) eſt propter ſimplicem cognitionem: ideo enim illo altero intelli-

gendi modo vtimur, vt res seorsim & singulatim melius intelligamus. Ad hanc simplicem intellectionem referenda est definitio siue via intelligẽdi per definitionẽ: definitione enim res tantũ vnica intelligitur. Verum hæc res vnica, cum pluribus constet partibus, pluribus verbis explicãda est obiter. Quare cum Deus sit prorsus ἀμέριστος, eius definitio vnica voce, vnica appellatione, siue vnico nomine declaratur, puta, *Iehoua*: ac hinc esse discas, cur tam sæpe in sacra pagina nomen Dei ponitur pro essentia diuina, vel Deo ipso: hoc autem est peculiare Deo, vt eius essentia vnico nomine per definitionem explicetur. Itaque Deus interroganti de nomine suo respondens, dum nomen suum edisserit, essentiam suam explicat.

Vel mens humana res plures simul siue ens complexum intelligit. V. g. homo sapit, equus currit &c. & tum intellectio dicitur esse composita, & fit duobus modis. Primo sub affirmatione, v. g. homo sapit; vel sub negatione, v. g. homo non sapit. Deinde intellectio composita fit per progressum à notiori ad minus notum. V. g. hic vir est doctus, ergo libros legit. Intellectio facta per eiusmodi progressum, vulgo vocatur διάνοια ratiocinium siue ratiocinatio, discursus: & ipse intellectus dum ita intelligit, dicitur discursiuus διανοητικός. Atque hic modus intelligendi per progressum

fum

ſum à notiori ad minus notum & eſt minus nobilis & minus perfectus, non ſolum quàm intellectio ſimplex, ſed etiam quam intellectio per affirmationem & negationem, maxime enim ab eſt à perfectiſſimo modo intelligendi, quo Deus omnia ſimul & ſemel intuens intelligit. Item hic modus intelligendi per diſcurſum, fit propter priores intelligendi modos: ideo enim de reb⁹ diſcurrimus vel ratiocinamur, vt vere de iis aliquid affirmare vel negare poſſimus, eaſque ſeorſim & ſingulatim cognoſcamus. Quod autem eſt propter aliud, eſt minus dignum minuſque nobile, quam illud aliud propter quod eſt.

Præterea mens humana dum intelligit ſiue intelligens operatur, id facit vel actione directa, nimirum cum res extra ſe intelligit, rerumque cauſas, effecta, genera, ſpecies & accidentia &c. cognoſcit.

At tunc mentis operatio dicitur recta vel directa, ſcilicet propter actionem, quæ recta dirigitur extra mentem ipſam. Vel mēs intelligens operatur actione reflexa, cum videlicet mens rediens in ſeſe, reflectit operationem ſuam, vt ſeipſam intelligat, vel vt de intellectione, quam de rebus extra ſe habet, melius cognoſcat: tunc intellectio dciitur reflexa, ob operationē hanc in ſeſe reciprocam. Totum hoc negotium vel hoc exemplo familiari ſic clarum fiet. Radij ſolares à ſole recta procedentes, ſiue emiſſi

in obiectum, dicuntur directi. Iidem radii regredientes solem versus ab obiecto, in quod emissi erant, vocantur reflexi.

Fides. Cum intellectus humanus ratam & firmam rei cognitionem habet, dicitur fidere vel habere fidem, vnde fidem definimus esse *ratam & persuasam rei in mente comprehensionem*. Quæ firma persuasio siue fides generatur in mente, non tantum vi argumentorum, sed etiam testimoniis tum diuinis, tum humanis, sed ante omnia diuinis. De generibus autem fidei, cuiusmodi sunt fides historica, qua mẽs assentitur cuidam historiæ: fides miraculorum, per quam fiunt miracula: fides salutaris, qua salui simus. Hæc fides salutaris est duplex. Vel enim est dependentiæ, qualis est angelorum, Adami ante lapsum, animarum beatarum in cælis. Vel est fides restitutionis, qualis est in regeneratis. De his, inquam, fidei modis, vt de aliis ipsius generibus, nec non de fidei falsæ gradibus consule eam partem Theologiæ, in qua de iustificatione agitur, vbi hæc omnia enucleate pertractantur: nam nunc non est nostri instituti hæc pluribus prosequi: sed ad rem.

Dubitatio. Cum mens non est satis, siue est minus persuasa de re aliqua, dicitur dubitare, vel in dubio esse: & tunc suspendit quasique in æquilibrio tenet assensum, quia nondum est certa de veritate rei.

Itaque non cessat, sed amplius inuestigat,

num res ita ſe habeat nec ne. Ac dum mens Inquiſitio.
ita vacat inueſtigationi rerum, earumque generum, cauſarum, effectorum, partium cognatarũ, oppoſitorum &c. dicitur inquirere: & virtus per quam mens inquirit, dicitur inquiſitiua; operatio ipſa vocatur inquiſitio. Si mens inquirens rite ea inuenit, quæ non prius nota vel reperta fuerant, eius virtus dicitur inuentiua, & operatio inuentio dicitur. Inuentio rerum nouarum eſt Inuentio.
opus certe heroicum.

Cæterum cum mens res inquiſitione inuentas perpendit, examinat & ad certas regulas probat: tum iudicare dicitur, voce mutuò ſumpta à foro nimirum.

Hæc mentis vis vocatur iudicatiua δυνα- Iudicium.
μις κριτικὴ, iudicium, quæ vis ſi eſt in gradu
excellenti, dicitur δεινότης vel σύνεσις. Quod Deliberatio
ſi ea, de quibus mens eſt dubia, ſunt πρακτά, tum mens peculiariter dicitur deliberare, vel conſilium inire. Cum mens cognoſcit res in certo tum dicitur opinari.
Vnde opinio definitur eſſe cognitio incerta Opinio.
rerum, ſiue res ipſæ fuerint certę, ſiue incertæ idem eſt. Cum vero mens cognoſcit res certas certò, incertæ enim non poſſunt noſci certò: tum dicitur ſcire. Hinc ſcientia Scientia.
dicitur eſſe cognitio certa rerum, præſertim per cauſas. Inde res certò ſciuntur, quæ in ſuis cauſis certæ ſunt, quæ alias ſunt incertiſſimæ, vt eclipſis luminarium. Cum mens cognoſcit tum diuina, tum hamana: tum Sapientia.

dicitur ſapere, & ſapientia deſcribitur eſſe rerum diuinarum & humanarum cognitio. Cognitio rerum quæ induſtria fiunt, dicitur ars. Cum mens cognoſcit τὰ πρακτὰ, tum dicitur φρονέειν, vnde prudentia, vel φρόνησις τῶν πρακτῶν, cognitio eſſe dicitur, cum mens cognoſcit principia rerum tum κατ' ἐξοχὴν dicitur intelligere, & eiuſmodi principiorum cognitio peculiariter intellectus nuncupatur. Cum mens humana noſcit futura, puta ex cauſis, tum prænoſcere dicitur: Ergo prænotio erit rerum futurarum ex cauſis cognitio. Prænotio parit prædictionem, quæ nihil eſt aliud, quam prænotionis verbis declaratio Cum mens ſiſtit in aliquo obiecto, neſciens cauſas rei quaſi ſtupeat, naſcitur admiratio: quæ nihil aliud eſt, quam fixio vel applicatio animæ intenta ad aliquid, vnde & intentio quibuſdam dicitur exceſſus quidã cogitationis, id eſt mentis, & in admiratione dicitur ἔκστασις, ſuper re quidem ignota magnitudinem conſuetam ſuperante, ſed tali quam ex opinione veneramur & amamus, per ἔκστασιν ab omni alia re diſtracti immotique reddimur, itẽ insẽſitiui ſimus. Anima enim per intellectũ in extaſi circa vehemens obiectum ita occupata eſt, vt exiguam admodum curam ſenſationi & vegetationi impendat. Hinc in ecſtaſi homines videntur eſſe expertes ſenſus & vitæ, quod accidit maxime ſanctis: qui re vera tales ſunt, vel qui ex melancholia ſibi tales

Prudentia. Intellectu. Prænotio. Admiratio. ἔκστασις.

esse videntur: hi enim putāt se videre angelorũ choros, & Deum. Nec non amantibus ecstasis euenit ex vehementi intentione in rem amatam. Ita species mouet in phantasia, ac si esset in oculis: nihil enim refert ad faciendam apparentiam siue species deforis veniat ad oculos, siue introrsũ sit, propter quod se videre putant & obstupescunt & extra se sunt. Quod si res quæ se offert sub ratione magnitudinis sit timenda vel dæmon &c. tunc non solũ supra admirationẽ, sed & supra ἔκστασιν nascitur affectus: cui nomen nondum est inuentum, sed vulgo ab effecto quod producit horror appellari solet: nam sic affecti horrescimus & ridigi euadimus. Admiratio causat tensionem, metus frigiditatem. Vnde quasi congelati distentique neruos & pilos immoti stamus. Admirationis mater est ignorantia. Ignorantia in intellectu opponitur cognitioni, quæ nihil aliud est quam cognitionis defectus. Ignorantia tot habet modos & gradus, quot cognitio eosque modis & gradibus cognitionis ex aduerso respondentes. Quare qui cognitionis modos & gradus nouit, ignorantiæ etiam modos & gradus noscit. Itaque nos hoc loco de ignorantia dicere plura supersedemus. Interim vnum aut alterum de ea addemus, propter ea quæ deinceps de voluntate suo loco dicturi sumus.

Horror.

Ignorantia

Ignorantia ergo alia dicitur ignorantia iuris, alia ignorantia facti. Iguorantia iuris

est,quo ius ignoratur.Ius autem quod ignoratur,vel est vniuersale; huius iuris vniuersalis ignorantia est in infantibus, qui ignorant honestum & vtile &c. Vel ius est particulare, siue lex particularis; huius iuris particularis vel legis ignorantia cadere potest etiam in adultum v.g. cum quis ignorat legem alicuius municipij. Ignorantia facti dicitur, cum quis aliquod factum vel omnino ignorat, vel facti circunstantias. Ignorantia in sese quidem est dolenda.Interim sine vitio est,nisi quis peruerse scire respuit, vel præ oscitantia scire negligit: tum ignorantia non vacat culpa, & dici solet ignorantia affectata, ignorantia prauæ dispositionis, & ignorantia supina. Item cum quis arcescit sibi ignorãtiam, vt fecit Adamus, vt facit ebrius, qui nimio potu sibi attrahit ignorantiam. Qui propter ignorantiam accersitam ignorans aliquid agit, dicitur agere ignoranter. Cum verò quis ignorans(non sibi attracta ignorantia) aliquid agit, dicitur agere per ignorantiam v.g.cum nouus aduena ignorans aliquid agit contra leges ciuitatis, quam recens est ingressus, quas post certũ tempus scire tenetur.Post quod tempus, si ignorás aliquid agit contra leges ciuitatis, agit ignoranter idque supine cum neglexit ea scire quæ scire debebat,ac ita ignorantia quodammodo sibi attraxit. Effectum ignorantiæ est error. Per errorem nunc intellige peruersam de

rebus opinionem, quæ inde oboritur menti, quod res ei non ſunt ita notæ. Aliàs error eſt peruerſitas in actionibus, & errare eſt peruerſe agere, vt alibi ſuo loco docebimus. Verum quoque error in hac ſecunda acceptione etiam ab ignorantia procedit: ideo enim actiones circa res fiunt prauæ, quia opinio de rebus, circa quas fit actio, eſt peruerſa, id eſt error in actionibus ſequitur errorem in opinione, & ſine hoc non foret illud. Atque hinc eſt, quod plerique omnes excuſamus errorem in actionibus per errorem in opinione de rebus.

Porro intellectus humanus vel vacat nudæ rerum meditationi, & tunc dicitur νοῦς θεορητικὸς intellectus ſpeculatiuus ſiue contemplatiuus: ſiquidem nuda rerũ meditatio dicitur θεορία ſpeculatio ſiue contemplatio. Ad intellectum autem contemplatiuum pertinent notitiæ illæ communes, vulgo dictæ principia contemplaitua ſiue ſpeculatiua, cuiuſmodi ſunt, quodque eſt maius ſua parte, & quodque eſt, vel non eſt &c. quæ notitiæ communes vel primum auditæ à mente auide rapiuntur: ad quas, licet mens eas primo non nouerit, propter propenſionem ad eas cognoſcendum niſi natura inſitam, cum impetu fertur. Cum mens humana dat operam vitæ regendæ, tum intellectus dicitur practicus atque opera vitę regendæ impenſa dicitur praxis. Huc pertinent notitiæ illæ communes vulgo dictæ,

lex naturæ ſupple integræ, dictamen rationis, ſupple rectæ; principia moralia, quibus hominum mores reguntur, cuiuſmodi eſt illud principium generale, honeſtū eſt appetendum &c. Item, illa particularia principia, ama alterū tanquam teipſum parētes honorādi &c. Adhæc, ſtatim atq; mēs de iis audit, per naturæ propenſionem ad eas amplectendū rapitur mens. Ab intellectu practico dependet minor mentis vis, dicta συντήρησις cōmuniter, per quā mens humana prædictis notitiis aſſentitur. Nomen habet συντήρησις, quod quaſi ex naufragio lapſus Adami hunc aſſenſum iis principiis vel notitiis moralibus, in poſteris συντηρεῖ συντηρησεῖ affinis eſt συνείδησις ſiue conſcientia, per quam mēs cuiuſq; actiones ſuas ſingulas morales examinat ad libellā naturæ integræ & dictamē rectæ rationis Nomen ſuum habet συνείδησὶς quia homo per eam actiones ſuas ſingulas εἰδεῖ σὺν θεῷ nimirū. Cū mens humana vacat cognitioni rerū quæ per induſtriam producuntur: tunc intellectus vocatur ποιητικὸς vel factiuus, & rerum per induſtriam productio dicitur ποίησις & factio, licet hæc vocabula vulgo aliter accipiātur ſicut quædā notitiæ quæ quia pertinent ad intellectū θεορητικὸν dicūtur θευρητικαὶ ſiue ſpeculatiuæ, vt notitiæ quæ pertinent ad intellectum practicum dicuntur practicæ ſiue morales. Ita ſunt quædam notitiæ communes, quæ vocantur principia ποιητικὰ vel factiua. V.g. ex quaque

re fit opus, prout natura eius fert: hinc illud, non ex quouis ligno fit Mercurius &c.

Ad hæc principia poëtica, intellectus rapitur, licet de iis non prius audiuerit, vt intellectus speculatiuus & practicus ad sua. Quod si quis in omnibus his tribus, nimirũ speculatione, praxi & poësi vel in duab. vel in vna harum est dextre intelligens, tum dicitur ingeniosus εὐφυὴς, & hæc intelligendi dexteritas (quibusdam tantum) hominibus innata dicitur εὐφυιὰ, ingenium, item ἀγχίνοια. Verum hæc εὐφυιὰ quoque distinguitur ab obiectis, circa quæ versatur, & ad quæ inclinat, atque ita ille qui εὐφυιὰ, inclinat ad contemplationem rerum, dicitur habere ingeniũ speculatiuum; & cum res quas mens contemplatur, non sunt eiusmodi, pro diuersitate rerum etiam distinguitur speculatiuum ingenium. Vnde hic habet ingenium ad speculationem rerum diuinarum, ille in rerum humanarum contemplationem ingeniosus est. Deinde ille cuius εὐφυιὰ, inclinat ad praxim, scilicet moralium, is dicitur habere ingenium practicum: etiam sicut ea circa quæ ingenium practicum versatur, non sunt vnius generis: ita diuersitas est in inclinationibus circa hæc practica: nam nemo habet ingenium ad omnia fœlix. Hinc ille habet εὐφυιὰν ad politicam, hic ad οἰκονομίαν. Denique cuius animus propendet ad μηχανὴν, vel fabricam rerum artificialiũ,

dicitur habere ingenium mechanicum. Verum cum neque mechanica sint vnius modi, & cum nemo omnia possit Hic habet εὐφυΐαν ad sculpturam, ille ad picturam &c.

Cæterum ad hanc ingeniorum diuersitatem multum confert temperamenti diuersitas in homine, licet ab ea non omnino dependeat: nam peculiaria dona cuiusque sunt ab eo à quo sunt omnia, & qui cuique tribuit aliquid singulare pro secreta sua sapientia nec vlli omnia concedit, prout nulli omnia denegat. Nunc auctarii vice ad ea quæ de intellectu hactenus diximus, subiungere libet nonnulla discrimina vltra id quod super posuimus, dum de patiente intellectu loqueremur, inter sensum & intellectũ subiungere libet. Sensus est semper in materia, vt in subiecto intellectus non item: potest enim intellectus esse extra materiam. Sensus ab excellenti sensibili læditur. Intellectus contra ab excellenti intelligibili perficitur. Sensus opus habet proprio instrumento, intellectus nullum habet proprium instrumentum. Intellectus ab omni materia res seiungit, nimirum eas citra magnitudinem, motum & situm considerans. Sensus vero quanquam absq; materia res cõprehendat, non tamen absque his materiæ conditionibus cognoscit intellectus ipsum vniuersale intuetur sensus tantum singulare. Intellectus est quodammodo infinitus, sensus etiam in

homine, præſertim exterior, terminum habet eumque ſtricte limitatum. Cognitio per intellectum vna eſt in omnibus hominibus, manente obiecto eodem ac modo intelligendi ac operationes ſenſus non poſſunt eſſe eædem ob varietatem inſtrumentorum. Intellectus vnum ex alio infert, quod non facit ſenſus Intellectus retorquens actionem in ſe ipſum operatur reflexe, ſenſus agit recta tantum operatione. Homo tránsfert intellectũ ſuum in alium, ſenſum vero non poteſt: ſiquidem efficere vt alius videat id quod videt, nequit, ſed vt intelligat quod ipſe intelligit, quit.

SECTIO XXIII.

In qua de voluntate dicuntur plurima.

PRoxime ſequitur altera poteſtas facultatis intellectiuæ, puta voluntas, de qua nos hic poſt intellectum peculiariter dictum ſecundo loco dicemus. Ideo autem priori in loco de intellectu loquuti ſumus, quia intellectus ordine operandi eſt prior voluntate: intelligit enim quis prius quam velit, ignoti nulla voluntas. Verum naturæ intentione voluntas non eſt poſterior intellectu, cum natura æque intendat velle ac intelligere: nam vt non volumus, niſi prius intelligamus, ita fruſtra intelligimus, niſi

post ea velimus. Sed antequam vltra progrediamur, statim hic in limine variæ voluntatis acceptiones enucleandæ sunt.

Primo ergo voluntas sumitur pro ea potestate facultatis intellectualis, quæ contra distinguitur ab intellectu peculiariter dicto, & voluntatem in hac prima acceptione ita definimus Voluntas est ea vis facultatis intellectualis, per quam homo prosequitur ea quæ intelligit sibi conuenire, & auersatur ea quæ nouit sibi non conuenire.

Ex voluntatis descriptione emergere eius diuisionem vides: diuiditur autem voluntas generaliter sumpta in peculiariter dictam voluntatem & in eius oppositam vim, quæ peculiari nomine *noluntas* nuncupatur. Itaque secundo loco voluntas sumitur pro voluntate peculiariter dicta, opposita nimirum voluntati. Voluntatem in hac secunda acceptione sic definimus. Volũtas est ea vis facultatis intellectualis, per quam homo prosequitur id quod intelligit sibi conuenire. E contrario voluntas est ea vis facultatis intellectualis, per quam homo auersatur ea quæ nouit sibi minime conuenire. Tertio loco voluntas sumitur pro actu volendi siue rationaliter appetendi, idest pro volitione, quæ est operatio voluntatis, non vero ipsa voluntas si exacte loquimur. Sic voluntas sumitur pro actione volendi, idest pro volitione, quæ itidem est operatio voluntatis, non vero ipsa voluntas. Quarto

voluntas ſumitur pro ea re volita vel quam volumus, ac ita voce voluntatis vtimur in ſermone quotidiano: vnde illa trita phraſis, noui voluntatem tuam, ideſt, noui quid velis ſiue rem quam vis. Pariter τὸ voluntas ſumi poteſt pro re volita, licet ea voce in tali acceptione minime ſaltem non ita ſæpe vtamur.

Iam vt intellectus non poteſt intelligere, niſi aliquid intelligat, & illud aliquid quod intellectus intelligit dici ſolet intellectus obiectum, vel intelligibile: quia intellectui obiicitur & ab eo intelligi poteſt: ita voluntas non poteſt velle niſi aliquid velit: & illud aliquid, quod voluntas vult, dicitur voluntatis obiectum, quia obiicitur voluntati, & volibile quod poteſt à voluntate, vt ita dicam velli (ignoſcat hic mihi Tullius: nam non iam hic verſamur in foro Romano, ſed in orbis theatro) ſicut obiectum intellectus ſiue intelligibile propria appellatione dicitur verum, cuius oppoſitum, puta non intelligibile, vocatur falſum. Ita voluntatis obiectum ſiue volibile appellatur nomine proprio bonum, cuius oppoſitum puta nolibile dicitur malum.

Deinde prout omnia intelligibilia non ſunt æque intelligibilia, ſed vnum altero eſt magis intelligibile, imo vnum præ cæteris omnibus eſt maxime & primum intelligibile: & quod magis intelligibile eſt, magis intellectus obiectum. Itaque cum

Deus ſit in ſeſe primario & maxime intelligibilis, quia maxime verus: nam quo quid plus veritatis in ſe habet, eo magis intelligibile: Deus autem ſolus abſolute dicendus eſt verus, quia ſolus abſolute vere eſt, & omnia alia quidquid veritatis habent, ab eo habent, eſt primum intellectus obiectum. Sic omnia volibilia non ſunt æque volibilia, ſed vnum magis alio eſt volibile. Imo vnum volibile præ aliis omnibus eſt maxime & primario volibile: & quod magis volibile, erit magis voluntatis obiectum. Ergo cum Deus in ſeſe ſit maxime & primario volibilis, erit maxime & primario voluntatis obiectum. Deus autem in ſeſe ideo maxime & primario volibilis, quia eſt maxime & primario bonus: nam quo quid plus bonitatis habet, eo magis volibile. Deus vero ideo maxime & primario dicitur bonus, quia ſolus bene eſt: reliqua omnia bona quodcumque bonitatis habent, ab eo habent. Hinc illud in Euangelio *ſolus Deus eſt bonus*, ſupple abſolute & primario.

Inſuper prout intellectus fertur ad intelligibile, vt ab eo perficiatur, in eoque tanquam in fine ſuo fœliciter acquieſcat, nam quæque facultas fertur ad obiectum, circa quod ei incumbit operari, atque ab eo perficitur. Item ſicut intellectus maiori impetu fertur ad magis intelligibile, vt ab eo magis perficiatur, in eoque tanquam

præstantiori fine fælicius acquiescat.

Denique prout intellectus maximo omnium impetu fertur ad maxime intelligibile, vt ab eo maxime omnium perficiatur; in eoque tanquam fine præstantissimo fælicissime acquiescat: pari pacto voluntas fertur ad volibile, tanquam ad obiectum suum, à quo perficiatur, & in quo tanquam fine suo iucunde acquiescat.

Deinde voluntas maiori cum impetu ad magis volibile fertur, vt ab eo magis perficiatur, in eoque tanquam fine vlteriori beatius acquiescat.

Denique voluntas maximo & summo impetu fertur ad Deum, vt ab eo maxime perficiatur, in eoque tanquam fine vltimo beatissime acquiescat. Atque sicut intellectus noster Deo vnitur & cum eo aliquatenus idem fit, dum Deum intelligit, nimirum recipiendo eum in sese, idest eum intelligendo; intellectus enim fit receptiue id quod intelligit, vt supra vidimus. Ita voluntas nostra Deo vnitur, & cum eo aliquatenus idem fit, nimirum eum recipiendo, idest eum volendo. Si quidem voluntas etiam fit receptiue id quod vult. Hæc autem vnio intellectus nostri & voluntatis nostræ cum Deo eiusque in sese receptio meritissime adeptio Dei dicitur. Ita enim Deum adipiscimur, in qua Dei adeptione consistit summa hominis perfectio & fælicitas.

Cæterum dicimur adipisci Deum duo-

bus modis nimirum, vel in creaturis quibus se participiat; vel in Deo ipso. Hinc nascitur duplex hominis perfectio & fælicitas. Prior & minor est ea, per quã creaturis Deũ attingimus, imo & ipsum possidemus. Verum hæc non est vltima & summa perfectio hominis, nec vltima fælicitas: non enim in ea intellectus & voluntas hominis acquiescere possunt. Quia in rebus creatis licet Deus se iis participet, semper est aliquid curti ac ideo semper superest quod vltra desideres. Secunda vero hominis perfectio & fælicitas est summa & vltima, qua scilicet Deum in Deo ipso attingimus, Deũque apud Deum possidemus, atque vnum cum eo simus. Hæc summa hominis perfectio inchoatur quidem in hac vita, consummanda autem est in futura. Inde hic dicimur fælices inchoatiuè, illic erimus consummatè.

Ad priorem perfectionem siue fælicitatẽ, qua nimirum in creaturis Deum adipiscimur: homo propriis naturæ sanæ integræ viribus peruenire potest, cum creaturæ homini sint obuiam: sed ad secundam fælicitatẽ & summam perfectionem, qua scilicet Deum in Deo attingimus, eumque ita adipiscimur Nulla creatura propriis viribus peruenire potest. Ratio est, nihil supra esse assurgere quit: alioqui aliquid foret seipso validius omnium minime ascendere potest creatura ad Deũ ipsum, qui infinitis gradibus

gradibus supra omnes creaturas est. Hinc illud Euangelij, *nemo potest ascendere ad Deum, nisi is qui de cælo descendit*, idest nemo potest ex sese Deum in Deo adipisci, nisi ipse sit Deus. Inde etiam illud, *ad Deum attolli possumus, ascendere non possumus*, attolli nimirum manu Dei, ascendere vero viribus naturæ nostræ etiam integræ, multominus viribus naturæ iam corruptæ.

Ex his manifeste patet arrogantia sathanæ, qui putabat propriis viribus se posse ad Deum ascendere altissimumque attingere, atque similem ei fore.

Porro homo & angelus à Deo ipso ad Deũ attolluntur, sicut res subtiles ad solem à sole ipso eleuari vides, quæ alioqui ex se semper humi iacerent. Res vero brutæ infra hominem & angelum non attolluntur ad Deum, prout vides res graues & crassas non eleuari ad solem, sed semper in imo manere. Creatura attollitur ad Deum creatorem, funibus nempe amoris, non autem coactione, vt est Cantic. 14. Nunc vt maxima & summa perfectio ac fælicitas nostra consistit in vnione intellectus nostri ac voluntatis nostræ cum Deo: sic enim Deo fruimur, eumque possidemus. Ita vice versa maxima & sũma imperfectio ac miseria nostra est in separatione intellectus nostri & voluntatis nostræ à Deo. Nam vt summa fælicitas consistit in possessione summi boni: ita summa miseria est in eiusdem

priuatione: Hinc illud, Deo amiſſo mors aduenit animę, vt anima amiſſa mors aduenit corpori. Et anima dicitur expirare, cum amittit Deum, prout corpus expirat cum amittit animam: Nam Deus eſt qui viuificat animam, ſicut anima viuificat corpus.

SECTIO XXIV.

In qua de bonitate.

PAulo ante diximus Deum, quemadmodum eſt, primum intellectus obiectum, quia maxime intelligibilis eſt. Ideo hoc, quia maxime verus eſt, & hoc, quia maxime vere eſt, imo ſolus vere eſt. Ita nunc dicimus eſſe etiam primum voluntatis obiectum, quia maxime eſt volibilis. Ideo hoc, quia maxime eſt bonus: & hoc, quia maxime bene eſt, imo ſolus bene eſt, ſupple παντάπλως. Vnde illud in Euangelio *ſolus Deus bonus.* Deus autem eſt bonus per conuenientiam naturæ ſuæ cum voluntate ſua ipſius & per eſſentiam, vnde & αὐτάγαθὸς dicitur. Item originaliter dicitur bonus, quia eſt origo omnis bonitatis in creaturis. Quod vero ad reliqua omnia, quæcumque ea ſint, attinet: vt ſunt tantum ſecundaria intellectus obiecta, quippe ſecundario intelligibilia; hoc quia ſecundario

vera, & hoc quia secundario vera sunt: eatenus enim sunt vera, quatenus pendent & dependent ab eo, qui primario & solus vere est. Ita sunt secundario voluntatis obiecta, quia secundario volibilia, hoc quia secundario bona: & hoc, quia secundario bene sunt, eatenus sunt bene quatenus dependent ab eo, qui primario & solus bene est, nam eorum esse, & vere esse, & bene esse pendent omnino & prorsus ab eo, qui est ipsa essentia, ipsa veritas & ipsa bonitas. Vnde eleganter αὐταυτὸς dictus fuit. Item αὐταληθὴς & αὐταγαθός: reliqua enim dicuntur esse, quia dependent à Deo: & eatenus esse, quatenus dependent à Deo: & quo propius dependent à Deo, eo magis dicuntur esse. Hinc dicere potes, angelum magis esse quam hominem, quia propiori dependentia dependet à Deo angelus quam homo. Et dicas hominem magis esse quam belluam, ob eandem causam. Rursus belluam quam plantam, & plantam magis quã rem inanimem, ac ita gradatim, donec peruenias ad materiam primam, quæ omnium minime est, quia remotissime dependet ab eo qui maxime est, idest à Deo.

Deinde vt res naturales dicũtur veræ, quia eas Deus intelligit: & eatenus veræ, quatenus eas intelligit: hinc prima veritas in rebus naturalibus definitur esse congruentia eius cum intellectu diuino, qui est mensura omnis in re naturali veritatis, vt veritas

rei artificialis est congruentia eius cum mente artificis vel cum præceptis artis. quod idem est pari pacto res dicuntur bonæ, quia Deus eas vult, & eatenus bonæ, quatenus eas vult, vnde prima bonitas in rebus naturalibus & moralibus definitur esse congruentia rei cum voluntate diuina, quæ est mensura omnis bonitatis in naturalibus & moralibus: bonitas autem in rebus artefactis est conformatio rei cum intentione artificis, vel cum fine artis, quod idem est. ex his vides solum Deum esse verum & bonum per essentiam ipsius: veritatẽ autẽ & bonitatem in creaturis esse qualitatẽ vel modos essentiæ, non verò ipsam essentiã.

Item ex his vides nihil esse bonum in naturalibus & moralibus, nisi id quod velit Deus, & quod ad Deum referatur, quare quantum res habet boni, tantum & habet Dei, bonum allicit appetitum non tantum rationalem siue voluntatem, sed etiam sensitiuum vitalem, imò & mere naturalem; quare bonum dici debet non tantum volibile, sed & in genere appetibile, vnde bonũ dicitur amabile, quia nimirum appetitur & cũ eo esse ἁμὰ siue simul res quæq; appetit.

Cæterum bonum non solum allicit, sed & terminat appetitum, hinc in eo vt in fine acquiescit, ac inde ex bono nascitur delectatio, iucunditas, & honestas: res autem quo magis habet boni, idest, quo magis accedit ad primum & vltimum bo-

num, puta ad Deum, eo magis delectabilis iucunda & honesta est, ergo maxime bonum siue vltimum bonum puta, ipse Deus, maxime allicit ad se, & etiam finaliter terminat, vt nihil vltra appeti possit: vltimum enim bonum & supremus finis reciprocantur, quare cum Deus est vltimum bonum, quo omnia referuntur dum Deo fruimur, nihil vltra appetimus. Ex dictis concludas meritissime summam fælicitatem esse Deo vniri, eoque frui, & contra summam miseriam esse, ab eo diuelli eoque primari: itaque vt res dependenter sunt, sic etiam per dependentiam sunt bonæ & veræ, & quo magis conueniunt cum intellectu diuino sunt magis veræ, & quo magis congruunt cum voluntate Dei, eo sunt magis bonæ: quo autem magis sunt, eo procul dubio magis congruunt cum intellectu & voluntate Dei, ac proinde magis veræ magisque bonæ sunt, & consequenter angelus vt est magis verus, ita magis bonus quam homo, homo quam bellua, atque ita de reliquis rebus vsque ad materiam primam, quæ vt omnium minime est ob remotissimam eius dependentiam à Deo, ita omnium minimè vera est, & omnium minime bona ob eundem respectum.

Item hæc prima veritas in rebus, quæ est nimirum congruentia rei cum intellectu diuino, & hæc prima bonitas in rebus quæ est conuenientia rei, cum voluntate diuina

dicuntur bonitas & veritas entis, quia omni enti conueniunt, cuiuſque ſunt generis, eiuſque ſunt comites indiuiduæ, cuius ſunt modi & affectiones inſeparabiles, non ſolũ cum ente reciprocæ, ſed etiam inter ſe: quæ enim conueniunt vni tertio, ea inter ſe conueniunt ſaltẽ ob hanc in tertio conuenientiam. Vnde non tantum recte dicimus; omne ens eſt verum, & omne ens eſt bonum: item omne verum & omne bonum eſt ens, ſed etiam omne verum eſt bonum, & omne bonum eſt verum: item cum bonum reciprocatur cum ente quidquid habet eſſe, eſt bonum, vnde illud, *Deus vidit omnia opera ſua quod eſſent bona*: Hinc vides ipſum Sathanam quatenus eſt ens, eſſe, tum verum tum bonum, hæc bonitas rei prima iuxta Philoſophos conſiſtit in forma rei & in ordine ad finem: deinde hæc prima veritas in rebus, & hæc prima bonitas dicuntur veritas & bonitas ſimplices ἁπλαὶ, vt diſtinguantur ab ea veritate & ab ea bonitate, quæ dicuntur κατά τι, & ſecundariæ veritas & bonitas ac in particulari rerum ordine. Etiam veritas & bonitas primæ in rebus dicuntur tranſcendentales, quia ſcandunt trans & per omnes ordines rerum; non autem continentur in certa claſſe rerum vt ſecundariæ veritas & bonitas. Denique veritas & bonitas primæ vocantur Metaphyſicæ veritas & bonitas, quia in ea diſciplina omnium prima quam vocamus Metaphyſicam pertra-

ctate declarantur.

Nota obiter non infrequenter veritatem & bonitatem ipſius Dei venire ſub appellationem veritatis & bonitatis Metaphyſicæ, quia in ea diſciplina etiam de iis tractatur. Item ſub nomen veritatis & bonitatis entis, quia Deus eſt ὂν ὄντων, atque ſi exacte loqui velis, veritas & bonitas Dei dicuntur eſſe potius ὑπερόντος quam entis; Item Theologicæ potius quam Metaphyſicæ, quia illic fuſius tractantur quam hic, quin etiam hæc veritas & hæc bonitas Dei dici poſſunt etiam tranſcendentales, quia ſe impertiunt omnibus rebus omnium ordinum & claſſium, quamuis τὸ tranſcendentale magis proprie dici videtur de rebus ſiue creaturis quam de Deo: nihil enim quod de Deo dicitur, dicetur proprie ſcandere per ordines rerum cum omnia ſunt in eo, ſupra ordines rerum. Hæc prima veritas ſiue veritas entis eſt primum poſt Deum intellectus obiectum, quia poſt Deũ eſt primario intelligibilis, & hæc prima bonitas in rebus ſiue bonitas entis eſt primum poſt Deum voluntatis obiectum, quia poſt Deũ eſt primario volibilis. Nota.

Præterea cum omne ens ſit verum, omne ens eſt intelligibile: omne enim verum intelligibile, ac conſequenter cum intellectus intelligat omne intelligibile, intelligit omne ens, ita cum omne ens ſit bonũ, omne ens eſt volibile, ſiquidẽ omne bo-

num eſt volibile ac conſequenter cum voluntas velit omne volibile, vult omne ens: quod autem dico intellectum intelligere omne ens & voluntatem velle omne ens, id ita accipi cupio intellectum intelligere entia cuiuſque generis, & voluntatem velle entia cuiuſque generis: non autem ſingula quæque indiuidua entia, nam licet ſingularia entia ſint intelligibilia & volibilia cum ſint re vera & bona, verumtamen ea omnia animus humanus propter imbecillitatem ſuam intellectione non comprehendit, quare nec voluntate appetit: quis enim omnia actu comprehendat niſi is in quo & à quo omnia ſunt. Iam vt poſt primam hanc entis veritatem quæ poſt Deum eſt primum intellectus obiectum, eſt etiam ſecundaria veritas, ſecundarium intellectus obiectum, ita poſt hanc primam entis bonitatem, quæ poſt Deum eſt primum voluntatis obiectum, vel etiam eſt ſecundaria bonitas, ſecundarium voluntatis obiectum: item vt prima hæc veritas reſpectu Dei cui eſt ſecunda dici iure poteſt, ſecundaria veritas, quæ à prima omnium veritate, id eſt à Deo dependet, vnde hanc primam entis veritatem, non inepto licet nouo nomine δευτεροπρωτὸν ἀληθὲς, ideſt ſecundo-primum verum nuncupare poteris, dicitur δευτερὸν verum, reſpectu Dei qui eſt πρώτως πρωτὸν verum, dicitur autem πρωτὸν verum, habita ratione ad alia vera quæ re vera ſunt δεύ-

τερα: quare merito verum δευτεροπρωτὸν nuncupatur, ita prima hæc entis bonitas respectu Dei cui est secunda, dici iure potest secundaria bonitas, quia a prima omnium bonitate, puta ab ipso Deo dependet, hinc itidem hanc primam entis bonitatem non male quamuis nouè δευτεροπρωτὸν ἀγαθὸν, secundo-primum bonum vocitare queas dicitur δευτερὸν bonum respectu Dei qui est πρώτως πρωτὸν ἀγαθὸν: respectu autem aliorum bonorum, quæ re vera sunt δευτερὰ bona, πρωτὸν dicitur, quare merito δευτεροπρωτὸν nuncupatur: deinceps vt hæc secunda veritas in entibus, quæ proprie secundaria vocatur quod dependeat ab illa prima habet suos gradus, & quo magis accedit ad primam illam veritatem, magis erit intelligibilis, ac proinde magis intellectus obiectum: ita hæc secunda bonitas mentibus quæ proprie vocatur secundaria, quod dependeat ab illa prima, habet suos gradus, & quo magis accedit ad primam illam bonitatem magis est volibilis magisque voluntatis obiectum ac magis perficiens voluntatem.

SECTIO XXV.

De bono adhuc plura.

SVperius diximus vt primam entis veritatem, ita primam entis bonitatem doceri in prima & summa disciplinarum, id-est Metaphysica: vnde hæc prima entis veritas dicitur Metaphysica veritas, sic & prima entis bonitas nunc sciendum est secundariam veritatem & secundariam bonitatem doceri in secundis & inferioribus disciplinis, ab iisque nomen sumere; sed de secundaria veritate quæ est tantum κατὰ τι veritas, & in certo ordine rerum. Plura hoc in loco dicere supersedemus, præsertim cum de ea pro rei exigentia nonnulla supra attigimus, cum de intellectu separatim loqueremur.

Itaque hic erimus contenti pro instituto præsenti nonnulla dicerẽ de bonitate secundaria. Quæ est tantum κατὰ τι bonitas vt supra dictum est, & in certo ordine rerũ non scandens per omnes rerum ordines vt prima illa bonitas scandit, cuius est effectũ. Itaque in disciplinis particularibus tractãda est, à quibus & nomen habet, non vero in illa vniuersali disciplina vt prima bonitas, vnde appellationem adipiscitur: de

bonitate ergo ſecundaria loquentes eam pro diuiſione diſciplinarum ſecundariarum in præſenti diſtinguemus: ſic igitur vt ex diſciplinis ſecundis aliæ dicuntur θεωρητικαὶ ſiue contemplatiuæ cuius generis multæ ſunt: ita eſt bonũ ſecundarium pertinens ad diſciplinas θεωρητικὰς, quod ideo θεωρητικὸν, vel contemplatiuum vocare potes, & huius generis boni ſecundarij multæ pariter ſpecies ſunt quas omnes enarrare longius foret quam breuitas nobis hic propoſita requirit. Itaque in præſens ſatis nobis fuerit exemplum vnius boni θεωρητικοῦ in vna diſciplina θεωρητικῇ proponere v. g. in Phyſica, quæ eſt diſciplina θεωρητικὴ cum locus cõuenit locato, locus dicitur eſſe locato bonus, ſupple bonitate ſecundaria & Phyſica, quia natura intendit & finis loci eſt vt locato congruat: deinde vt ex diſciplinis ſecundariis nonnulla dicuntur ποιητικαὶ, ſiue factiuæ quæ vnica voce artes vocari ſolent, cuius generis multæ quoque ſunt ſpecies, verum hic vt ſupra vnum exemplum huius boni ποιητικοῦ in vna diſciplinarum ποιητικῶν adferre in præſens ſuffecerit v. g. in calcearia cum calceus pedi alicuius conuenit dicitur eſſe pedi bonus ſcilicet bonitate hac ſecundaria, quia eſt intentio calcearij & finis calceariæ vt calceus pedi conueniat: 3. vt ex diſciplinis ſecundariis quædã dicuntur πρακτικαὶ ſiue morales, cuius generis non vnæ ſunt ſpecies, vt nec præcedentium, ita eſt

bonum ſecundarium quod practicon ſiue morale dicimus, quia pertinet ad diſciplinas practicas præcipue hoc bonum practicon ſæpius peculiari appellatione vocatur bonum voluntatis, non quod omne bonum non ſit obiectum voluntatis: ac propterea vocandum bonum voluntatis, ſed quia voluntas habet peculiarem propenſionem ac primariam σχέσιν ad hoc bonum practicon, voluntas ideo circa hoc bonum practicon verſari peculiariter dicitur propter praxim quam præcipue intendit: inde etiam illa priora bona ſecundaria puta θεωρητικὸν & ποιητικὸν dicunturbona intellectus, quia circa ea intellectus magis peculiariter occupari dicitur, quam voluntas nam non habet voluntas eam σχέσιν primariam ad reliqua bona ſecundaria, quam habet ad bonum practicon: quin etiam voluntas ipſa quæ habet σχέσιν propenſam valde ad hoc bonum practicon, propter ſuam inclinantem diſpoſitionem ad bonum practicon dicitur bona, non tantum bonitate prima ſiue entis: hac enim ratione omne ens dicitur bonum, ſed etiam bonitate ſecundaria, nempe practica & morali, contra voluntas quæ non habet hanc propenſam σχέσιν ad bonum practicon ſiue morale dicitur eſſe mala, ſupple ſecundario, idque moraliter, licet etiam abſque hac diſpoſitione ad bonum practicon maneat ſimper voluntas bona bonitate prima, cum ſit ens.

Quin etiã bonum hoc non est vnius modi, sed suos habet modos & gradus quibus distinguitur, ex his autem modis siue gradibus boni practici ille dicitur primus & maxime dignus, quo quasi ducitur voluntas proxime ad omnium primum & super omnia bonum, puta Deum, & cum eo certa ratione vnitur huiusmodi bonum practicõ, dici vulgo solet bonum pium & spirituale, quia internum hominem respicit qui spiritualis homo etiam ab Apostolo non semel dicitur & in internis ac in spiritu pietas maxime consistit, dico maxime quia non excludo externa a pietate cum in iis etiam pietas licet secundario consistat: iam vt bonum hoc pium ex bonis practicis est primũ & maxime dignum, ita voluntas primario & maximo impetu ad id fertur vt ab eo maxime perficiatur: ab eo autem maxime perficitur voluntas, quia per id ad Deum maxime quasi ducitur, prout hîc iam diximus, verum de hoc bono pio enucleate tractatur in ea disciplina practica, in qua agitur de officiis nostris erga Deum parentes &c.

Quam disciplinam practicam vocare poteris Theologiam supple inferiorem, vt eam distinguas ab illa altera suprema & prima Theologia, in qua de Deo eiusque attributis docetur.

Bonum practicon secundi modi est illud quod vulgo vocatur bonum honestum, hoc

bonum præcipue & primario hominem externum concernit, licet etiam, sed non tantum hominem internum respiciat, siquidem honestas siue honor maxime est in externis, hoc bonum honestum dici etiam solet peculiariter bonum morale siue ἠθικὸν supple externum, præcipue quia mores hominum externi maxime ad id dirigũtur, alioqui omne bonum practicon morale dicendum erit, si exacte loqui velis vt & nos supra practicon morale interpretati sumus, ad hoc bonum honestum voluntas itidem fertur vt ab eo perficiatur, sed minori cum impetu quam ad primum, quia hoc bonũ est minus bonum quam primum, ac consequenter minus perficit voluntatem: de hoc autem bono honesto siue morali tractatur in ea parte philosophiæ, quæ peculiariter Ethica siue moralis nuncupatur, bonum practicon tertij modi est id quod communiter dicimus iucundũ & vtile, hoc bonum est omnium bonorum practicon minime perfectum, imo in sese est imperfectum, cum tantum sit vere bonum per & propter honestum, & pium nimirum quatenus cum iis congruit & ad ea refertur: nam id quo iuuamur, & quo vtimur non potest dici bonum nisi salua tum pietate tum honestate sit, sed etiam nisi ad pietatem & honestatem nos conducat, ad hoc bonum iucundum & vtile fertur voluntas, sed minimo impetu, quia ab eo minime omnium perficitur, de

hoc bono iucundo & vtili docetur etiã in ea disciplina, in qua de bono & honesto, idest, in Ethica agitur, quia hoc bonum non debet dici bonum nisi causa honesti: quare ibi de hoc etiam vt de isto tractare omnino conueniens est.

Deinde bonum generali diuisione diuiditur sic, bonum aliud est ἀληθῶς à re vera tale, aliud est tantum tale φαινομένως & δοξαςῶς per apparentiam & opinionẽ: non enim est tale quale iudicatur & æstimatur per errorẽ, huius boni φαινομένȣ, siue δοξάςȣ tot modi possunt exhiberi quot sunt modi ἀληθῶς boni, sed cum ex modis veri boni facile cognosci possunt boni apparenti modi, in eis recitandis non immorabimur.

Nota licet iucundum & vtile ad practicon ordinarie coarctentur, tamen si vires vocum inspicias, reperies iucundum & vtile etiam sedem suam habere in φυσικοῖς & ποιητικοῖς: cum enim locus est locato bonus tum est ei iucundus & vtilis, & cum calceus est pedi bonus est ei iucundus & vtilis, nam eo iuuatur, eoque vtitur, & eo delectatur, sed inopia propriarum vocum nos facit sæpe coarctare voces generales & dilatare voces particulares, quid quod licet iucunditas, vtilitas, ac delectatio sit in φυσικοῖς & ποιητικοῖς, præcipue tamẽ elucescũt in practicis. Hinc primario iucundum vtile delectabile ad practicon referuntur à Philosophis,

quemadmodum quod vult voluntas, dicitur volibile, ſic quod non vult vocatur nolibile: omne autem volibile bonum eſt, quare vice verſa omne nolibile malum. Item omne bonum eſt ens & aliquid, contra omne malum eſt non ens & nihil poſitiui habens. Itaque cùm voluntas non poteſt velle non ens, & nihil quia non eſt, neque poteſt velle malum quod eſt non ens, & cum malum ſit non ens non habet cauſam efficientẽ: nam nõ entis nulla eſt efficiens, per ſe intellige, ſed potius eſt deficiens cauſa mali, quia malum eſt defectus. Interim per accidens, malum dicitur habere cauſam efficientem, puta ipſum bonũ quatenus eſt mutabile & deficit à rectitudine, hinc diſce Deum ne per accidẽs quidem debere dici cauſam efficientem mali qua mali, cum Deus ſit immutabilis, nec vnquam à rectitudine deficit, iam vt malum non habet cauſam efficiẽtem per ſe, ita nec habet finem per ſe, & formaliter dictum cum finis & bonum reciprocantur, ſed per accidens poteſt dici habere finem quatenus nimirum habet ſpeciem boni, pariter nec habet formam intrinſecam vllam propriam cum forma omnis ſit bona, ſiue, vt alij loquuntur, bonitas conſiſtit in forma, ergo malum qua malum non magis poteſt dici habere formam, quam eſſe bonum, nec malum habet cauſam materialem cum materia appetat perfici, qui appetitus non

Nota.

eſt

est in malo, neque ab eo potest procedere cũ malum ipsum sit defectus, sed si vis vocare subiectum, in quo est ille defectus loco boni, quod inesse debeat materiam mali, potest malum dici habere materiam per accidens, videlicet, ceterum malum tot modis dicitur, totque modis distingui poterit, quot modis bonum dicitur & distinguitur, sed cum rectum non solum sit norma sui, verum etiam obliqui, nos hoc in loco multa de malo dicere supersedemus, præsertim cum ea quæ de bono diximus notitiam mali pro instituto præsenti sufficientem suppeditare queant.

Interim tamen vt lectori hac in parte vlterius satisfaciamus de mala physico, malo poetico, malo practico paucula prædictis addemus præcipue de practico, sed prius de Physico, malum naturale vel Physicon dicitur cum res vna naturalis non conuenit rei alteri naturali, præsertim si conuenire debet, tunc dicitur ei esse mala, v. g. alimentũ cum non conuenit viuenti, dicitur ei malum, licet alioqui in sese consideratum alimentum sit bonum, deinde priuatio boni naturalis puta priuatio alimenti dicitur malum naturale: denique defectus in re quæ à natura producitur, facit vt res defectum habens dicatur mala, sic monstra dicuntur esse mala per naturam: natura enim deficit in eorum productione, cuius sunt ἁμαρτήματα, malum Poeticum esse tum dici-

mus, cum res artefacta non respondet artificis intentioni, vel fini artis, v.g. calceus qui non est cōmodus pedi, dicitur esse malus: itē omnia ἁμαρτήματα artificum, quæ in produ-ctione rerum artefactarum committuntur, malum vocamus practicon omne id quod est disconueniens agenti libero de libertate agentis, mox infrà, mali practici modus primarius vocatur vitium in vitio, hęc consideranda sunt; Primò, considera vitium, vt est carentia boni practici, ita est merum non ens & priuatio, deinde considera vitium vt includit in se inclinationem, siue propensionem ad carentiam boni & defe-ctionem à rectitudine. Vitium vtraque hac consideratione dicitur ἀνομία, denique vitium considera pro ipso actu vel habitu contrario virtuti, totum hoc negotium de vitio illustrari potest hoc exemplo familiari, v.g. quod claudicatio est in incessu, idest, vitium in actione morali: in claudicatione autem considera primo carentiam rectitudinis in incessu, deinde propensionem ad deficiendum à rectitudine in incessu, denique considera actum vel habitum malum claudicandi contrarium recto incessui, his omnibus respectibus claudicatio potest esse ἀνομία contra legem naturæ in incessu recto.

Vitium alias vocatur peccatum & malum culpæ quod consistit in ἀταξίᾳ actionis quæ agitur vel omissione actionis quæ agi

debet: in ἀταξίᾳ autem actionis eſt vitiũ vel cis vel vltra mediocritatem, id eſt, vt vulgo loquuntur, vel per defectum, vel per exceſſum cum vitium peccatũ & malum culpæ, nam hæc eſſe eadem hoc in loco dicimus, ſit non ens defectus & mera priuatio in ſeſe nullam habet cauſam efficientem per ſe, ſed per accidens, vt iam iam dicebamus cum de malo in genere loqueremur mali culpæ vel peccati ſiue vitij cõſequens eſt, id quod dici ſolet malum pœnæ, & eſt priuatio boni contracta per culpam antecedentem, hoc malum pœnæ ſiue pœna dici poteſt eſſe à Deo, quatenus eam infligit Deus ob peccatum antecedens, vt peccatum puniat, imo aliquando Deus peccatum peccato punit. Quare hoc ſecundum peccatum quatenus eſt pœna prioris dicetur eſſe à Deo, quatenus vero conſiſtit in ἀταξίᾳ ſiue ἀνομίᾳ actionis moralis vel eius omiſſione eſt ab ipſo peccante, in quantum nimirum peccans deficit à recto, denique malum quod eſt tale quale eſſe iudicatur, dicitur malum nudum, malum vero quod imponit ſub ſpecie boni, dicitur fucatum malum idem cum bono apparente, quin etiam quod re vera eſt bonum nobis ignaris videtur interdum eſſe malum, pueris ſtudium virtutis videtur eſſe malum.

Supra dictum eſt, intellectum ferri ad verum, & maximè ad primum, & maximè verum, puta ad Deum, item voluntatem

ferri ad bonum & maxime ad primum & summe bonum, puta Deum, quod accipi cupio de intellectu & voluntate integris bene que dispositis quales fuerũt intellectus & voluntas Adami ante lapsum, & quales sui t intellectus & voluntas beatorum in cælis, atque cum ea cautione, cuius in superioribus meminimus, cum supra diceremus intellectum voluntatem propriis viribus ferri ad Deum, nimirum vt est in creaturis, quatenus vero est in sese nonnisi ab ipso euehantur in statu miseriæ vel hominis lapsi, tantum abest vt intellectus feratur ad verum & maxime ad summe verum, vel voluntas ad bonum & maxime ad summe bonum, vt è contrario loco veri feratur intellectus ad falsum, imo maxime ad maxime falsum feratur, & voluntas loco boni feratur ad malum, & maxime ad maxime & summe malum, non certe qua talia sunt; nam intellectus ad falsum qua falsum nullo modo potest ferri, nec voluntas ad malum qua malum ferri quit, cum falsum & malum sint non entia, ideoque non obiecta intellectus & voluntatis; sed intellectus fertur ad falsum latens sub specie veri, & voluntas fertur ad malum latens sub specie boni, atque quod vltra dolendum in hoc statu miseriæ intellectus, sæpe respuit quod re vera est, Verum quia id vt falsum concipit, sic voluntas auersatur id quod re vera est bonum, quia ei offertur sub specie ma-

li, intellectus ita misere affectus, vt nunc est, dicitur offuscatus, imo obcæcatus, non tamen penitus extinctus est. Voluntas itidem ita misere affecta, vt nunc est, dicitur deprauata & corrupta, non tamen extincta est si proprie loqui velis: nam anima non potest amittere suas facultates sibi naturales salua ipsius essentia, quia quod est essentiale, durat quandiu durat essentia: ex his vides quo sensu homines quos Apostolus 1. Corint. scribens cap. 2. v. 4. vocat ψυχίκους dicuntur mortui, licet viuant vitam vegetatiuam & sensitiuam, nimirum quo ad facultates intellectum & voluntatem quas non habent regeneratas: ergo mortuus hic sumitur pro non regenerato, lapsu primi parentis labefactatæ sunt potestates animæ, illæsa manente eius essentia dum valde ineptæ factæ sunt ad operandum, supra vidimus intellectum & voluntatem esse vnum & idem cum anima ipsa: item vnum & idẽ inter se à priori scilicet: hinc infero ob hanc vnitatem vel identitatem, intellectum non magis posse naturaliter ferri ad falsum, vel voluntatem naturaliter ferri ad malum quam animam ad naturæ suæ contrarium à quo omnes res naturaliter abhorret: imò miranda edit vt euitet suum contrarium sicuti in physicis vides grauia ascendere & leuia descendere propter hoc ipsum, nec voluntatem magis ferri ad malum quam intellectum ad falsum.

Porro cæcitati huic intellectus & prauitati voluntatis remedium est educatio bona & eruditio in disciplinis honestis, sed in primis & super omnia irradiatio intellectus per Deum vt clare perspiciat verum & flexio voluntatis per eundem, vt alacriter bonum amplectatur, quod dum facit non infundit homini nouum intellectum, nec nouam voluntatem ei increat, proprie & exacte loquendo, sed cæcum intellectum luce sua illustrat, & prauam voluntatem sua rectitudine rectificat. Verum de his plura infra dicemus, voluntas alio nomine vocatur appetitus, quia appetit, idest, fertur ad obiectum: vocatur, inquam, appetitus non quilibet, sed rationalis siue intellectualis, vt distinguatur ab aliis appetitus speciebus de quibus supra, vbi vidimus appetitum alium dici mere naturalem, qui scilicet est in iis rebus, quæ non participant de cognitione obiecti, per sensum vel per rationem, alium dici appetitum elicitum, qui extrahitur vel elicitur ex cognitione obiecti, quam res habet, vel per sensum vnde nascitur appetitus sensitiuus, vel per rationem vnde nascitur appetitus rationalis, qui prorsus dirigitur ratione & intellectu, atque hinc est quod subtilioribus voluntas siue appetitus rationalis dicatur intellectus extensus: ita vt voluntas nihil aliud sit quam intellectus iam rei notitiam habens ad eam amplectendam, se se exten-

dens, hinc illud intellectus non intelligit nisi intelligere velit, neque voluntas vult nisi velle intelligat, vnde dico, volo intelligere vel non intelligere, intelligo velle vel non velle: ideo certe voluntas nihil vult nisi quod intelligit intellectus, quia si voluntas affectaret rem quam non cognoscit intellectus voluntas foret res bruta: non autem animæ rationalis facultas, quare rem prorsus incognitam nemo vult: imo eatenus voluntas vult quatenus intellectus intelligit.

Itaque cum intellectus rem non plene intelligit, voluntas eam non plene vult, vnde illud, Ex parte volumus, quia ex parte tantum intelligimus: cum autem intellectus rem plene intelligit, voluntas eam plene vult, vnde tunc, idest, in futura vita cum plene intelligemus plene volemus iam, licet voluntas & intellectus sint vnum reipsa & essentia, non tamen dicimus nos voluntate intelligere, vel intellectu velle, cum distinguuntur formaliter virtualiter & ratione ratiocinata, vt loquuntur in scholis, idest, tali distinctione, quamuis non sit realis cum non sint diuersæ res, quippe quæ vnam habent essentiam: interim tamen tali, inquam, distinctione distinguuntur, vt distinctio rei dici possit, quatenus nimirum est ex natura rei, habetque fundamentum in re ipsa, non ergo distinguuntur mera cogitatione siue ratione ratiocinante, vt ter-

minis ſcholæ vtar, hic obiter notes eſſentiam & potentias in Deo non differre vllo modo, ideſt, neque formaliter, neque realiter, vt nec potentias à ſe inuicem. Cum omnia ſunt in eo ſimpliciter & abſolute vnum & idem non in ſpiritu creato, in quo hæc diſtinguuntur: ita, vt iam diximus, voluntas quo ad primam intellectus operationem, ideſt, quo ad rei cogitationem, ſiue meditationem ab intellectu pendet, & eo poſterior eſſe dicitur: nam hac intellectus operatione voluntas mouetur ad volendũ rem, puta quam intellectus intelligit, ſed voluntas cum non habet media, quorum ope compos fiat rei ad quam volendum ab intellectu commota fuit, vice verſa ſtimulat intellectum ad inquirendum ſibi media quibus reuolita potiatur, quod dum intellectus facit, dicitur intellectus conſultare reſpectu huius ſecundę operationis, intellectus pendet à voluntate, eaque eſt poſterior: tandem voluntas adepta per hanc ſecundariam intellectus, operationem media quibus rei prius ex parte volitæ compos fiat, tum eam plene vult, voluntas cum mouetur ab intellectu ab eo non ſolum eatenus pendere, & poſterior eo eſſe, ſed & eo minus digna eſſe dicitur, licet alioqui ſint ſimul & æque digni, non tantum ratione eſſentiæ, ſed etiam ratione obiecti: nam bonum non eſt, poſterius vero & eſt æque dignum ac verum, hic videre potes motum

& mouens non distingui realiter, cum intellectus non mouet voluntatem vt principium ei externum, sed omnino internum: idem enim mouet seipsum, cum ratione essentiæ & ab ante, vt alibi diximus, sunt prorsus idem, neque hoc nouum; hic videri potest, nam alibi notes, licet vnam eandemque rem esse & motum & mouens quod vel in aere videre est dum seipsum mouet.

Cæterum non prius voluntas mouet intellectum ad consultandum, quam iudicatum fuerit ratione, vt quod bonum est intelligat, hinc illud homo intelligit quod vult, idest ad libitum, cum nimirum iudicauerit esse bonum in plena voluntatis operatione tres notari possunt diuersi actus; Primus actus est mediorum ab intellectu oblatorum acceptatio, vt ita dicam; secundus actus est decretum his mediis acceptis vtendi; tertius actus est executio decreti illius. Hic nolo omittere executionem quã ego tribuo voluntati per tertium actum, à nonnullis dici fieri per facultatem peculiarem minorem formaliter distinctam à voluntate, eamque vocant vim motricem & potentiam executricem, quam aio aliud nihil esse quam voluntatem extensam ad exequendum, vt voluntas dicitur intellectus extensus ad amplectendum, vice versa intellectus nihil aliud est quam voluntas immanens in cogitatione; nec ad appetendum progrediens, sic voluntas est vis motrix im-

manens in appetitu neque ad extensionem progrediens, & vis motrix est voluntas extensa, ad exequendum: voluntas ergo summo impetu & absolute vult bonum & media eius dum de eo & iis certo constet: ita malum de quo certo constat absolute auersatur cum iis quæ ad id ducunt, modo de eo iisque certo constet, sed circa malum incertum & media ad id ducentia incerta suspense operatur: ratio est, quia voluntas id vult quod intelligit intellectus, & eatenus vult quatenus intellectus intelligit, vt iam non semel dictum est.

Voluntas cum affectat sensibilia etiam ope corporis vtitur, sicut intellectus cum sensilia intelligit: alioqui voluntas æque ac intellectus operationes suas sine instrumento corporis molitur & præstat. Interim vt cerebrum, quia est sedes sensuum, præcipua quibus præest intellectus, dicitur intellectus instrumentum puta proximum: ita cor quia sedes esse affectuum perhibetur quibus præest voluntas, vocatur voluntatis instrumentum imo & ipsum intellectus originaliter, quia nimirum spiritus inseruientes sensibus quibus imperat intellectus ortum habent in corde, vel quia cor esse primarium ipsum animæ instrumentũ esse dicitur, ac proinde nobilissimæ eius facultatis organon quoque dicetur, intellectus vi sibi insita siue interno sibi principio & sine vlla coactione, vel exter-

no principio fertur ad verum, ita voluntas vi sibi innata siue interno sibi principio, sine vlla violentia, vel principio externo rapitur ad bonum supra dictum est voluntatem eatenus velle, quatenus intellectus intelligit. Itaque, inquam, ergo cognitio rei clara & perspicua in intellectu parit alacritatem in voluntate, atque quo intellectus alicuius clarius & certius rem intelligit, eo voluntas eiusdem alacrius eandem rem vult, vice versa cognitio rei dubia & obscura in intellectu parit ignauiam in voluntate, & quo intellectus est magis rei nescius, eo voluntas ad volendum est magis ignaua, quare cum intellectus noster est rei prorsus inscius, voluntas ad volendum est omnino frigida supra docuimus tenebras ab intellectu nostro per lapsum primi parentis obcæcato pelli præcipue irradiatione spiritus cælestis. Item peruersitatem à voluntate per lapsum eiusdem primi parentis deprauata, rectificatione eiusdem spiritus cœlestis amoueri etiam diximus, quibus nunc addendum est vt intellectus noster est mere passiuus saltem quoad spiritualia, ad primam per spiritus sancti irradiationem: ita voluntas ad primam per eundum spiritum rectificationem mere quoque passiue se habet ratio huius rei est, quia sicut supra ostendimus mens humana quoad spiritualia, est quasi mortua, cum

eius vires in ſupernaturalibus, ideſt, ſpiritualibus ſunt amiſſæ: in naturalibus vero mancæ vt ob omnibus receptum eſt. Interim vt ſtatim poſt hanc primam intellectus cælitus irradiationem intellectus ipſe non otioſus manet, ſed agit ſic voluntas, ſtatim poſt hanc primam per ſpiritum ſanctum ad bonum flexionē non ignaua manet, ſed operatur: primitus enim non niſi acti agimus, voluntas autē licet ſit omnino paſſiua dum recipit primam ſpiritus ſancti gratiam poſtea tamē actiua eſt in omni bono opere æque ac intellectus, vt deinde cū ſpiritus ſupercæleſtis intellectum noſtrū irradiat ſine vlla violentia id facit, ſic cum idem cæleſtis ſpiritus rectificat voluntatem, id etiam abſque vlla coactione præſtat: neutri enim, id eſt nec intellectui, nec voluntati infert vim vllam, ſed leni operatione vtens illum irradiat, hanc rectificat, prout ſol ſine vlla violentia & leni operatione adueniens omnia tenebris obſita luce illuſtrat, & cuncta frigore rigentia calore ſuo fouet.

Verum enim vero in hac vita præſenti, quæ eſt quaſi primordium tantum vitæ in cælis, futuræ ſpiritus cæleſtis intellectum noſtrum ex parte tantum illuminat, & voluntatem noſtrā ex parte tantum rectificat. Hinc illud Apoſtoli hîc, ideſt, in hac vita præſenti habemus tantum ἀῤῥάβωνα τοῦ πνεύματος. Differt enim plenam illuminationē intellectus, & plenariam voluntatis rectifi-

cationem vſque ad vitam futuram, non ita diſpari pacto vt ſol ſub ortum diei cuncta modice tantum irradiat & tepefacit, quæ poſtea illuſtrat plene & calefacit: porro cum intellectus & voluntas tantum habeant cognitionis, vt voluntas nihil aliud ſit quam intellectus ſeſe ad rem amplectendam extendens, atque intellectus nihil aliud quam voluntas immanens ad cognoſcendum: non vero ſe exerens ad proſequẽdum, & differunt ratione functionis ſiue virtualiter tantum. Ita enim inter ſe cohærent intellectus & voluntas vt à ſe inuicem nullo modo diuelli poſſint, quod & ſupra ex ſententia ſubtiliorum declarauimus: ob hanc igitur vnionem vel potius vnitatem intellectus & voluntatis, dico nihil poſſe eſſe reipſa in alterutro quod non ſit in alterutro, vel nihil poſſe accidere vni quod non & alteri.

Item cum omne verum ſit bonum, & contra omne bonum verum, & differunt tantum ratione non reipſa, nos inferimus caliginem ab intellectu ad cognoſcendum verum non poſſe pelli, quin ſtatim ad amplectendum bonum prauitas à voluntate amoueatur, atque eodem momento parique gradu quo intellectus illuſtratur, ad verum intelligendum voluntas rectificatur ad bonum amplectendum, cum ſint res eadem quemadmodum vt hac comparatione vtar: quæ aptior non eſt ad manum vna eadem-

que res non poteſt à ſole illuſtrari, quin eodem momento parique gradu calefiat ſi calefactionis & illuſtrationis eſt capax, interim ordine naturæ irradiatio intellectus eſt, prior rectificatione voluntatis, eamque præcedit, quia prius intelligimus quam volumus ex dictis conſequens hoc, omnino certum concludimus intellectum nullius fuiſſe vnquam à ſpiritu ſancto irradiatum ad intelligendum Deum, quin voluntas eiuſdem fuerit rectificata ad eum amplectendum, vel amandum eodem momento parique gradu.

Quare Iudas, Saülus &c. prout non habuerunt voluntatem ita rectificatam vt ſit ſyncere flexa ad ſummum bonum, id eſt, ad Deum prout miſer exitus oſtendit, ſic nec intellectum ita ab eodem ſpiritu illuſtratum habebant vt ſyncere ad ſummum verum ferretur vere aſſerimus: nam voluntas reproborum vti cacodæmonum prorſus auerſatur Deum quidquid præ ſe ferant, quia eſt extreme deprauata, & eorum intellectus omnino reſpuit Deum, quia peſſime miſerrimæ ignorantiæ tenebris eſt obſitus: quamuis enim multa de Deo cognoſcant, tamen Deum eſſe vere verum, ac vere bonum, ac conſequenter ipſis eſſe bonum neſciunt: quod enim eſt prorſus bonum, eſt omnibus bonum, alioqui procul omni dubio ei adhærerent, & eũ amplecterentur alacriter, hinc argumentamur eos qui non

amant Deum, eique non adhærent, ideſt, qui Deum non volunt Deum neſcire & ignorare, ideſt non intelligere. Deus enim agnitus non poteſt non appeti vel non velli: huc pertinet illud Iohan. c. 6. v. 10. *Si ſcires* ait Dominus, *donum Dei, & qui ſit qui tibi dicit da potum, tu petiiſſes ab eo, & dediſſet tibi aquam viuam.*

SECTIO XXVI.

In qua de libertate voluntatis.

VOluntas vi ſibi inſita, vt vidimus, propendet ad bonum, quæ naturalis propenſio voluntatis ad bonum vocari ſolet ſpontaneitas ἑκουσία. Item ſæpe voluntatis libertas & voluntas ſpontaneitatem ἑκουσίαν habens, dicitur libera, interim liberum etiam ſumitur pro indifferenti, & ita voluntas dicitur libera & indifferens ad hoc vel illud bonum ſecundarium à κατά τι, ſed ad malum nullo modo libera vel indifferens: nam id qua tale omnino auerſatur, nec vnquam malum appetit niſi ei ſub ſpecie boni offeratur: eodem certo modo quo intellectus prorſus reſpuit falſum, qua tale nec vnquam illud admittit niſi ſub fuco veri oblatum ſpontaneitatem ἑκουσίαν ſiue voluntatis libertatem ſemper & neceſſario præ-

cedit cognitio in intellectu, vnde illud ἑκούσιον ἐστὶ οὗ ἡ ἀρχὴ ἐστὶ ἐν τῷ εἰδότι. Quare etiam spontaneitas ἑκουσία, & hæc voluntatis libertas dicitur alio nomine liberum arbitriũ siue liberum iudicium intellectus, ordinarie voluntas sequitur iudicium intellectus practici, qui est quasi arbiter & index operationum voluntatis: verum quia negotium de libertate voluntatis est πολυθρύλλητον rem totam retro altius repetemus.

Itaque ab enucleatione nominum incipiemus, liber à quo libertas olim erat loiber, ita pronuntiabant & scribebant veteres: venit enim à λέλοιβα, præterito medio verbi λείβω, quod idẽ est cũ σπένδω cuius itidẽ medio præterito ἔσπονδα fit spõte: quare vt σπένδω & λείβω, idẽ sunt, ita libere & sponte, siue liberum & spontaneum ab his coniugata idem erunt: λείβω vero & σπένδω, Latini verterunt *libo*, & ad sacra proprie pertinere voluerunt: est enim libare aliquid Deo sacrum offerre quod sacrum propterea libamen vocari cœpit. Deinde vt nemo libat bene Deo nisi ab interno motu & principio, vel intrinsecus, ita labente tempore omnis is qui quidquam agit ab interno principio, siue intrinsecus eum exactiori cognitione, ac suspendere actionem eamque moderari possit agere libere & sponte dictus est, ita agit omne λογικὸν: obiter notes licet sentiens ἄλογον agat ab interno principio, & non sine cognitione quadam, tamen

quia eius cognitio est rudis admodum, quippe quæ per sensum tantum cumque non ad exactum vt supra vidimus, nec agens ἄλογον potest suspendere actionem suam: ideo non potest dici agere libere, vel esse agens liberum post ea non solum is dictus est agere libere, vel habere libertatem in agẽdo qui potest suspendere & moderari actionem suam, sed etiam qui potest impedire prorsus, idest, agere vel non agere his duabus vicibus, agens dicitur liberum quod potest mutare actionem suam: deinde etiam ipsa actio vel operatio agentis libere, quia mutari potest dicta fuit libera.

Denique res ipsa quæ fieri, vel non fieri, vel aliter atque aliter fieri, idest vnico verbo, mutari potest per actionem libere agentis cœpit dici libera æque ac ipsa voluntas, quæ est libera ad agendum vel non agẽdum: item aliter atque aliter agendum id ad mutandum actionem suam, liberum, Græcis dicitur ἑκούσιον quod venit ab ἑκών volens, ab ἑκούσιον deriuatur ἑκουσία, idest, libertas vel spontaneitas. Cæterum τὸ ἑκούσιον libro Exodi, cap. 35. v. 29. videtur lingua sancta dici נדב. Porro res, quæ potest mutari, idest, fieri vel non fieri vel aliter atque liter fieri dicitur contingens: contingens vero vel est complexum, de quo in Logica, puta in Doctrina de enunciatione modali, & de syllogismo &c. contingens hoc ideo

dicitur complexum, quia ſpectat conceptũ intellectus compoſitum, vel contingens dicitur ſimplex quod ſpectat quidem intellectus conceptum, ſed ſimplicem & inſuper fundatur in natura ipſius entis, non vero ſpectat tantum intellectus conceptum de re, vt contingens complexum hoc, itidem contingens ſimplex duobus modis conſideratur, priori modo ~~contra~~ vllum reſpectum adintellectum & voluntatem, & eſt id quod poteſt mutari à principio vel agente externo v g· cauſa aliqúa impeditur producere rem aliquam per cauſam diuerſam à ſeſe, quæ res ita impedita fieri, contingens extrinſecum dicitur de hoc contingenti: alibi nominatim in Metaphyſica, vbi de eo enucleate docetur, iam omne ens ſic dici poteſt contingens reſpectu Dei quia poteſt ab eo mutari, ſicut vice verſa vti hoc per tranſennam. Omne contingens reſpectu Dei poteſt dici neceſſarium, neceſſitate ſcilicet infallibilitatis, quæ non tollit contingentiam in rebus, vt alibi docetur.

Hinc ſcias velim illud tritum de futuris contingentibus non datur determinata veritas, intelligendum eſſe reſpectu noſtri, qui non poſſumus determinate prænoſcere veritatem contingentium, non vero reſpectu Dei, apud quem omnia ſunt determinate vera quia præſentia, deinde contingens ſimplex conſideratur cum reſpectu ad in-

citra

tellectum & voluntatem, quæ sunt agentes ea vi præditæ vt possunt mutare actionem suam, idest, agere vel non agere, vel aliter atque aliter agere : & tunc contingens dicitur intrinsecum, quia scilicet mutari potest ab interno agente intellectu puta & voluntate, vocatur aliàs liberum vt iam iam dicebamus : quia quit mutari ab intellectu & voluntate pro sua in id libertate, ac vt res quæ potest mutari ab intelligente facultate, intellectu puta & voluntate dicitur libera, sic ipsa facultas intelligens vi actionem mutandi prædita dicitur libera, quin etiam omne agens præditum facultate intelligenti dicitur agens liberum, vel agens libere quod & superius paulo docuimus.

Ex creaturis solus homo & Angeli sunt agẽtes libere, nam soli sunt præditi facultate intelligente, Deus non solum est agens libere, sed omnium liberrime : nam omnia mutare quit facillime pro libito suo per se ipsum, & à seipso, vnde dici solet αὐτεξούσιος & παντεξούσιος, libertas ἑκουσία spontaneitas, vt conuenit omni agenti intelligenti: ita maxime omnium conuenit, maxime omnium intelligenti, id est, Deo qui agit omnium liberrime spontaneissime, ἑκουσιαστάτως. Cæterum libertas, vt nunc innuebamus, capitur pro interno principio quod alio nomine dicitur ἑκουσία spontaneitas : deinde, capitur libertas pro vi qua agens λο-

γικὸν eſt ἀδιάφορον, ſiue indifferens, eſt ad agẽdum, id eſt, poteſt agere, vel non agere, ſiue aliter atque aliter agere, διαφόρως indifferenter, libertas hæc in ſecundo ſenſu eſt nota rudioribus; non autem prior illa libertas, quia eſt euidentior in volũtate quam in intellectu, & vulgo voluntas eſt magis obuia quam intellectus, ἑκουσία libertas ſpontaneitas ita cõuenit omni agenti intelligẽti, vt ab eo numquã ſeparetur, vnde ei dicitur eſſentialis , vel ei per eſſentiã conuenire. Itaque dicimus libertatẽ ſi ſumas pro ſpontaneitate & ἑκουσία eſſe in omni homine in quocũque ſtatu ſemper & omnino cum agit ab interno principio & præuia cognitione exquiſitiori de libertate voluntatis humanæ, in hac acceptione nulla eſt lis, ſed de libertate in hoc ſecundo ſenſu præcipue eſt nobilis illa controuerſia , qua diſputatur an homo habeat libertatem voluntatis , & quomodo habeat, quamuis præcipua ratio libertatis conſiſtat in eo quod agens agat ab interno motu, vel principio, cũ exquiſita cognitione quod vel ex libertate Dei in agendo diſcas qui omnia cum agit liberrime, non tamen eſt ἀδιάφορος vel indifferens ad bonum vel malum.

Ex iis quæ diximus conſtat libertatem eſſe proprietatem facultatis intelligentis , quæ facultas intelligens, vt in ſuperioribus vidimus, conſideratur duobus præcipue modis,

respectu ſcilicet rerum, in quas agit; primo nimirum quatenus notitiam capit de iis rebus, circa quas verſatur, & tunc dicitur intellectus: ſecundo quatenus ſe mouet & excitat ad res per intellectum notas, & tunc dicitur voluntas: de memoria intellectuali in hoc negotio nullam mentionem facimus, quia pendet ab intellectu & voluntate, in vtroque, id eſt, tum in intellectu, tum in voluntate conſiſtit libertas, de qua nunc agimus, nempe in intellectu radicaliter ſiue in cauſa & principio dirigente, nec non deliberante ſimul & intelligente: in voluntate vero eſſentialiter & formaliter, item vt in eligente ac exequente voluntati: ſuus ideo imputatur actus liber, quia eſt in eligendo libera & in exequendo. Hinc vulgo hæc libertas dicitur voluntatis libertas, non autem intellectus ſiue rationis, quia ratio non dicitur libera formaliter, ſed voluntas, interim tamen cum libertas ſit in intellectu vt in principio dirigente, dicitur liberum arbitrium, quod & paulo ſuperius monuimus: eſt enim intellectus quaſi arbiter iudicans ea, ad quæ exequenda voluntas excitatur, & ipſam voluntatem pro arbitrio ſuo dirigens in rerum electione & conſeruatione.

Porro duobus modis libertas voluntatis dicitur, primò determinationis, qua ſcilicet voluntas determinatur ad vnum obiectum

tantum, determinatione, inquam, vel intrinſeca, vt loquuntur, quando nimirum intellectus qui eſt, voluntati omnino intrinſecus imò idem cum ea, vt ſupra declaratum, eſt vero intellectus practicus ordinariè qui determinat voluntatem: dirigit enim & determinat voluntatem ad obiectum cùm intellectus plene nouit, & ſtatuit obiectum eſſe bonum proprio actu ſine peculiari auxilio externo, tunc omnino & neceſſario voluntas mouetur ad id adipiſcẽdum, id eſt, id appetit, nec aliorſum flecti poteſt, alioqui flecteretur ad id, vel id appeteret, quod intellectus malum eſſe ſtatuit, quod omnino abſurdum eſt: nam intellectus & voluntas ſunt vnum & idem reipſa & à priori, & nihil aliud eſt voluntas quàm intellectus ſe mouens ad obiectum. Quare prorſus neceſſarium eſt voluntatem ſequi decretum vel iudicium intellectus, quod dum facit, dicitur ab eo determinari, & voluntas dum aſſentitur iudicio intellectus, idque ſequitur: dicitur etiam ſe ipſam determinare qui intellectus & voluntas ſunt idẽ. Imo & homo ipſe determinare ſuã voluntatẽ dicitur, nimirum per intellectum, propter hanc determinationem voluntatis ab intellectu ſapientiſſimè à Græcis malus dicitur ἀνόητος, & ἀσύνετος, quaſi deſtitutus νοῷ & συνέσι, quippe non intelligẽs vel comprehendens bonũ vt id ample-

cti poſſit. Hinc etiam eſt quod appoſitiſſimè, tum Græcis, tum Latinis is qui relicto malo proſequitur bonum, dicatur μετανοεῖν vel mutare mentem, & redire ad ſanam mentem, & reſipiſcere, ac talis actio μετανοῖα vel reſipiſcentia dicta eſt: ita è contrario qui perſiſtens in malo non ſequitur bonũ, dicitur ἀμετανόντος, quæ omnia ſunt propter neceſſitatem ſequelæ, qua voluntas ſequitur intellectum, & vnitatis qua ſunt vnum intellectus & voluntas, vel extrinſeca determinatione determinatur voluntas cum ſcilicet Deus vel hoſtis humani generis, vel alius homo perſuaſione homini determinat voluntatem ad obiectum, faciendo rem notam intellectui, cuius iudicio acquieſcit voluntas, idque ſequitur neceſſariò, nec quicquam vltra præſtat creatura dum determinare voluntatem dicitur: ſed Deus vltra progreditur determinans voluntatem: nam non ſolùm illuſtrat intellectum vt perſpiciat clare bonum, ſed etiam trahit voluntatem ad bonum, vt id amplectatur.

Cæterum hæc determinatio libertatis in voluntate ſiue ſit intrinſeca, ſiue extrinſeca, fit vel in moralibus, ſiue practicis, vel in naturalibus, quibus adiunges artificialia, vel in ſpiritualibus, ſiue ſupercæleſtibus. Secundò libertas dicitur indeterminationis alias indifferentiæ, quando nimirum

voluntas non terminatur ad vnum obiectum, sed indifferenter se ad hoc habet, quia scilicet intellectus nondum absolutè statuit id esse prorsus bonum cum adhuc nō est de eo certus & persuasus, quod accidit vel quia ipse intellectus vi propria & interna non clarè perspicit rem, vel quia ab externo agenti non fit ei nota res: hæc quoque libertas indeterminationis vel est in naturalibus, vel in moralibus, vel spiritualibus. Præterea libertas indeterminationis siue indeterminata, vel est contradictionis alius actus siue exercitij, quæ tunc dicitur esse cùm voluntas vno obiecto proposito, id amplectitur vel non, quod euenit cum obiectum non est bene notum intellectui, & propterea non habet quod de eo statuat certo, sed in ancipiti est. Deinde libertas indeterminata dicitur contrarietatis, vel specificationis, siue speciei, vel modi actus, quando nimirum voluntas ex pluribus propositis vnum eligit, quod amplectitur, & rursus id reiicit, ac in locum eius aliud assumit: & hoc etiam accidit, quia intellectus non clarè perspicit obiectum. Itaque μετανοεῖ & sententiam mutat quam μετάνοιαν sententiæque mentis mutationem sequitur variatio voluntatis in prosecutione obiecti, determinatio voluntatis, vt iam vides, non tollit eius libertatem: si quidem Deus, Angelus bonus, anima beata, homo inte-

gerante lapsum habent voluntatem determinatam, ad bonum tamen liberam habent, vice versa Angelus, malus homo lapsus habent voluntatem determinatam, ad malum tamen liberam habent hoc in loco de appetitu licet de eo enucleate satis in superioribus diximus, quod repeterem dignũ esse duximus præsertim quum ad negotij præsentis illustrationem plurimum facit: est autem hoc esse omnia agentia propensione insitâ tendere & excitari motione interna ad obiectum circa quod agunt, quæ propensio insita siue cõmotio intrinseca agentis ad obiectum appetitus dici solet & hoc bifariam: primò dicitur appetitus innatus, ὄρεξις ἔμφυτος, qui nihil aliud est quàm inclinatio procedens ab instinctu, quem cuique rei à summo opifice inditam esse docuimus, per quam inclinationem res quæque fertur ad suum obiectum siue finẽ tanquam ad bonũ & sibi conueniens, & declinat à sibi incommodo sine præuia illa cognitione talem appetitum habent cuncta ἄλογα & ἀναίσθητα, v. g. plantæ, mixta inanima, cælum, elementa, &c. hic appetitus proprio vocabulo Græcis ἔνεσις dicitur, vt suprà vidimus: secundò vltra hanc inclinationem siue ἔνεσιν est in animalibus ἀλόγοις appetitus maior, scilicet præuia cognitione quamuis rudi obiecti præsentis, qui sensitiuus vocari solet, quia nimirum cognitio

quæ præcedit hunc secundum appetitum est tantum per sensum, vtrumque hunc appetitũ, id est, ἔμφυτον, & sensitiuum in belluis notare facile est, v.g. canis habens mel forte fortuitò sibi obiectum ad id vadit, vt sibi in nutritionem commodum quod cum semel gustauit impetu ad id fertur, post scilicet gustationẽ habens cognitionem dulcedinis in melle, ex qua cognitione ortus est maior hic appetitus, vltra hos duos appetitus est tertius qui dicitur rationalis, & procedit à cognitione exactiori, puta ratione qua obiectum præsens non solùm exquisitius scitur, sed etiam eius natura intelligatur vterque appetitus, id est, tum sensitiuus, tum rationalis dicitur elicitus, quia non tantum est creaturæ innatus, vt primus ille peculiariter ἔμφυτος dictus, sed etiam elicitus ex cognitione quam creatura habet de obiecto & fine ad quem fertur, sed quia hæc cognitio in genere sumpta non est vniusmodi, pro eius differẽtiis distinguitur appetitus elicitus cognitio: ergo hæc vel est rudis admodum qua creatura cognoscit obiectum tantum vt sibi conueniens & gratum, & non sub ratione proprij ipsius obiecti. Hinc in scholis dicitur, creaturæ quædam cognoscunt obiecta sua materialiter tantum ac ita obiecta sua cognoscunt ἀλογα ἀισθητα, vel cognitio hæc de qua hîc loquimur est exactior per quam creatura cogno-

ſcit obiectum ſiue finem non ſolùm ratione ſibi conuenientis & grati, vt ſupra, ſed etiam ſub ratione proprij objecti ſiue finis, & hæc poſterior cognitio dicitur formalis, vt illa prior materialis, talis cognitio formalis eſt in omni agente, intelligente & voluntario de appetitu innato plura dicere nunc ſuperſedemus, quin quũ de eo etiã ſupra locuti ſumus de appetitu elicito vltra hactenus dicta hæc pro re præſenti addemus, vel eſt omnino neceſſarius puta ἐν ἀλογοῖς αἰσθητοῖς: ita enim neceſſitantur, & vrgẽtur belluæ dũ appetunt vt manente eadem notitia objecti eadem diſpoſitione potentiæ in ipſis ac ſublatis impedimentis ruant & ὁρμῶνται in objectum: non enim poſſunt impedire ſuſpendere vel mutare actionẽ ſuam. Itaque nullo modo ἀδιάφοροι indifferentes & liberæ ſunt, iuxta ſecundam acceptionem τῦ liberi, vt diximus, ſiquidem ἀλογὰ appetitibus ἐμφυτῳ & ſenſitiuo commota omnino & ſemper eodem prorſus modo agunt niſi aliquid adueniat forinſecus quod impediat vel mutet actionem: agens enim ipſum nullo modo poteſt mutare actionem, deinde vel appetitus dicitur liber, puta ἐν λογικῷ agente, id eſt in homine & angelo: liber, inquam, eſt appetitus in hiſce, tum ſecundum actum ſiue exercitium, tum ſecundum modum actus ſiue ſpecificationis, v. g. in homine eſt liber appetitus elicitus, intelligẽs res indifferẽtes, ac proinde parum per-

fectionis in se se habentes, v. g. loqui, scribere, &c. quæ homo habet libertatem omnimodam agere, vel non agere: Item aliter atque aliter agere, libertatem, inquam, habet à se ipso, licet possit impediri ab, vel in agendo, per externum principium, vnde voluntas dicitur esse ἀμφιρέπης quasique in æquilibrio existens ad hæc, vt ea faciat, vel non faciat: hinc etiam ἀδιάφορα dicuntur τὰ ἐφ' ἡμῖν, quia penes nos est ea facere vel non facere: Item aliter atque aliter facere; deinde appetitus elicitus est partim liber partim necessarius; necessarius quo ad actum; liber quo ad modum actus: non datur alius appetitus elicitus puta liber quo ad actum, & necessarius quo ad modum actus, quia si modus actus est necessarius, etiam & actus erit, sed non contra: siquidem quod potest homo agere vel non agere, id potest aliter agere atque aliter, & non hoc modo solum, item necessario homo agit aliquid, non tamen necessario agit hoc modo: potest enim aliter ac aliter agere quod necessario agit, ego necesse habeo redire in patriam, sed possum alia ac alia via redire, sed non si possum redire vel non redire, necesse erit mihi redire, sic & non aliter appetitus in agente λογικῷ circa obiectum in genere consideratum sine exacta perquisitione, si sit bonum vel malum est liber quo ad actum, siue quo ad rem, vt aliter loqui soleat: nam agens λογικὸν potest illud

amplecti vel non amplecti, quia nondum pro certo decreuit intellectus id esse bonũ, sed post exactam perquisitionem, ac consequenter post intellectus absolutum iudicium cùm agens λογικὸν semel illud vt vere bonum agnouit non potest illud per voluntatem reiicere, vel cum per iudicium intellectus obiectum esse prorsus malum semel decreuit, non potest per voluntatem id prosequi siue amplecti, quia voluntas omnino sequitur iudicium intellectus, præsertim plene persuasi ac sic appetitus elicitus secundum specificationem est necessarius, quamuis secundum rem sit liber: ex hac doctrina discas libertatem in agendo siue liberum arbitrium tantum cadere in naturam intelligentem: nam ea tantum libere agit cuiusmodi primario est Deus agens omnium liberrime αὐτεξουσιῶς & παντεξουσιῶς, vt iam dicebamus secundario homo & Angelus, nunc vt libertas voluntatis competit agenti λογικῷ, ita ab eo non potest separari: est enim proprietas fluens ab essentia ἑπομένη τῆ φύσει, vnde libertas naturæ dicitur, vt & suprà monebamus: quod autem est à natura non potest tolli nisi euersa natura, hinc illud tritum *Quod natura dedit tollere nemo potest*, libertas hæc voluntatis prorsus & omnino est inseparabilis à Deo liberrime agenti, tum quoad essentiam, siue entitatem ipsius libertatis, vt loquuntur, tum quoad eminentiam, siue gra-

dus libertatis. Nota nos hic loqui de Deo rudius & ἀναλογῶς tantum pro captu nostro imbecilli, in creatura intelligente, puta homine & Angelo: hæc voluntatis libertas est inseparabilis quoad essentiam siue entitatem ipsius libertatis, quæ perpetuo sequitur naturam agentis λογικοῦ, ac sic distingui voluit summus rerum opifex agentem libere ab agenti non libere.

Interim secundum eminentiam hæc libertas potest tolli in creatura intelligente, idest, diminui secundum gradus vulnerari & lædi, prout misera experientia hominem lapsum docuit, licet secundum entitatem libertas inconcussa maneat in quocumque sit homo statu: in moralibus & naturalibus libertas voluntatis humanæ post lapsum est secundum gradus vulnerata & læsa in spiritualibus, ita deliquium est passa vt omnino extincta videatur, nec refocillare sese potest ipsam, ex sese.

Cæterum vtcumque hæc libertas sit fœdata in ciuilibus & naturalibus post lapsum, atque in spiritualibus quasi penitus sublata, veruntamen relinquitur homini quantũuis misero libertas plenaria semper moderandi loco motiuam facultatem animæ omnino & plenarie, ac consequenter ipsa membra corporis nominatim exteriora: membra enim hęc corporis commouentur per neruos & musculos queis imperat voluntas moderans affectus: tam enim im-

perio voluntatis aguntur, item vt intellectus cui pro sede, vulgo assignari solet cerebrum, accipiens notitias ab obiecto sensili eas, dum dominatur sensibus, mittit per spiritus huic negotio destinatos vbi voluntas regina affe[ctuũ] habere sedem communiter perhibetur, ita reciproco actu volũtas eas notitias remittit ad intellectum. Denique anima cogitando & meditando sensilia incitat & commouet musculos ac neruos, & consequenter membra exteriora: ex his proxime dictis discas hominem ex sese sua ipsius naturæ etiam corruptæ viribus posse plane abstinere à perpetratione scelerum, vt sunt adulterium, furtum, homicidium, &c. Hinc vides Hippolytum recusasse adulterari, & alios ex Ethnicis laudari ob sobrietatem. Vtilissimæ itaque leges ἐν πολιτείαις, quæ cùm spectant tantum externam obedientiam propter fœlicitatem humanam homo potest eas omnino adimplere. Ergo si non iis obedit legibus merito pœnis castigari solet, nisi enim leges humanæ præstari ab homine possent frustra darentur, quod ad legem diuinã attinet, alia est ratio: nam cum primũ Deus homini dedit legem, [..]statim potestatem concessit plene eam præstandi, idest non tantum per externam obedientiam, sed etiam & præcipue per internam, idque prõptum obsequium, (quod non facit homo nec facere potest dum legem iubet) sed eheu homo sua ipsius culpa

quam sibi sciens & volens attraxit hanc potestatem amisit. Interim Deus suo iure non excidit. Ita debitum obsequium constans ab homine iuste requirit, licet iam homini impossibile, sicut creditor qui dat mutuo nummos alicui qui dum accipit nummos à creditore est soluendo, sed postea dilapidando bona sua perdit facultatem soluendi. Interim creditor retinet potestatem exigendi debitum, licet debitor iam id non soluere possit, quippe qui fortunis iam exutus, sed de his alibi tractatur: insuper homo ante lapsum habuit libertatem voluntatis iure creationis & benignitate creatoris, non tantum quoad essentiam prout semper habet, sed etiam quoad eminentiam, quæ in naturalibus & moralibus læsa est, in spiritualibus fere extincta in omni homine, vt iam toties inculcauimus, sed hanc eminentiam libertatis in quibusdam hominibus Deus speciali gratia in hac vita refocillat & recreat, in vita futura boni habent libertatem non tantum quoad essentiam, sed quoad eminentiam in summo gradu, mali vero licet habeant libertatem quoad essentiam, interim eam non habent quoad eminentiam supra dictis hæc addo, licet omnis creatura intelligens iure creationis habeat libertatem cōtradictionis, id est, poterat eligere aliquod bonum vel non eligere, interim hæc libertas erat determinata ad bonum Dei gratia, quæ determinatio non

tollit

tollit libertatem voluntatis, post lapsum creatura intelligens lapsa habet voluntatis libertatem contrarietatis, idest, eligere hoc præ illo, & rursus aliud sumere in locum huius angelus non lapsus siue integer omnino fertur ad bonum, quippe iam gratia Dei confirmatus est: nam nunc non potest non velle bonum cùm antea poterat non velle è contrario, creatura lapsa non potest velle bonum spirituale, nisi restituatur gratia, anima beata in cælo erit vt angelus lucis. Item addo hoc circa bonum & malum in cõmuni, voluntas est libera & indifferens quoad actum, necessaria quo ad speciem actus, suprà vidimus rationem formalem libertatis vel liberi arbitrij consistere in spontaneitate & ἑκουσίᾳ secundum hanc formalem rationem libertas eximitur à coactione per externum principium voluntas non potest cogi secundum actionem internam, siue electionem coactione, scilicet proprie dicta, quæ fit per violentiam & impetum cum sit agens natura sua libere omnino resistit ei quod naturæ suæ est aduersum, interim tamen coactione improprie dicta, puta persuasione & lenocinio externi agentis potest duci, vel si mauis ita cogi, si quidem omne agens, dum forinsecus, & aliunde quam ab interno sibi principio ad agendum mouetur coacte agere dicitur, sic Orator cogit voluntates auditorum Spiritus sanctus leuissima persuasio-

ne vtitur dum excitat & refocillat libertatē quasi extinctam voluntatis ad spiritualia, ac ita leui ductu & libere homo regeneratus non solùm excipit, sed & sequitur has suauissimas Spiritus sancti motiones secundum actionem externam siue executionem voluntas potest cogi coactione proprie dicta, imò & sæpe cogitur, cùm formalis ratio libertatis in voluntatis consistit in ἑκουσίᾳ siue spontaneitate homo dicetur habere semper libertatem voluntatis, sed non semper bonam ἠθικῶς moraliter : agit enim malum ἑκουσίως & libere, idest, ab interno principio sine coactione, quare omnis libertas voluntatis non est bona saltem moraliter.

Adamus lapsu suo amisit sibi & posteris libertatem voluntatis quoad eminentiam, non enim ita libere nunc agit hominis voluntas ac olim, quod non intelligendum dici de libertate voluntatis in iis rebus, quæ perfectionis parum in sese includunt, vel in externis operibus, quæ etiam includunt perfectionem: hæc enim omnino reguntur à voluntate libere agente, nam respectu harum vtrorumque libertas manet voluntati post lapsum etiam quoad eminentiam, licet longè minus eminenter post lapsum quàm antè, sed superius dictum præcipue intelligere debes de interna voluntatis operatione circa re vera & perfecte bonum & imprimis spirituale, cuius operationis

respectu voluntas est ipsa deprauata, & omnino libertate priuata, vt & eius mens densis tenebris offuscata huc pertinent illa Augustini. *Magnas homo liberi arbitrij vires accepit, sed eas peccando amisit homo male vtens libero arbitrio, se & liberum arbitrium perdidit, per lapsum, arbitrij libertas in naturalibus manca in supernaturalibus amissa est donec gratia restituatur liberum arbitrium non nisi gratia Dei efficitur liberum voluntas humana non libertate gratiam consequitur, sed gratia libertatem*, hactenus Augustinus. In hoc rerum statu opus habet homo vt eius intellectus illuminetur ad distincte intelligendum verè bonum, alioqui eius voluntas nunquam libere amplectetur bonum: nam vt intellectus illustratur ad intelligendum bonum voluntas flectitur ad bonum prosequẽdum. Ex hac doctrina patet regeneratos non tantum posse coërcere membra exteriora à perpetratione scelerum quod & Ethnici faciunt, vt iam monuimus, sed etiam vltra mentes & voluntates eorum intus dirigi Dei præsentia, quo regimine destituuntur actiones externæ non regeneratorum hinc coniicias quare virtutes Ethnicorum dicuntur splendida peccata, & quare Deus à nobis exigit puritatem cordis, sine qua non possibile est ei placere homo ante lapsum habebat libertatem eiusmodi, quo poterat agere bonum vel non agere. Item eligere bonum præ malo, vel bonum electum re-

pudiare malumque amplecti, id est, habebat libertatem in voluntate tum cõtradictionis tum contrarietatis: hinc dici solet Adam ante lapsum potuisse non peccare. Item illud Adam accepit posse si vellet, non autem velle si posset post lapsum in miseria homo non habet libertatem talem saltem quoad speciem, non enim potest ita libere amplecti bonum qua tale & illud reiicere ac malũ amplecti atque cùm habet homo intellectum obfuscatum ne discernat vere bonum, ac consequenter voluntatem depravatam, ne amplectatur bonum nihil potest quam peccare, & quamuis feratur ad malum tum in spiritualibus, tum in moralibus, quia agit ab interno principio hominis voluntas, dicitur libera tamen, interim si rem penitius intuearis, vt nũc sunt res hominis lapsi, voluntas est captiuata sub peccato, vt loquũtur. Verum in statu gratiæ voluntas incipit recuperare libertatem quoad eminentiam saltem inchoatiue præeunte illuminatione intellectus ex parte: quare non ita plenarie vult malum in statu ~~miseriæ~~, gratiæ sed ei reluctatûr hinc dici solet peccatum in statu gratiæ non regnare, in statu gloriæ voluntas non tantum recuperat libertatem quoad eminẽtiam passiuam quam habebat in statu integritatis ante lapsum, sed etiam Dei benignitate superiorem gradum libertatis nanciscitur non immutabiliter secundum speciem actus libere bonum appetit,

& hinc dicitur homo in gloria non poteſt peccare quod intellige ex mera Dei benignitate: non autem ex natura hominis: ſuprà vidimus libertatem non eſſe formaliter in intellectu, ſed in voluntate: licet enim intellectus propendeat naturaliter ad intelligendum omne verum: Interim ſæpe hæc propenſio intellectus repugnat inclinationi totius ſubiecti ſiue agentis, v.g. quum agens λόγικον puta prophanus homo cogitur credere in conſcientia Deum eſſe iudicem ſcelerum & ſtatuere contra ſuam inclinationem corruptam, quam ſequitur captiuata voluntas; ſic mali Deum credunt & expalleſcunt, hinc legimus Caligulam crediſſe Deum contra ſuam ipſius voluntatem, quæ obſequitur prauæ diſpoſitioni totius hominis, & in Euangelio legimus dæmonia credere & exhorreſcere: interim qui intelligunt bonum, & nolunt illud amplecti, vt ſeruus ille nequam, de quo in Euangelio cognoſcunt tantum bonum confuſè & indiſtinctè: nam ſi clare viderent bonũ, procul dubio id amplecterẽtur: vt enim intellectus ntelligit, voluntas vult, voluntas verò, non conſtanter amplectitur bonum confuſe cognitum, quia aliquid vrgentius ſeſe offert quod videtur magis bonum, & hoc ſequitur voluntas, vnde Medæa video meliora proboque deteriora ſequor: obiter in voce, *ſequor*, qua vtitur Poëta, notes proprietatẽ ſermonis: poterat enim per le-

gem metri vſurpare voce *volo*: ſed noluit, vt latenter innueret abreptionem voluntatis præcipitem per inferiores rebellantes affectus, maluit vti voce ſequor: ex hactenus traditis diſcere poſſumus liberum arbitrium poſſe conſtare cum neceſſario, nam neceſſe eſt quod ita eſt vt nec eſſe aliter poſſit, Deus eſt agens liberrimum tamen neceſſario, ſed liberum non poteſt conſiſtere cum coacto ac conſequenter, nec cum ſeruo nec cum captiuo: exactius enim loquendo ſeruitus & captiuitas eſt coactio quædam: vulgo neceſſarium eſt idem quod coactum, hinc verbum neceſſitare pro cogere ac ſic neceſſe non poteſt ſtare cum libero, alioqui, neceſſe eſt idem quod immutabile, vt iam iam ex eius etymologia didicimus: ſic Deus qui omnium liberrime agit, multa agit neceſſario, ideſt, immutabiliter, qualia ſunt opera ad intra, vt loquuntur in ſcholis: ea autem quæ Deus agit in ſeipſo, & ad ſeipſum dicuntur opera ad intra; quæ vero facit erga creaturas, dicuntur opera ad extra, vt omnia paucis concludam voluntas in ſtatu miſeriæ eſt, eſt captiua & ſerua peccati 2. Corinth. 3, 5. ex nobis non ſufficientes ſumus cogitare quicquam boni, in ſtatu gratiæ eſt libera voluntas à tyrannide peccati, gratia Dei erigit hominis voluntatem ad bonum 2. Philip. 2. 3. Deus ex ſuo bene placito operatur in nobis & velle & operari: in nobis,

inquam, 2. Corinth. 1. Qui purgamus nosmet ipsos ab omni sorditie carnis & spiritus, perficientes sanctificationem in timore Dei pro incremento gratiæ crescit libertas ad bonum Io. 8. 36. Cum filius nos liberat, tum sumus liberi re vera. Item 1. Cor. 3. vbi spiritus Dei est, ibi est libertas, in statu gloriæ est, voluntas nostra libera à peccato, vt voluntas Angeli beati in cœlo sicut Dominus ait Math. cap. 22. v. 30. Vbi Deus erit, omnia in omnibus, vt loquitur Apostolus 1. Cor. c. 3. 28. per liberum arbitrium ex Theologis multi intelligunt magnam voluntatis propensionem ad vere bonum, & maxime ad summum bonum, id est, ad Deum, ac consequenter ad media saltem necessaria eo ducentia quam propensionem magnam voluntatis necessario præcedit plena cognitio vere veri, & super omnia primi & summi veri, id est, Dei, quæ cognitio plena non est in vllo homine in hāc miseriam, in qua omnes filij Adami versamur, de lapso, præter quam in eo cuius intellectum in se se extreme offuscatum salutariter irradiat luce sua supercælesti Spiritus sanctus, & cuius voluntatem iam misere deprauatam gratia speciali salutariter ~~rectifi~~- rectifi-cet, & ad ipsum flectat Spiritus idem sanctus, irradiatio hęc intellectus, vt & ~~verifi~~- rectifi-catio voluntatis per spiritum sanctum fit non nisi leui admodum operatione naturis scilicet rerum conuenienti, & sine vlla vio-

lentia, prout iam dicebamus, cùm intellectus non inuite trahatur ad verum, nec voluntas coacte rapiatur ad bonum, quippe qui satis proprio instinctu suo, eo tendant modo, nihil sit quod hanc eorum inclinationem remoretur, & impediat, cùm autem irradiatio salutaris intellectus & rectificatio salutaris voluntatis, tantum iis hominibus contingit quos Deus κατ' εὐδοκίαν τοῦ θελήματος αὐτοῦ, idque πρὸ καταβολῆς κόσμου ἐν υἱῷ, ciues regni cælestis olim facere decreuit, siue quos ad hæreditatẽ celestem elegit: aliis verò hominibus minime, inferimus eos, quorum intellectus sunt semel salutariter illustrati, & voluntates re vera rectificatæ nunquam amissuros lucem hanc salutarem intellectus, vt nec rectificationẽ voluntatis salutarem aliquando tamen habere possunt, tum hanc, tunc illam modo in eminentiori gradu, modo in obscuriori gradu, imò possunt interdum habere hæc salutaria Spiritus sancti dona puta irradiationem intellectus & rectificationem voluntatis in gradu adeo obscuro, vt videantur iis omnino priuari, atque hoc non solùm quũ incidunt in aliquod graue peccatum, sed etiam quũ aliquandiu in eo persistunt, quod exemplis plurium sanctorum nisi longum foret docere possem, quamuis re vera nunquam penitus priuentur his donis salutaribus, modo iis semel re vera dotati sint: Vnde est illud electi; Possunt cadere, sed non

excidere: item illud vt ſemel naſcimur, ita ſemel renaſcimur, quin quod magis eſt electi, poſſunt habere intellectum vere & ſalutariter illuſtratum & voluntatem vere & ſalutariter rectificatam, nec tamen ipſi aperte cognoſcunt, tempore, ſcilicet alicuius grauis tentationis, & hoc tempore tentationis grauis, gratiæ ſpiritus, ideſt, fides &c. non auferuntur penitus vt non amplius ſint, ſed vt non videantur quemadmodum tenebris colores auferuntur, non vt non ſint ſed tantum non videantur, tenebris enim præteritis colores ſe videndos dant ſic tentationibus præteritis gratiæ ſpiritus ſe manifeſtant: firma autem horum Spiritus ſancti donorum ſemel datorum per homines electos detentio, ſiue, vt alij loquuntur, firma hæc hominum electorum in gratia hac Dei ſpeciali perſeuerantia non eſt ab ipſis hominibus electis: hoc enim non volumus, manifeſto enim profitemur hominem omnem cùm ſit creatura eſſe ita mutabilem ſiue mutationi obnoxium, vt non tantum poſſit amitterre dona quæ vtvt ipſius naturæ commoda & conuenientia ſint, tamen ſupra eius naturam ſunt, cùm non ſunt ἑπόμενα τῇ φύσει eius, vt loquuntur, ſed poſt naturam conſtitutam ex gratia cælitus accedant, vnde nonnullis ὑπερφυσικὰ, ſiue ſupernaturalia dona vocitantur: verùm etiam quod maius eſt ipſius propriam eſſentiam poſſe amittere: Imò ſtatim amiſſuram vt

docetur Psal. 104. nisi continuo Dei manu sustentetur, ideo sumus & in tantum sumus, quãtum ab eo pendemus, & dependemus: at quod hic dico de homine id dictum puta de omnibus creaturis, imò de Angelis ipsis beatis in cælo nunquam lapsis, nec lapsuris dictum volo: nam quod tales sunt id non habent ex conditione naturæ suæ, sed ex gratia speciali insuper ad naturam suam accedenti, ac vt verbis, vt Apostoli & Epistola ad Romanos, cap 9. v. 11. οὐκ ἐξ ἔργων τοῦ κεκλημένου, ἀλλ' ἐκ τοῦ καλοῦντος κατ' ἐκλογὴν τοῦ θεοῦ πρόθεσις supple (, τοῦ σωζευμένου : quare non ex parte hominum est firmitas & perseuerantia sanctorum, sed ex natura decreti, vel propositi ab æterno quo Deus decreuit saluare quosdam homines quis ex multitudine vniuersa hominum κατ' εὐδοκίαν τοῦ θελήματος αὐτοῦ πρὸς σωτηρίαν elegit, & quia ἀμεταμέλητα & amen sunt τὰ χαρίσματα, καὶ ἡ κλῆσις τοῦ θεοῦ, vt loquitur Paulus, scribens ad Romanos, capite decimo nono, versu vigesimo nono: quare ea loca sacræ Scripturæ, quæ Deum mutare mentem innuere videntur, ἀνθρωποπαθῶς intelligenda, cum ergo qui intellectum vere salutari irradiatione Spiritus sancti illustratum & voluntatem vere salutari rectificatione eiusdẽ spiritus ad Deum flexã habet perpetuo tales permansuri sunt, ~~intellectu id est~~ perpetuo cognoscentes & voluntate perpetuo ei adherentes manebunt: itaque siqui visi sunt Deum be-

r id est intellectu Deum

ne & ſalutariter cognoſcere, eique volunta-
te ſyncera adhærere, & tamen à Deo pror-
ſus deſciſcunt nunquam re vera in intelle-
ctu fuerunt ſalutariter illuſtrati, nec volun-
tate re vera rectificati: nam ſi fuiſſent ex
germanis τῦ κυρίυ diſcipulis proculdubio
cum eo continuo manſiſſent, quia eos non
permittit Dominus ſibi eripi, atque hæc eſt
genuina de illuſtratione ſalutari intellectus
& rectificatione voluntatis doctrina prin-
cipiis Philoſophiæ conſona, nec non teſti-
moniis ſacræ ſcripturæ irrefragabilibus
confirmata: ex teſtimoniis vero ſcriptu-
ræ multis hæc pauca in medium adfer-
re in præſens ſufficit: ex his ergo locis
petita in veteri fœdere notes duos inſignes
locos, quorum prior habetur Pſalm. 125.
verſ. 1. Secundus apud Eſayam Prophetam
cap. 54. v. 10. In nouo fœdere habes præ-
clarum locum apud Petrum in Epiſtola
1. cap. 1. verſibus 3. 4. 5. Item alium valde
expreſſum apud Ioannem Epiſtola 1. cap. 2.
v. 9. in eadem Epiſtola cap. 3. v. 25 vt inte-
rim alia omittam, nunc ſiqui ſunt qui aliter
de his rebus ſentiãt, puta eos ſi rem penitius
intueantur non pertinaciter in opinione
ſua permanſuros modo nudæ veritatis ſtu-
dioſi fuerint. Cæterum irradiatio ſalutaris
intellectus gignit fidem ſaluificam, quæ
fides ſaluifica eſt plena cognitio & firma
perſuaſio amoris Dei erga electum ἐν τῷ υἱῷ
ad ſalutem. Ita rectificatio voluntatis

producit opera bona quæ ſunt talia , quia ſunt conformia voluntati diuinæ , in quibus qui manet ,in Deo manet, vt habetur in Epiſtola Ioan. cap. 3. v 24.

Iam licet voluntas ſponte ſua & ἑκουσιῶς inclinet ad bonum , tamen id non facit pari gradu : nam quo obiectum ad quod voluntas inclinat , eſt magis intellectui cognitum eò ἑκουσιωτερῶς ad id fertur voluntas, & quo minus obiectum eſt notum intellectui, eo minus ἑκουσίως ad id fertur voluntas.

Itaque cum voluntas quod vult , vel id vult plene, cum nimirum obiectum eſt plene intellectui cognitum, hæc plenitudo voluntatis communiter dicitur lubentia : huc illæ pertinent formulæ loquendi plene volenti non fit iniuria, & plena voluntate aliquid agere &c. vel voluntas aliquid vult ex parte tantum , cum nimirum intellectus ἐν μέρει tantum intelligit obiectum huc referendum illud : Ex parte volumus, quia ex parte intelligimus. Cum autem voluntas aliquid vult plene, tum voluntas dicitur determinata determinationem voluntatis ſtatim ſequitur praxis in iis rebus quæ cadunt ſub actionem : verum cum voluntas tantum ex parte vult, dicitur tunc indeterminata & ſuſpendens vlteriorem operationem. Quare licet voluntas impetu inconſiderato eoque forte vehementi feratur plerumque ad malum ſpecie boni fuca-

tum, non tamen propterea si propriè loqui velimus voluntatem id plene velle, vel ad id determinatam esse dicemus, quamuis ita rudius minusque proprie loqui vulgo contingat, voluntas Adami ante lapsum determinata erat ad bonum, & supra omnia ad summum bonum, id est, Deum vt & voluntas beatorum in cœlis, quia intellectui huius plene notum erat bonum, syncerum voluntatis obiectum & intellectibus horum plene notum est, voluntas Adami in ipso lapsu: sed magis post lapsum impetu inconsiderato ferebatur ad malum latitans sub specie boni, sed voluntates omnium posterorum Adami impetu multo inconsideratiori feruntur ad malum apparenter bonum, excipe eos, quibus Deus pro sua εὐδοκίᾳ intellectus ita irradiat, vt vere bonum & super omnia summum bonum, id est, Deum ipsum intelligant, ac consequenter voluntas iis rectificat vt ferantur ad bonum maxime ad summum bonum, cum alterum non sit sine altero, vt supra declaratur.

Verũ in hac vita vt licet intellectus noster intelligat vere bonum, imò & summum bonũ vere intelligat, id tantum ex parte & non plene intelligit, sic licet nostra volũtas feratur ad bonum, imò ad Deum super omnia bonum, tamen ex parte tantum & non plene ad vere bonum & summum bonum fertur, quia tantum volumus quantum intelligimus, prout iam sæpe diximus, vt vo-

luntas plene vult bonum ab intellectu plene notum, sic plene non vult vel respicit malum quod intellectui esse tale plene manifestum est: at ex parte tantum vult bonũ, & ex parte tantum respicit malum, siue non vult quod intellectui tantum ex parte manifestum esse tale est: porro cum voluntas ardenter aliquid vult, tunc dicitur serio cupere, vnde illa ardens volitio vocari solet cupiditas vel cupido volũtatis, quæ cupido si est de rebus arcanis, vel ad nos pertinentibus communiter curiositas nuncupatur spontaneo & ἑκουσίῳ in voluntate opponitur ἀκούσιον βίαιον & coactũ, quæ nullo modo habet locum in voluntate: voluntas autem non potest magis inuite velle quam intellectus inuite intelligere sunt, tamen quæ voluntas vult partim ἑκόντως, partim ἀεκόντως, v.g. mercator proiicit merces in mare, vt euitet naufragium, sed exacte, & propriè loquendo, ibi est vera ἑκουσία & spontaneitas: nam mercator omnino velit naufragium euitare, atque cum id se non posse facere putat, siue eiectione mercium sponte decernit eas eiicere vt euitet periculum, quas alioqui non eiiceret, idem dicendum est de volitione cum voluntas cedens enormitati affectuum & passionum inordinatarum quid vult contra rationem, vnde est illud, Video meliora, proboque deteriora sequor: nam cum voluntas inconsiderato impetu abrepta torrenti passionum & affectuum

aliquid velit, quod non, sit in sese bonum, siue quod ratio interius intuens perspicit non esse bonum, tamen voluntas vltrà progreditur abrepta nimirum inordinatis affectibus & passionibus: ideo autem euenit vt hæ minores animæ facultates abripiant voluntatem, quæ alias in natura recta in ipsis imperium habet, quia primo intellectus siue ratio se prius passa est abripi & decipi à sensibus iam corruptis, in quos itidem habet imperium. Quare cum intellectus in cognitione obiecti deceptus sit à sensibus male dispositis necessario voluntas abripitur à potestatibus corruptis alias sibi inferioribus: nam operationem intellectus statim sequitur apertio voluntatis: vt autem ex naturæ præscripto intellectus habet potestatem & sensus internos & externos, ita voluntas ex eiusdem naturæ decreto habet, imperium in θύμȣ ἐπιθυμίαν & τοποκινητικὴν: imperium vero hoc voluntatis εἰς θύμου ἐπιθυμίαν est suaue: blanditiis enim & persuasione vtitur voluntas dum eas sibi obsequi cupit, vnde voluntatis hoc imperium in θυμὸν & ἐπιθυμίαν πολίτικον & ciuile dicitur, in τοποκινητικὴν autem voluntas exercet imperiũ magis absolutum, vnde imperium hoc voluntatis in τοποκινητικὴν dicitur δεσποτικον & herile: nam pro imperio ei mandat & iubet non autem suadet quæ iam dico hic de imperio voluntatis in potestates minores sibi subditas, ea intelligi cupio de voluntate

& potestatibus his in natura integra: nam in hoc rerum præsenti statu siue in natura corrupta res paulo secius se habet, siquidem voluntas regens potestates sibi inferiores in natura integra, qualis erat Adami ante lapsum, id faciebat sine luctu & certamine: quare leuis admodum & suauis erat eiusmodi rectio, quæ inde vocari solet gubernatio liquida siue mollis, alias elicita quasi per cognitionem educta, sed vtiam sunt res humanæ voluntas regit has minores facultates non sine certamine & luctu, quia nimirum potestates hæ minores refragantur & recalcitrant aduersus voluntatem.

Itaque necesse habet voluntas imperiose exercere hanc suam authoritatem in minores facultates, atque turbulenta hæc imperij, volūtatis in inferiores potestates receptio doctrinæ ergo imperium vocetur donec nomen aptius inueniatur, hoc pacto sic reget voluntas minores potestates in sapientissimo homine ob magnam contrarietatatem, quæ est inter ἀνομίαν minorum potestatum & voluntatem certè vel in optimis: in stulto autem homine tantum abest vt voluntas nostra regat inferiores potestates, vt præceps ab iis rapiatur sicut auriga præceps trahitur ab equis indomitis.

Cæterum in hac gubernatione minorum facultatum per voluntatem consistere, virtus dicitur quæ nihil aliud est, quam subductio harum potestatum sub rectæ ratio-

nis

nis imperium siue intellectus clari & voluntatis rectæ moderationem, & hinc est quod virtus in medio consistere dicitur, vice versa vitium consistit in rebellione harũ potestatũ ἀνομων, contra rectæ rationis moderamen, vnde dicimus vitium esse extrà medíum: ex hisce denuo videas quo sensu dicatur vulgo virtus esse in parte animæ rationali, vt vitium in parte irrationali, nimirum quia virtus est per rationẽ, vitium autem est contra rationem: hinc illud nimirũ nunquam committitur peccatum vel vitium nisi defectu rationis: denique rursus monendus es de eo quod & alibi docuimus, has minores animæ potestates in sese esse bonas, bonitate scilicet prima siue entis, cùm sint facultates animæ naturales, dici verò bonas bonitate secundaria siue morali dum obediunt rectæ rationi, cuius moderamini cum resistunt dicuntur malæ scilicet moraliter ad hæc, ex sese hæ potestates minores promouent maxime virtutem: ex accidenti autem dum nimirum per petulantiam virtuti obstant eamque impediunt

SECTIO XXVII.

In qua de memoria intellectiua & reminiscentia.

TErtia poteſtas facultatis intellectualis eſt memoria, quæ ſequitur intellectum & voluntatem, prout ſenſum communem & phantaſiam ſua ſequitur memoria, quæ quia eſt poteſtas facultatis ſenſitiuæ nominatim ſenſui communi & phantaſiæ inſeruiens, ſenſitiua dicitur, ac ita diſtinguitur ab ea de qua hoc in loco agimus quam memoriam intellectiuam appellemus, quia eſt poteſtas facultatis intellectualis intellectiui & voluntati ſubminiſtrans.

Cæterum ſi etymon vocis ſpectes, memoria propriè eſt ſolius facultatis intellectualis poteſtas: venit enim memoria à memini, vnde mens, & hac ratione memoria erat mentis non ſenſus vis, ſed neceſſitas & vſus dilatarunt acceptionem vocis, ita vt iam ordinariè denotet tertiam vim facultatis ſenſitiuæ æque ac intellectualis facultatis poteſtatem tertiam, quemadmodum memoria ſenſitiua eſt conſeruatrix & promoconda imaginum, quæ concipiuntur à ſenſu communi & phantaſia, ſic memoria hæc intellectiua cuſtodit, condit &

promit ea quæ intellectus recipit, ad quæ ſe voluntas extendit. Item vt memoria ſenſitiua pendet prorſus à ſenſu communi, & phantaſia ſic memoria intellectiua pendet omnino ab intellectu & voluntate, ne mireris quod dicam memoriam intellectiuam pendere à voluntate cùm voluntas nihil aliud ſit quã intellectus excitatus ad obiectũ vt ſuprà diximus. Vis autem conſeruandi rem pendet plurimũ à vi per quam res acquiritur, & paratur: ideo vix poteſt res vlla bene conſeruari niſi bene & dextre paretur: hinc ſicut requiritur clara & explicita rei imago vt bene eam intellectus cognoſcendo acquirat, clara & liquida rei idea requiritur vt memoria eam conſeruet.

Deinde vt in hoc ſtatu rerum intellectus melius intelligat externis eget auxiliis cuiuſmodi ſunt diſciplinæ &c. ita quoque memoria externis iuuatur adminiculis, vt ſunt cura, bonus ordo &c. Item vt in intellectu eſt quædam dexteritas, quæ vulgò dicitur ingenium, quod aptior vox non ſuppetit qua eam vocites: ſimiliter eſt quædam firmitas memorię, quæ dicitur bonitas memoriæ, hinc vt alius habet ingenium aptum ad ſpeculationem, alius ad praxim, alius ad artes, ſic etiam memoriæ bonitas variatur: alius enim habet memoriæ bonitatem in theoreticis, alius in practicis, alius denique in mechanicis: præterea in ordine naturæ res prius per intellectum concipi-

tur, deinde nomen illi imponitur: si quidẽ πρωτοπλάστης res sibi oblatas, quæ & quales essent prius concepit in intellectu: deinde iuxta conditionem rei cõceptam ab intellectu rei cuique nomen imposuit, vt hoc pacto facilius sermone discurreret per res & posteris earum notitiam traderet, res quæ nomen naturæ suæ conueniens adepta est appositissime Græcis φερόνομος, quasi nomen, sum, ferens dicta fuit cum res ipsæ non possunt vtique esse obuiam optimæ, huic defectui succurritur aptis rerum nominibus, r præsentes quæ res ipsas quasi faciant, atque hac via vtuntur rerum hactenus incognitarum detectores, ac rerum nouarum inuentores exemplis negotium hoc illustrare cum ex sese sit satis clarum superuacaneum fuerit: ita pariter memoria rerum debet præcedere ordine naturæ memoriam verborum: hæc enim ab illa dependet quod si secus aliquando fit, id fit præpostere, & non secundum ordinem naturæ.

Cæterum si imagines rerum, quæ aliquãdiu firmiter inhæserunt memoriæ, lapsu tẽporis euanescunt maxima ex parte, ita vt leues tantum vmbræ earum in memoria remaneant, & demum ex hic illic dispersis colligantur in vnum, scias hoc fieri per vim quandam memoriæ instauratricem, quod dum fit memoria dicitur reminisci à νόμναν, atque hæc vis reintegratrix memoriæ dicitur reminiscentia ἀνάμνασις, quæ est

memoriæ ad modum affinis', quod vel ex etymo vocum conſtat: nam reminiſcor vnde reminiſcentia, & memini vnde memoria ab eodem fonte emanant, puta abſoleto meno, vt & Græcorũ μνήμη & ἀναμνῆσις, eodem natali gaudent, puta μνάω: reminiſcentia autem non fit niſi per ratiocinium & diſcurſum: nam ex aliquibus in memoria intellectiua ad aliorum cognitionem reminiſcentes peruenimus, hinc vides memoriæ ſenſitiuæ nullam attribuendam eſſe reminiſcentiam ob defectum ratiocinationis, quæ in facultate ſenſitiua non habet locum quid quod ſenſuales imagines ob craſſitiẽ, non ita arcte inhęrent memoriæ ſenſitiuæ ac conſequenter illæ ſemel amiſſæ, ſiue diſperſæ non poſſunt recuperari atque recolligi, vt iſtæ poſſunt. Item cum reminiſcentia fit per ratiocinium optima eſt in hominibus præditis magna mente à qua maxime iuuatur, & ideo melior erit reminiſcentia in viris quam in fœminis ordinarie ob fortius ratiocinium.

Memoria intellectiua , ope corporis vtitur cum impendit operam rebus ſenſibilibus æque ac intellectus & voluntas cum iiſdem rebus operam nauant, quum vero intellectualibus operam impẽdit, non vtitur ope corporis magis quam intellectus & voluntas qui non omnino corporis vtuntur dum circa intellectualia verſantur, quẽadmodũ ſupra ſuo loco declarauimus.

SECTIO XXVIII.

In qua de modis communicandi verum intellectus & bonum voluntatis.

DVo sunt, vt ex dictis colligere facile est homini maxime propria, verum puta intellectus & bonum voluntatis, quæ hic vel ille homo non debet sibi soli reseruare, sed aliis communicare tenetur, nam præter quam quod hæc quæ hoc in loco diximus esse homini propria, puta verum & bonum communicationi in sese aptissima etiam communicari omnino requirunt, nihilque magis, vt ita dicam, metuunt quam ne in occulto lateāt, & quasi in carcere detineantur vt vel etyma eorum indicant: nam verum Latinorum descendit à ערה hara Hebræo denotante nudare, & bonum est quasi duonum à duo iuxta ἐτυμολόγους, ita vt etymon vtriusque nos admonet nihil magis esse congruum naturæ vtriusque quam communicari, & prorsus contra vtriusque genium fit, si intra vnum homunculum quasi in ergastulo coarctantur quid quod ipse homo ad societatem natus est quod vel nomē ipsius eum docere possit, siquidem homo à Græco ὁμῶς

vel ἅμα simul descendit; quare qui societatem aliorum hominum fugit, ac consequẽter verum & bonum aliis communicare negligit, hac in parte homo esse desinit, naturamque humanam in tantum exuit: hæc autem dico quæ homo aliis communicare tenetur, puta verum intellectus & bonum voluntatis: cum non sint prorsus & omnino idem, sed à se inuicem quodammodo diuersa sunt, licet valde sint inter se connexa vt supra vidimus. Quare non prorsus vnico & eodẽ, sed diuersis modis cõmunicari debent, & vtrumque eo potissimum communicatur modo, qui est naturæ & conditioni suæ maxime conueniens: verum igitur intellectus communicatur sermone vel loquela, bonum voluntatis communicatur non tantum verbis, sed insuper & maxime officiis, sed prius de priori communicandi modo, idest, de eo modo, quo verum intellectus communicatur, puta de sermone qui est homini soli ex aminantibus omnibus proprius, vt verum ei soli ex animantibus omnibus est proprium: ideo loqui & verum hominis sunt propria soli ex animantibus, quia solus homo est animal habens intellectum: inter intellectum autem & sermonem tanta est conuenientia, vt plerumque eodem nomine nuncupẽtur, v.g. apud Græcos τὸ λόγος tum rationem siue intellectum, tum sermonem siue loquelam denotat: idem Philosophi rationem

vocant ſermonem mentalem, ſiue λόγον ἐνδιάθετον, & ſermonem rationem prolatam, λόγον προφόρικον dicunt, quidquid ſero vnde ſermo idem eſt cum ratiocinari quod vel ex eius compoſito diſſero videre potes, quod compoſitum eſt magis in hac ſignificatione frequens quam ſimplex ſero. Item loqui tum ratiocinari quamuis compoſitũ διαλέγομαι, in paſſiua flexione, vt loquuntur Grammatici, in poſteriori hac ſignificatione ſit magis vſitatum quam ſimplex λέγω, vel λέγομαι: denique loquor, vnde loquela, à Græco λόγος vt meliores volunt ἐτυμολογῆσαι deſcendit: quid verò λόγος ſignificet iam iam vidimus: cum ergo tanta ſit proximitas inter intellectum & ſermonem meritiſſime ſermo pro certo creditur eſſe vera mentis ſiue intellectus imago: quiſque enim hominum quam de rebus mentem ſiue intellectum habet ſermone oſtendit, modo vtatur ſermone nudo ſimplici, ſyncero & candido: alioqui ſi fucato & ficto ſermone vti velit nunquã quid de rebus ſentiat, manifeſtabit, ſed quid aliis ſuper conceptu ſuo de rebus perſuadere cupit, oſtendit hinc illud loquere vt te videam, id eſt, vt quid mentis ſiue intellectus habeas cognoſcam.

Sermo autem ſic definiri ſolet, ſermo eſt ſonus oris humani apte flexus & concinne moderatus ex inſtituto ſignificans. Itaque ſermo de quo iam eſt ſonus non quiuis, ſed ore prolatus qui dicitur vox nec ex quo-

uis ore, ſed ex ore humano, quæ vox dicitur hominis, neque quælibet vox, ſed vox apte flexa & concinne moderata, qualis vox vocatur vox hominis articulata, nec adhuc ſatis eſt ad ſermonem; nam hæc vox articulata ore humano prolata debet ſignificare. Quare vox hominis prolata, quamuis articulata niſi ſignificet ſermo non dicetur: ſignificet ergo oportet vox vt ſit ſermo, vox vero ſignificat non ex natura ipſius vel temere, ſed ex inſtituto: nam ex ordinatione eſt quod hæc vox ſignificet potius hoc quã illud, adque hinc ex inſtituto diuerſorum hominum hæc eadem vox quo ad flexionem prorſus immutata manens diuerſas res ſignificat, e. g. eadem vox puta ſus immutata manens Hebræis denotat equum, & Latinis porcum ſignificat, ſi hoc accideret temere & fortuito non adeo frequenter eueniret ac euenit minus ex natura vocis fieri hoc poteſt, cùm vox non ſignificet ex natura: nam ſi vox ex natura ſua ſignificaret prout omnes habemus eundem conceptum de re vna puta de equo vel in locis & temporibus maxime diſſitis, ſic eadem voce ad ſignificandum hunc eundem conceptum de re vna puta de equo ſcilicet omnes & vbiq; vteremur, ſed diuerſitas linguarum contrarium euincit, cum conceptus idem apud omnes gentes de equo diuerſis vocibus explicetur, ita aliter Hebræi, aliter Græci, aliter Latini, aliter Britanni hunc eundem

de equo conceptum exprimunt.

Porro cum dico vocem significare ex instituto, non tantum intelligo ex instituto primi nominum impositoris, licet hoc aliquid sit, sed vltra oportet vt vox quæ sermo dici possit significet ex instituto eam proferentis, id est, necesse est vt is qui loqui velit ipse instituat voce hac denotare hanc rem vel hunc conceptum quem habet de hac re alioqui loqui non dicetur, quia vox & conceptus non sibi inuicem responderent, quod semper necessario fieri, vt vox sit sermo nunc diximus: ergo siquis nostratium proferat vocem Sinensium puta neque eam ad significandam hanc rem puta adhibere instituit, proferet quidem vocem ore humano & articulatam, imo etiã quod magis est ex instituto illorum populorum significantem, verum quia non significat ex instituto proferentis, sermo nequit dici, hinc est quod cum quis audit homines lingua incognita vtentes patet eos non loqui, sed inconditos sonos sine illo instituto significandi hoc vel illud edere, id est, vt verbo dicam βαρβαρίζειν: ex his coniicere potes quid sentiendum sit de iis qui verbum Dei in lingua populo incognita legunt vel annunciant, certe meritissime populo barbari haberi debent, hinc illud πολιτικωτάτου apud Romanos, Barbarus hic ego sum, nam non intelligor vlli, verba sunt Ouidij de se ipso loquente ~~Romanæ gentis~~ hoc idem docet

romanæ gentis

magnus Gentium doctor scribens ad Cor. Epist. priori cap. 14. præcipue à vers. 6. vsque ad 12. vers. eiusdem capitis locum consulat qui velit: nā nos omnia huius loci verba huc adferre nunc non volumus ne longi simus, quin etiam ex his dictas, licet quale iudicium ferendum de illis sit hominibus qui Deum lingua ipsis incognita orant certe, licet proferāt voces ore articulatas ac ex instituto ac vsu eorum, quibus intelliguntur significationem habentes, sed quia eas ad significandum hoc vel illud ex instituto suo adhibere nequeunt, cum eas proferunt, quia earum vocum vim & vsum non intelligunt nullo modo dici possunt loqui, nec est vlla conuenientia inter verba singula quæ proferunt & conceptus suos particulares, quam cōuenientiam ad sermonē vel loquelam prorsus esse necessarium iam sæpius docuimus. Cæterum vox ex instituto significans semper aliquid significet oportet, cum nihil significare sit non significare, illud autem aliquid est verum: sicut enim verum est obiectum intellectus, sic est subiectum sermonis & falsum qua tale non magis potest sermone communicari quam ab intellectu intelligi vt falsum ab intellectu intelligitur non nisi per accidens, nimirum qua fucatum & fictum sub specie veri sese intellectui offert, ita non nisi per accidens falsum dicetur sermonis subiectum: accidit autem vt falsum sit subie-

ctum ſermonis duobus modis, vel enim is qui loquitur prior ipſe à falſo deceptus ſub ſpecie veri fucato id aliis communicat putans rem ita ſe habere, licet aliter re vera ſe res habeat, & ita falſum loquens id ſermone communicat neſciens id eſſe falſum, vel is qui loquitur cupiens illudere ei qui cum loquitur profert falſum, quod nouit ita eſſe fictũ & ſpecie veri id ex cõpoſito fuſcat: ideo autẽ loquens falſum id ſpecie veri fucat, quia nimirum nouit eum quicum loquitur aliter nolle excipere falsũ, & tunc is qui ita loquitur mentiri, contraque mentem ſuã ire dicitur: ex hac doctrina diſcis voces quas pſittac⁹, pica, & id genus alia animalia edocentur proferre licet articulate & ex inſtituto hominum ſignificent ſub nomen ſermonis venire non poſſe: primum, quia non proferuntur ore humano, deinde quia ad ſignificandum hoc vel illud eiuſmodi animalia eas non adhibent nec adhibere poſſunt, quia carent ratione cuius opus eſt applicare rei nomen quod ad loquelam quæ attribuitur Aſinæ Balaami & ſerpenti de iis in ſuperioribus egimus: quare nihil repetemus hoc in loco, præterea vt ſermo eſt imago intellectus ſi ſit ſimplex & nudus, ſic ſermonis imago eſt ſcriptura ſi eſt ſine fuco homini ſoli ex animalibus ſcriptura eſt propria, quæ intellectui ſecũdaria ſiue mediata eſt interpres: vt enim ſermo nihil aliud eſt quàm intellectus articulata expreſ-

ſio, ita ſcriptura nihil aliud eſt quàm loquela chartis mandata: denique vt omnia quæ in præſenti de ſermone dicere volebam, concludam obiter notes velim dum quis hiſtoriam rei alicuius narrans circunſtantias aliquas omittit non debere dici falſum dicere nec mentiri, licet earum circunſtantiarum ſciens & memor fuerit, ſed veritatẽ ex parte celare niſi iuſſus ſit nihil in enarratione omittere & de iis interrogatus fuerit: qui de ſermone plura ſcire volet, Logicã & Phyſicam conſulat: nam in iſta tractatur τὸ materiale ſermonis in illa τὸ formale ſuperius paulo diximus, prout verum intellectus communicatur verbis & ſcriptis, ſic bonum voluntatis communicari maxime officiis addidi, maxime quia bonum etiam communicatur plerumque ſermone, v. g. bono nuncio, vel ἐυαγγέλιῳ, ac ita aliter quã officiis niſi latius ſumas nomen officij, quẽadmodum re vera commode ſumi poteſt vt comprehendat ſubſe nuncium boni, & certe inter prima officia eſt, adferre alteri nuncium boni: quæ vero & qualia ſunt ea officia quibus homo homini bonum communicat in iis diſciplinis enucleate pertractatur, in quibus τὰ πράκτικα docentur: quare in his officiis explicandis nũc non immorabimur: Interim tamen ſuper communicatione boni dicemus vt bonum qua bonum non ſolum communicari omnino requirit, ſed etiam communicetur neceſſe eſt, quia

eſt amabile, & hoc ſine communicatione eſſe deſinit: amari enim eſt communicari, & amare communicare: ſiquidem qui amat ſeſe communicat, ſic malum qua malum, ideſt, qua tale non tantum non requirit communicari ſed, etiam communicari prorſus nequit, quia eſt odibile, & hoc omnino auerſatur communicationem: nam odiſſe eſt communicationem auerſari, & qui odit communicationem fugit: itaque ſi aliquando malum communicatur, id fit non niſi per accidens quatenus fucatum ſub ſpecie boni ſeſe voluntati offert: accidit autem duobus modis vt malum communicetur, vt de vero ſupra diximus, primo quis priori ipſe deluſus malum ſibi ſub fuco boni oblatum neſciens id eſſe malum, imo putans id eſſe bonum aliis communicat quod alioqui non faceret, deinde vel quis ſciens & volens malum ipſi notum eſſe tale, alteri ſub ſpecie boni fucatum oſtendit, quia alterum aliter nolle excipere certo nouit, quum malum omne qua malum eſt, eſt omnino nolibile, ac conſequenter incommunicabile. vt bonum omne qua bonum eſt volibile & communicabile.

SECTIO XXIX.

In qua de risu & fletu.

RESTANT adhuc declarandæ duæ minores animæ humanæ vires, puta risus & fletus, quæ duæ animæ humanæ vires prædictæ sunt re vera minores siue indigniores: tamen ita ab anima nostra fluunt, vt nobis hominibus solis propriæ: sint hinc risus & fletus apud Logicos dicuntur homini esse proprij: quarto modo, id est, soli & semper conuenientes, & cum eo ἀντίστροφοι, quod intelligendum est de potestatibus risus & fletus, non vero de operationibus ipsis ridendi & flendi, alioqui omnis homo semper rideret & fleret quicquid de nonnullis legimus, qui nunquam vel raro admodum risērũt, & de aliis qui vel per raro flerũt, in quibus fuerat ὁ δάκρυων Heraclitus, & γελαστικός Democritus, Bellepheron, Phocion, Socrates, Diogenes Cynicus, Pyrrho, Timon, Philippus, Crassus, Cato Censor, aliique a veteribus nunquam risisse celebrantur, quin etiã τὸν κύριον sæpius fleuisse legimus, risisse vero vnquam nullibi legere est: nonnulli Lazarum reuocatum ad vitam nunquam risisse, tradunt item aliqui Mariam θεοτόκον nunquam risisse dicunt. Ideo dici

mus ſolum hominem ex examinantibus habere poteſtatem ridendi & flendi, quia ſolus homo ex animantibus habet vim cognoſcendi & diiudicandi obiectum iucundum, cuius cauſa quis rideat & obiectum triſte cuius cauſa quis fleat: hæc autem vis cognoſcendi & diiudicandi obiecta riſus & fletus ſoli homini ex animantibus, & omnis homo & ſemper eſt præditus ratione à qua emanat hæc vis cognoſcendi & diiudicandi obiecta riſus & fletus, & ipſæ poteſtates ridendi & flendi, ſolus homo admiratur quod eſt mentis opus Itaque ſolus homo ex animalibus ridere poteſt, eſt autem riſus eorum quæ cum voluptate admiramur, quare repentina ciere riſum ſolent, præuiſa vero non adeo vel minus, interim licet omnis homo & ſemper habeat vim cognoſcendi & diiudicandi obiecta riſus & fletus, ſæpe tamen à pleriſque hominibus erratur in cognitione & diſcretione ſiue diiudicatione horum obiectorum riſus & fletus, qui error procedit non ab anima proprie, ſed ab ineptitudine vel mala diſpoſitione ὀργανῶν, quibus vtitur anima in operationibus etiam facultatis rationalis, ſiue intellectiuæ quas edit per & propter corpus eas omnes non niſi ope corporis producit, à quorum, inquam, organorum bona vel mala diſpoſitione pendet plurimum bonitas vel prauitas operationum, atque hinc eſt quod qui habent hæc organa inſeruientia

r. A propria

tiā facultati cognoſcendi & diſcernendi ob-iecta riſus & fletus male diſpoſita in ipſis operationibus flendi & ridendi vitium committunt, ac ſic aliqui omnino ſunt profuſi in riſum, vt ſunt ij ordinarie quos temperamēto ſanguineo eſſe medici dictitant, quales vulgo iouiales nuncupare ſolemus aliqui contra in fletum propenſi ſunt, vt ij quos melancholia laborare videmus: nonnulli autem in vtrumque tum fletum, tum riſum, ob calorem & humiditatem plus æquo abundantes valde inclinant, cuiuſmodi ſunt pueri & multæ ex fœminis etiam adultis præſertim iunioribus.

Cæterum qui facillime ad admirandum trahuntur, hi ad ridendum maxime ſunt proni: ad admirandum autem facile adducuntur maxime ignorantes, nam ignorantia eſt mater admirationis, & quia admiratio non fit ſine perceptione, hinc dicitur riſum non fieri ſine perceptione. Ex his vides quare dici ſoleat vbi multum riſus, ibi parum ſapientiæ, cui dicto communi hoc ἀντίστροφον addas, licet vbi fletus multum, ibi quoque ſapientiæ parum; hæc etiā te docere poſſunt quid ſentiendū ſit de iis quibus Homerus ἄσβεστον γέλωτα attribuit, qui ſunt maxime proni ad ridendum, hi etiā maxime ſunt proni ad flendum, & in fletu effundere lachrimas ſolent ob exſuperantiam humiditatis cerebri. Imo fœminæ adeo faciles ſunt ad flendum, cum lachrymis ob

flexibilitatem naturæ & copiam humorum, vt ex composito & prolibito plorant, hinc illud Poëtæ, *Iussæ prosiliunt lachrymæ.* Item quoque volunt, plorant tempore quoque modo, homo statim atque nascitur, flere incipit, sed non ante quadragesimum à natali diem ridere ordinarie incipit, quod si citius id facit, vt Zoroastres qui eo die quo natus est, risisse fertur, vel si serius multo ridere incipit id in extraordinariis numerari solet. Homini datus est risus in solatium laboris, hoc enim diuerticulo restauratus quasi alacri⁹ nouos labores suscipit res quæ mouent risum, siue τὰ γελοῖα sunt imprimis res nouæ & repentinæ (vt iam innuebamus) leues ac ludicæ habentes argutiā quandā & concinnitatem, cuiusmodi sunt facetiæ, & ea quæ personati ac mimi repræsentant, necnon extranea quædam subito ac cōcinno casu facta, v. g. si quis forte ambulans, vel currens labatur, ridemus de eo qui labitur, non quod lapsus sit, sed quia eius lapsus est concinne factus, omnia prædicta mouent risum, quia noua & propter nouitatem inducunt ad admirationem facetiæ, debent facile cognosci, alioqui inquisitione non risum mouent facetiæ, argutæ sales dici solent.

Ex descriptione τῶν γελοίων videas ea omnia quæ mouent risum cadere sub sensus subtilissimos, puta visum & auditum: subiecta enim aliorum sensuum, puta olfactus

& gustus nullo modo risum mouent, neque subiectum tactus mouet risum, sed expressionem lætitiæ aliam ex titillatione, vt mox dicemus, porro risus ita definiri solet, est vis animæ humanæ qua ostantet homo lætitiam ex re sibi iucunda & grata, vnde eleganter risus dicitur esse index gestientis animi. Cum hæc vis risiua, vt ita dicam, siue δύναμις γελαστικὴ nunquam exerit operationẽ nisi propter corpus, necesse omnino habet, vti in operatione sua organis corporis: ea autem sunt primo spiritus certi huic muneri destinati, deinde cor διάφραγμα musculi circa latera buccarum, &c. Ex instrumentis ridendi nobilissimum est splen, vnde illud tritum, splen ridere facit: item hoc satyrici, Isum petulanti splene cachinno. Hæc omnia organo risus dilatantur dum ridemus vltra statum ordinarium: risus vero non fit nisi per quandam contranitentiam, ratio est risus non fit sine admiratione, admiratio gignit in anima suspensionem, suspensio contranitentiam causat: risus si vehemẽtior fuerit peculiari nonime dicitur cachinnus, qui certe euitandus omnino est propter mutationẽ quã corpori nostro adfert, præterquam quod sit indecorus sapiẽti, nonnullos in cachinno mortuos legimus, in quibus erant Chrysippus, Chilo, Sophocles, Dionysius tyannus &c. fletus contra est animæ nostræ vis, qua homo testatur tristitiam ex re in iucunda & ingrata: hæc

itidem vis flendi non operatur nisi per sua organa, puta cor musculos in lateribus buccarum &c. Diuerso modo à priori commotis, nam in ridendo hæc organa dilatantur, vt iam dicebamus, vltra statum ordinariũ; in flendo è contrario contrahuntur infra statum ordinarium, facultas siue vis ridendi dicitur risus, & huius facultatis operatio dicitur risio: interim risus sumitur sæpe pro ipsa operatione, ita quoque facultas flendi dicitur fletus & operatio huiusce facultatis dicitur fletio, si etiam fletus sæpe sumitur pro ipsa operatione, prout nomina aliarum facultatum sumuntur pro iisdem operationibus, vti non semel diximus dum loqueremur de sensibus, intellectu, & voluntate, &c. homo inter flendum per canthos oculorum emittit aquam quæ peculiariter lachryma dicitur: hinc verbum *lachrymari*, id est, lachrymas effundere. Iam licet ho- ~~mini~~ fletu ordinarie effundit lachrymas, tamen id non semper facit, v.g. in tristitia immensa, quia tum ita contrahuntur omnia, vt meatus per quos lachrymæ ad canthos oculorum deferuntur, obturentur, ac ita nulla lachrymatio fiat, imo nonnulli tali corporis dispositione sunt vt nullo pacto lachrymare possunt ob condensatos poros per quos lachrymæ meare debent, vt risus datus homini in recreationem à laboribus, & quasi in redintegrationẽ ad nouos labores subeundum, sic fletus eidem datus est in

mo in

leuamen tristitiæ & angoris: multum enim leuantur tristes flendo nominatim si inter flendum emittant lachrymas: sic enim exonerantur plurimum.

Expressio lætitiæ quæ oritur ex titillatione, licet risui affinis sit, non tamen est risus propriè iuxta exactiores, titillatio autem fit cum partes corporis sensu exquisitiori prædıtæ, vt sunt capita nonnullorum lacertorum neruorum, puta coaxarum, plantæ, pedis, volæ, manus, axillarũ, &c. leuiter comprimuntur, idest, blando tactu tanguntur, dico in titillatione has partes debere tangi blande, quia si rudius eas tangis, non lætitiam, sed tristitiam mouebis. Cum obstinate aduertimus mentem in rem aliquam, tunc titillationem, vel non omnino, vel parum sentimus: contactio, quæ facit titillationem est repentina: vnde nascitur horror leuis, qui subito cessat, & cor statim ad propriã naturã redit, hinc sequitur lætitia: ideo ab exactioribus dicitur expressionem lætitiæ ex titillatione non esse risum, licet ei affinis admodum sit, quia risus competit soli homini, sed expressio hæc lætitiæ ex titillatione etiam aliis animantibus ab homine competit, præsertim iunioribus qui habent cutem tenuiorem, vt sunt catelli, &c. Iam quamuis proprie risus & fletus competant homini soli, nam homo solus est γελάσικος δακρυτικός ob rationes ante dictas, tamẽ alia ab homine saltem ἀναλόγικως ridere & flere di-

cuntur, & non ſolum ea quæ μεταφορικῶς dicimus ridere, quod nobis ſint iucunda, v.g. prata, &c. apud Poëtam, ſed etiam animalia nonnulla, licet ἄλογα dum edunt ſigna lætitiæ ridere & flere, quamuis minus propriæ dicuntur: imò quod maximum eſt, nonnulla animalia riſum noſtrum propriè dictum, effingunt & repræſentant, nominatim ſimia, quæ etiam opera alia hominis quam prope effingit, vnde illud vulgare,

Simia perſimilis turpiſsima beſtia nobis.

Qui plura de riſu & fletu ſcire cupit, conſulat eam partem Phyſice, in qua de iis prolixe agitur: nos hæc quæ iam in medium attulimus pro inſtituto noſtro ſufficere duximus. Quare ipſi ne rideri aut fleri digni videamur in his diutius non immorabimur: verum antequam hic manum ſubtraham monendus es animam humanam vinclis corporis ſolutam liberari ac à craſſioribus illis operationibus, quæ omnino fiunt per & propter corpus, cuiuſmodi primum ſunt omnes operationes in vniuersũ, quæ procedunt à vitali & ſenſitiua facultatibus, nec non à minoribus poteſtatibus duas haſce facultates ſequentibus. Quare anima corpore egreſſa non amplius vegetat, neque ſentit, neque vitaliter, neque ſenſualiter appetit. &c. Deinde anima vinclis corporis ſoluta ceſſat à craſſioribus etiam facultatis intellectiuæ operationibus, quæ per & propter corpus fiunt, cuiuſmodi ſunt

eæ operationes facultatis intellectualis quæ fiunt circa sensilia. Itaque anima nostra non tunc, idest, separata à corpore intelligit per phantasmata à quibus intellectus passiuus recipit ideas rerum sensibilium quandiu in corpore moratur, nec loquitur, vt nunc facit: denique non ostentat lætitiam risu, nec tristitiam fletu præstatur, sed modo longe subtiliori hæc omnia præstat, idest, cognoscit, rem cognitam communicat, nec non lætitiam profitetur, & tristitiam notam facit, qui modus certe est longe diuersus ab hoc nostrati, & propior ei modo quo Angeli hæc eadem peragunt, quibus iam in cælis similes sunt.

SECTIO XXX.

In qua de voluptate & dolore.

Reliquũ est antequam omnia de animæ nostræ facultatibus concludamus, vt coronidis vice de affectu quodam qui prædictas animæ facultates sequitur nonnulla dicamus, qui affectus voluptas vulgo nuncupatur, de ea ergo hic breuiter agemus, deque eius opposito dolore, veteres dixerunt τὸ voluptas à volo propter inclinationem voluntatis, sed voluptatem tan quam ad bo

num quoddam. Itaque magis ad animum quam ad corpus pertinere si vim vocis spectes censeri debet: verum prius quam vltra progrediamur in primis vtile fuerit quod per voluptatem intelligi solet in generalissima eius acceptione doceamus. Itaque dicimus voluptatem generalissime acceptam esse affectum rei cuiuscumque, qua res non solum se oblectat in aliquo obiecto, sed in eo vt in fine acquiescit: id vero in quo res se oblectans acquiescit dici solet voluptas, qualem affectum reperire est non tantum in animatis, sed etiam in inanimis & mere naturalibus rebus, v.g. in materia ipsa hunc affectũ notare licet, quæ non solum se oblectat in forma tanquam in re sibi grata & volupe, sed etiam in ea tanquam in fine acquiescit: interim licet hic affectus, nimirũ voluptas reperiatur in rebus inanimis, imprimis tamen est in animantibus, & præcipue siue primario in principe, & primario animante, puta homine; voluptas autem quæ reperitur in rebus mere naturalibus siue inanimatis doctrinæ, ergo voluptatem mere naturalem nuncupare poterimus, ac ita eam discriminabimus à voluptate quæ reperitur in rebus inanimatis, quæ licet naturali quoque suo subiecto sit, tamen quia subiectum huius voluptatis vltra rerum mere naturalium conditionem insuper habet animam hæc voluptas animalis dici queat.

Porro voluptas mere naturalis habet ſuos gradus & modos diuerſos pro diuerſis gradibus & modis ſubiecti mere naturalis, in quo eſt voluptas & obiecti mere naturalis circa quod verſatur, hinc pro dignitate ſubiecti mere naturalis in quo eſt voluptas & obiecti mere naturalis circa quod verſatur accedit ipſi voluptati mere naturali dignitas: quare voluptas in mixtis eſt dignior, quam in non mixtis, & voluptas in perfecte mixtis longe ſuperat dignitate voluptatem eam quæ eſt in imperfecte mixtis. Nota voluptatem ſecundi modi præſupponere voluptatem primi modi, & voluptatem tertij præſupponere voluptates duas præcedentes, quare quodcumque ſubiectum afficitur voluptate ſecundi modi, afficitur etiam voluptate primi modi, & quod afficitur voluptate tertij modi afficitur voluptate præcedente: nam dignius ſemper præſupponit minus dignum in ſeſe, de hac voluptate mere naturali in præſens ſatis ſunto: ſequitur altera ſpecies voluptatis quam animalem doctrinæ cauſa nuncupabamus, hæc itidem voluptas animalis, ſuos habet gradus & modos diuerſos pro diuerſitate ſubiecti animalis, in quo eſt & obiecti circa quod verſatur: imo pro dignitate ſubiecti & obiecti accedit huic voluptati ſua quoque dignitas, hinc cum ſint tria rerum animatarum genera, in quibus hæc voluptas reperitur, & cum vna res eſt

dignior alia re tres erunt modi huius voluptatis animatis pro tribus ſubiectis, in quibus reperitur, & vna voluptas erit dignior alia: ex his autem tribus modis voluptatis animalis primus & minime dignus modus eſt is qui dici poteſt plantalis voluptas, quia reperitur in plantis, alius voluptas vitalis, quia procedit à facultate animæ, quæ facultas vitalis vocatur, quæ facultas vitalis eſt ſumma & vltima facultas animæ plantalis: ſecundus modus voluptatis eſt is qui reperitur in brutis vel belluis, vnde voluptas belluina dicitur, alia vocatur voluptas ſenſualis, quia procedit à ſenſu qui eſt vltima & ſumma facultatis animæ belluinæ, & quia huius voluptatis ſenſualis ſenſus ſunt arbitri huius voluptatis appetitio eſt plena anxietatis poſſeſſio triſtitiæ ſatietas pœnitudinis. Tertius modus voluptatis & animalis eſt ea voluptas quæ homini ex animantibus ſoli eſt propria, quæ propterea dicenda erit humana. Item intellectualis, quia procedit à facultate ſumma & vltima animæ humanæ puta intellectu hic non prætereundum ſubiectum quod afficitur voluptate animali etiam affici voluptate mere naturali cum ſubiectum ipſum ſit quoque naturale, habebit affectum rei naturali proprium, & cum voluptas animalis dignior ſit voluptate mere naturali, quia procedit à cauſa nobiliori quam voluptas mere naturalis: anima enim eſt præſtantior

natura nuda rei inanimis. Item versatur circa obiectum dignius nam obiectum circa quod versātur potestates animæ dignius est eo obiecto, circa quod versantur vires nudæ naturæ ita voluptatum animalium alia est magis digna: nam secūda est dignior prima, & tertia est dignior vtraque: itidem vt secūda est dignior prima, sic præsupponit primam & subiectum quod afficitur voluptate secunda, afficitur etiam prima atque vt tertia est dignior vtraque, sic vtramque præsupponit. Quare subiectum quod afficitur tertia voluptate animali etiam afficitur duabus prioribus, ac consequenter etiā voluptatis mere naturalis modis omnibus, quia, vt iam diximus, voluptas animalis præsupponit voluptatem mere naturalem, & subiectum quod afficitur voluptate animali, afficitur etiam voluptate mere naturali: hinc homo qui afficitur voluptate animali dignissima puta intellectuali afficitur duabus reliquis puta sensitiua & vitali, ac consequenter etiam omnibus modis & gradibus voluptatis mere naturalis vt bellua quæ afficitur voluptate sensitiua, afficitur etiam vitali, nec non omnibus voluptatis mere naturalis modis, & vt planta, quæ afficitur voluptate vitali etiam voluptate mere naturali afficitur.

Cæterum cum dico hominem affici voluptate sensitiua & belluā pariter affici voluptate sensitiua, caue putes esse prorsus

easdem voluptates, sunt tantum analogæ: nam eosdem prorsus effectus procedere à diuersissimis causis omnino impossibile est; animas autem belluæ & hominis vnde hi affectus procedunt maxime esse diuersas in superioribus abunde demonstratum est, quod hic dico de voluptate vitali sensitiua in homine & bellua, idem intellige de voluptate vitali in homine, bellua & planta: nam procul omni dubio voluptas vitalis longe alia est in bellua quam in planta & longius, vt ita dicam alia in homine quam in alterutra, vt longè alia est voluptas mere naturalis in animante quam in subiecto inanimi: tota autem hæc diuersitas affectuum ὁμώνομων pendet à diuersitate causarum præcipue vnde procedunt, dico pendere à causis præcipue vnde procedunt, siue à subiectis, in quibus sunt, quia etiam aliquatenus licet forte non tantum hæc diuersitas horum affectuũ pendet ab obiectis, circa quæ versantur: porro in homine omnes prædictos voluptatis modos notare licet, quamuis vltimum tantum voluptatis modum voluptatem humanam nuncupauerimus, quia reliqui voluptatis modi ei cum aliis inferioribus creaturis saltem ἀνάλογως communes sunt: hæc vero vltima voluptas ei ex animantibus soli est propria hic obseruare decet non solum voluptates mere naturales dici corporeas, quia afficitur iis corpus sine vlla habita ratione ad animam, sed etiam

voluptates vitalem & ſenſitiuam etiam dici corporeas, quamuis emanant ab anima, quia fiunt per & propter corpus: Item nota quamuis voluptas omnis competens animanti omni in genere dicatur propria animalis voluptas, tamen plerumque per voluptatem animalem intelligimus voluptatem ſenſitiuam, iam quamuis homo tempore omni durationis ſuæ affici omnibus his voluptatibus dicatur, tamen certæ ſunt periodi in eius duratione, in quarum vna hæc voluptas eminet in quarum alia illa voluptas, v. g. in vtero matris vſque ad infuſionem animæ eiuſque increationem homo dicitur frui voluptate mere naturali, tunc licet non ſit homo perfectus, tamen eſt in fieri vti ſuo loco dicemus: Deinde reliquo tempore poteſt increationem animæ quo eſt in vtero matris vſque ad partũ vltra voluptatem mere naturalem afficitur voluptate vitali, quamuis enim habeat animam omnibus tribus facultatibus, puta vitali, ſenſitiua & intellectiua præditam: tamen tunc temporis anima prorſus incumbit operationibus facultatis vitalis à rudioribus, quippe incipiens, vt alibi docemus, hinc voluptate vitali tunc temporis eminenter affici meritiſſime creditur, tertio in infantia & in tota fere pueritia præter duas priores voluptates, puta vitalem & mere naturalem etiam voluptate ſenſitiua maxime afficitur, licet reliqua tota vita &

potiſſimum in adoleſcentia nimium, & quam ſæpe plus æquo voluptate ſenſitiua ſe oblectet homo ex ephebis egreſſus voluptate intellectuali capi incipit vix aut raro ante pubertatem, & reliquo vitæ tempore voluptatem intellectualem percipit quamuis nimium frequenter ab ea ad voluptatem ſenſitiuam abripiatur ſupra vidimus voluptatis ſpecies & modos prædictos alios aliis digniores, ita voluptas mere naturalis minus digna eſt quam voluptas animalis & ex ſpeciebus voluptatis animalis voluptas vitalis minimum locum dignitatis habet, ſecundum locum obtinet voluptas ſenſitiua, tertium & ſummum nobilitatis gradum habet voluptas intellectualis, quippe quæ non ſolum à nobiliſſima omnium facultate procedit puta intellectu, ſed etiam circa nobiliſſima obiecta verſatur puta circa entia digniſſima & ſuper omnia circa ens entium ſcilicet Deum ad hæc voluptas vitalis tres habet ſpecies pro tribus facultatis vitalis poteſtatibus, puta motrice & auctrice & procreatrice nutritiuam, auctiuã, & procreatiuam: rurſus voluptas nutritiua ſubdiuidi poteſt in tres minores ſpecies pro tribus minoribus poteſtatibus inſeruientibus virtuti nutritiuæ, quæ ſunt attractrix, retentrix, & expultrix: hinc voluptas erit alia attractiua, alia retentiua alia expulſiua: ac ita ſecundum alias nimirum facultatis vitalis virtutes inferiores po-

test subdiuidi, pariter voluptas sensitiua subdiuiditur pro diuisione sensuum: ergo voluptas alia erit à sensibus internis alia, erit à sensibus externis, eaque quintuplex pro numero quinario sensuum externorum.

Cæterum ex his diuersis voluptatibus, quæ oriuntur ex diuersis sensibus, ea voluptas est nobilissima quæ oritur à nobilissimo sensu: hinc voluptas à tactu, est omnium minime digna, deinde voluptas à gustu tertio loco est voluptas ab olfactu, longe nobilior est voluptas ab auditu, & omnium nobilissima est voluptas à visu. Quæri iam posset voluptas Veneris vtrum referri debeat ad voluptatem vitalem an ad sensitiuam? Respondeo distinguendo eam posse considerari vt procedit à facultate vitali eiusque operationem sequitur, tum referatur ad voluptatem vitalem, sed si consideratur vt procedit à sensibus, videlicet tactu, tunc voluptas sensitiua dici queat: voluptas itidem intellectualis subdiuidi quit in tres minores voluptates pro tribus facultatis, intellectualis potestatibus, puta intellectu proprie dicto voluntate & memoria intellectiua, alia enim voluptas nascitur ab intellectu, alia à voluntate, alia à memoria; præterea vt voluptas diuiditur in varias species à variis speciebus causarum puta facultatum, inde procedit & manat: Ita quoque in varios rrmos nec esse secetur Quæstio.

eſt pro varietate obiectorũ, circa quæ verſatur, v. g voluptas intellectualis: vt interim de aliis voluptatis ſpeciebus cum ſuis obiectis ſileam, alia vocatur θεωρητικὴ, quia verſatur circa θεωρητικά, alia quæ circa practica verſatur dicitur practica, vt hoc obiter ad voluptatem practicam pertinet bona conſcientia ob praxim virtutum, nec non amor virtutum: item pax & tranquillitas voluntatis appetituum, alia quia & verſatur circa ποιητικά dicitur ποιητική: denique vt voluptas quæque ſumit dignitatem à cauſis, vnde naſcitur, ſicut ſupra diximus: ita nunc dicimus voluptatem, quoque dignitatem minorem vel maiorem habere, pro minore vel maiore dignitate obiecti circa quod verſatur, v. g intellectus voluptas, alias nunc voluptatis ſpecies prætereo ſciens, dignior eſt quæ verſatur circa practica quam ea quæ verſatur circa poëtica, & voluptas circa θεωρητικά longe adhuc eminentior, atque etiam ipſa voluptas θεωρητική pro dignitate diuerſa obiectorum diuerſos habet dignitatis gradus: omnia enim obiecta θεωρητικά non ſunt eiuſdem dignitatis, ſiquidẽ accidentia ſunt minus digna, quàm ſubſtantiæ ex ſubſtantiis; corpora ſunt minus digna quàm ſpiritus, ex ſpiritibus primus & ſummus ſpirituum qui & pater ſpirituum eſt vt & omnium creaturarum author eſt, eſt obiectum voluptatis intellectualis θεωρητικῆς omnium digniſſimum, nobiliſ

nobilissimum, summum & primarium; est enim omnium principium & finis supra dictum est voluptatem esse eiusmodi affectum, vt res quæ ea afficitur non solum se oblectet in obiecto, sed etiam in eo vt in fine acquiescat: hinc inferimus rem quamque non solum trahi, imo rapi ad suum obiectum voluptuarium tanquam ad finem, vt in eo acquiescat: quæque enim res tendit & festinat ad finem suum in quo quiescere potis sit, quia in fine est virtus quædã, vt ita dicam, attractiua, sed etiam celeriori gradu ferri rem dicimus ad obiectum suum voluptatiuum quod dignius & melius est. Quare cum voluptatis animalis obiectum sit dignius obiecto voluptatis mere naturalis obiectum voluptatis animalis magis attrahit ad sese rem quæ voluptate animali afficitur, quàm voluptatis mere naturalis obiectum attrahit rem quæ ipsa afficitur. Iterum ob eandem causam obiectum voluptatis sensitiuæ magis attrahitur quàm obiectum voluptatis vitalis, vt & obiectum voluptatis intellectualis magis adhuc attrahit quàm obiectum voluptatis sensitiuæ: pari pacto obiectum voluptatis intellectualis quò dignius, eò magis ad se rapit. Itaque summum primarium & nobilissimum omnium obiectum, puta Deus summe & maxime ad se trahit & ad Deum res intellectu prædita maxime & primario fertur, modò nulla obsint impedimenta, vt

constat vel exemplo beatorum Angelorum & beatarum animarum, nec non hominis integri, qualis erat ante lapsum Adamus. Ergo si aliter nunc se res habet est ex accidenti, non autem ex natura creaturæ intellectu præditæ, adhuc cùm voluptas sit talis affectus vt res per eam se oblectet in obiecto sibi grato, in eoque acquiescat necesse est vt eatenus res beata & fœlix sit, si quidem fœlicitas nihil aliud esse videtur quàm status in quo res se bene & iucunde simul se habet: quare res quæ nobiliori obiecto se oblectat & in eo acquiescit beatior & fęlicior est: nam proculdubio se melius & iucundius se habet. Itaque res puta creatura intellectu prædita, homo scilicet & Angelus quæ obiecto omnium dignissimo nobilissimo summe & primario puta Deo se oblectat, & in eo acquiescit, vt in fine vltimo qualis re vera est: nam Deus est primũ principium & finis, vltimus omnium rerum, optime & iucundissime se habet: summa enim & vltima fœlicitate tunc fruitur, ergo fœlicissima & beatissima omnino creatura est: vnde summa hæc fœlicitas creaturæ definitur esse eius reditus & recursus, siue itus & cursus eius ad vltimum suũ finem: nam primum principium & finis vltimus idem sunt, puta Deus ipsissimus: cæterum voluptas intellectualis præcipue voluptas dicitur, imò proprie tantum voluptas vt vel nomen iudicio est quod & su-

pra innuebamus: ſi quidem volupe à βέλομαι, id eſt, cum conſilio appeto quod non poteſt fieri ſine operatione intellectus: reliquæ vero voluptates tantum ἀνάλογως tales dicũtur Græci: itidem ſua appellatione voluptatis docent voluptatem propriè pertinere ad intellectum: nam voluptas Græcis dicitur ἡδονὴ ab ἡδὺς: quod ergo ab ἀΐω, vel εἴδω intelligo ἐτυμολογεῖσθαι puto, ſicut voluptas hominis ſenſitiua dicitur ſæpe belluina, non tantum quod procedat à ſenſu, quo etiam bellua eſt prædita, ſed etiam præcipue cum verſatur circa obiecta viliora, ſic voluptas intellectualis in homine dicitur etiam angelica, non tantum quia naſcitur ab intellectu quo Angeli ſunt prædití, ſed etiam præſertim dum verſatur circa obiecta digniora, cuiuſmodi ſunt excellentiores creaturæ, & ante & ſuper omnia creator ipſe. Oppoſitum voluptati eſt dolor λύπη affectus contrarius priori, ſiquidem dolor eſt affectus quo res angitur de obiecto ſibi ingrato, & ab eo fugere cupit dolor tot modis contrariis diſtingui poteſt, & in tot ſpecies diuidi, quot voluptatem diſtingui, & in quot ſpecies eam ſecari diximus, ſed quia res in ſeſe facilis eſt fruſtra nos hic in enarratione modorum & ſpecierum doloris morabimur, præſertim cum à quouis per modos & ſpecies voluptatis dignoſci poſſint, quem admodum res quæ voluptate ſincera afficitur beata & fœlix eatenus eſt,

ſiue beatitudine & fœlicitate fruitur, & quo nobilior eſt voluptas, eo maior fœlicitas, atque in nobiliſſima omnium voluptate eſt ſumma fœlicitas: ſic res quæ dolore afficitur miſera & in fœlix eatenus cenſeri debet, ſiue in miſeria & infœlicitate eſſe, & quo maior eſt dolor, eò maior eſt miſeria, atque in omnium maximo dolore eſt ſumma miſeria: quare ſicut creaturæ intellectu præditæ, puta hominis vel Angeli, eſt ſumma fœlicitas dum in nobiliſſimo obiecto & primo, puta Deo ſeſe oblectat, ac in eo vt in fine acquieſcit: nam ita Deo quaſi vnitur, ſic ſummus dolor creaturæ intellectu præditæ eſt dum Deum auerſatur, ab eoque fugit vnde ſumma hominis & Angeli miſeria; nam ita adeo ſeparatur: præterea ſicut voluptas intellectualis dicitur angelica, non tantum quia procedit ab intellectu, facultate, Angelis cum homine communi, ſed præcipue, quia verſatur circa digniſſima obiecta, ita dolor intellectualis dici poteſt diabolicus, quia qui eo afficitur, auerſatur digniora obiecta.



CAPVT IV.

SECTIO I.

In qua de origine animæ nostræ quædam in genere etiam de opinione eorum qui aiunt animas humanas produci à creatura cœlesti.

NVnc ad quartum huius operis caput peruenimus, in quo de animæ nostræ origine nobis agendum rit : origo animæ humanæ vt est res in sese gnitu dignissima, ita admodum abscona est : quare non mirum si sunt dissonanes hominum etiam doctiorum de ea opiniones, atque illæ pleræque præter rei veatem, quæ est imbecillitas mentis humaæ iam peccato corruptæ : quamuis enim nis disciplinis excolatur ~~item~~ nostra: dea tamen à vero præsertim si res circa quã rsatur est difficilis, vt est animæ humaæ origo in errorem agatur

Cæterum errores circa originem animæ nostræ bifariam in præsens pro autho-

mens

ribus ſecari poſſunt: alij igitur ſunt errores eorum qui primo errant circa naturam ipſam animæ, deinde circa eius originem quo errant, alij vero ſunt errores eorum circa originem animæ humanæ, qui alioqui de eſſentia animæ noſtræ non ita male cenſuerunt, ſed de eius origine prorſus inepte opinati ſunt: quod autem attinet ad errores eorum qui primo errant circa naturam animæ noſtræ, & poſtea de eius origine male opinati ſunt, nos hoc in loco breuitatis cauſa miſſos facimus: primo qui corruunt vna cum erroribus circa eſſentiam animæ ſuperius refutatis quibus vt fundamentis innitantur hi errores, quorumque ſequelæ ſunt, deinde cum ſint iidem fere cum erroribus eorum, qui circa eſſentiam animæ noſtræ alias nihil ſiniſtre ſtatuerunt: quare qui vnos euerterit alios etiam à ſe euerſos meritiſſimo credat, non ergo in his nos diutius immorabimur. Itaque in ſequentibus de erroribus eorum qui cæteroque de natura animæ non male opinati ſunt dicere contenti erimus quos errores ad hæc tria capita non incommode referri poſſe putamus: vel enim ſunt circa cauſam originis animæ noſtræ, vel circa tempus originis eius, vel circa locum originis eius, error circa cauſam originis animæ humanæ committitur dum non cauſa pro cauſa aſſignatur, & hoc fieri duobus modis reperio, ſi quidem errantium circa cauſam originis

animæ alij volunt animam nostram debere originem suam creaturæ cœlesti puta ipsi cœlo siue astris, vel intelligentiæ siue Angelis: alij vero volunt animam nostram habere suam originem à parentibus corporis de his ordine, sed prius de priori errore quem errant ii qui assignant animæ cœlum siue astra vel intelligentias, siue Angelos pro causa originis suæ: huius autem erroris patroni videntes animam nostram esse substantiam spiritualem ac totam quanta quanta est, vt ita dicam cœlestem nefas esse putarunt attribuere ei causam originis, quæ sub cœlo fiet: ad cœlos ergo ascenderunt vt inde deducerent animam nostram, verum meditantes super causa originis animæ, cum ad cœlos siue creaturas cœlestes peruenissent vltra puta ad Deum meditationem suam eleuare non sunt ausi, quippe se inde prohibitos opinati sunt quod in libro Geneseos rerum, Deum ab omni opere creationis prorsus sub finem sexti diei cessasse legerent. Quare inferunt cum anima nostra producatur, & è cœlo originem repetat necesse est, eam produci à creatura cœlesti, quia Deus nunc nihil noui producit, sed male cauti non animaduertunt hæc scripturæ verba in sese, vt omnia alia verissima, intelligi debere de productione nouorum generum, verum à qua certe sexto die iuxta veritatis oraculum prorsus cessasse Deum palam profitemur, eumque nullum

nouum genus rerum abinde produxisse vltro agnoscimus, interim tamen pro certo affirmamus Deum quotidie vacare productioni rerum singularum dum nimirum adsistit generationi rerum nouarum singularium secundum genera sua & iuxta ordinē, quem ipse ab initio statuit, atque sic adsistens generationi plantarum nouas singulares plantas secundum genera sua & ordinem institutum quotidie producit etiam hoc quoque pacto belluas singulares secundum genera sua & ordinem præscriptū producere dicitur, similiter dum generationi hominis singularis quotidie adsistit eum condere hominem & producere merito dicimus: sed modo homini peculiari eoque longe excellentiori ob eminentiam & dignitatem hominis supra alias creaturas sicut à Deo factum esse in productione primi hominis in libro generationis apud Mosem legimus; quare frustra boni hi viri Deum pro authore animarum agnoscere metuerunt ac consequenter pessimo consilio cœlos siue astra intelligentias siue Angelos pro causis animarum nobis obtrūdunt: siquidem cœlestibus his creaturis cætera dignissimis attribuunt virtutem supra conditionem suæ ipsorum naturæ contra ab ipsis agnitum *ἀξίωμα ultra esse non est posse*. Item contra regulam apud omnes receptam effectum nunquam superat suam causam: quodque enim agit secundum

ſphæram actiuitatis ſuæ quarum maximarum contrarium eueniret ſi animæ humanæ procrearentur à creatura cœleſti quæ eſt duplex, vt iam paulo ſuperius innuebamus puta ipſum cœlum ſiue aſtra, quæ ſunt cœli partes, vel Angeli, ſiue intelligentiæ, quæ cœlos mouent in iiſque reſident: cœlos autem ſiue aſtra non poſſe animam humanam producere iuxta prædictas regulas demonſtrauimus anima noſtra ipſis doctoribus fatentibus dignitate & excellentia ſuperat longe cœlos & aſtra, idque merito, nam cœli & aſtra quamuis ſint creaturæ præcellentes, tamen ſunt corpora tantum rudia & exigui momenti admodum ſi cum anima humana comparentur, quæ eſt ſubſtantia ſpiritualis, eaque pura admodum ac ſimplex vt in prioribus declaratum eſt à nobis: ergo à cælis produci nequit.

Cæterum cum hic dico nullam rem poſſe producere effectum ſupra dignitatem conditionis ſuæ hoc intellige propriis naturæ viribus, quia ſingulari gratia interdum conceſſum eſt creaturis quibuſdam à Deo operari nõnulla ſupra vires ſuas ordinarias, ſed hic non loquimur de miraculis: hoc enim in loco nobis ſermo eſt de operatione ordinaria extra miraculum, qualis eſt quotidiana productio animæ humanæ, deinde neque ab Angelis animæ noſtræ produci poſſunt: licet enim Angeli vel intelligentiæ ſint longe nobiliores cælis & aſtris, ni-

hilo tamen aptiores ſunt ad productionem noſtrarum animarum ratio in promptu eſt animæ humanæ cum ſint puri actus & ſpiritus omnis materialitatis expertes neceſſe eſt ex nihilo producantur, alioqui fierent ex aliquo præexiſtente quod eſt contra naturam ſpirituum qui ſunt actus meri: ex nihilo autem aliquid producere eſt potentiæ infinitæ ob infinitum interuallum inter ens & non ens, quare ſolius Dei eſt producere res ex nihilo, vel res creare: Ergo cum Angelus non poteſt producere viliſſimam creaturam ex nihilo nedum poteſt animam humanam adeo excellentem quid quod creatura non poteſt dare alteri id quod tantum ſibi accepit, ergo non poteſt dare eſſe: nam id ſibi tantum accepit non aliis. Itaque humana non tantum habet eſſe, ſed & fieri immediate à Deo ſine interuentu cauſarum ſecundarum, ac ita paucis abunde, tamen hunc primum errorem ſuper cauſa originis animæ noſtræ confutatum putamus: quare nos hic longiores eſſe nolumus.

SECTIO II.

In qua refellitur opinio de traducenda anima prolis à parentibus & contraria sententia asseritur.

NVnc ad secundum errorem properemus quē errant iſ qui autumāt animas liberorum à parentibus pronaſci: verum cum hic error priori longe intricatior ſit, & multo plures patronos habeat in eius diſcuſſione diutius nobis immorandum eſſe duximus, ſed hic in principio reuocare in memoriam oportet id quod paulo ante monebamus, ſcilicet eos quibuſcum nobis nunc res eſt velle animas liberorum propagari à parentibus, licet agnoſcant animam eſſe ſpiritualem ſubſtantiam à materialitate immunem & ab omnimoda dependentia à materia ſine corpore liberam, qualem ſuo loco definiuimus eſſe animam noſtram.

Sed antequam vltra procedamus, ſciendum eſt cum dicunt animam humanam produci à parentibus id intelligi velle fieri per transfuſionē, vel vt alias loqui ſolēt per propagationem, & ita anima fieri extraduce dicere conſuetū eſt: quare has duas voces

puta τὸ propago, & τὸ tradux hoc in loco explicare non abs re fuerit, præsertim cũ hoc negotio significatione mutuatitia hæ voces sumuntur: mutuatio autem fit à vite, cuius partem primogenio significato propago & tradux denotant: est enim propago surculus è vite arbustiua, vt loquitur rei rusticæ scriptores enatus, qui tum dicitur propagari dum in terræ pangitur, vel vt olim loquebantur, pagitur: ita quoque tradux, quæ alias rumpus dicitur primogenie significat ramum vitis prælongum, ita dictum, quod ducatur trans sublicas & pedamenta, quibus fulciatur, vt videre est in opere topiario: non sum nescius traducem paulo aliter sumi vt mox inferius videbimus, sed ad rem ipsam veniamus dicere animam humanam propagari à parentibus, vel esse à parẽtibus per traducẽ, nihil aliud esse quã dicere animã humanam educi ex potentia seminis vti volũt crassius in hoc negotio philosophãtes via generali & ordinaria animabus aliorum viuentium : vt vero volunt subtilius λεπτολογοῦντες via longe excellentiori. Itaque non sine peculiari numinis adsistentia, sed hæc differentia non mutat statum quæstionis, cum ab vtrisque asseratur animam humanam produci à parentibus, per propagationem, vel esse ex traduce quam suam sententiam his præcipue argumentis stabilire nituntur: at primum sic disputant ab omnibus tanquam indubitatum, & pro

Ame.

Obiectio.

confeſſo aſſumitur hominem generare hominem: Ergo, inquiunt, anima propagatur à parentibus æque ac corpus, alioqui homo non poſſet vere dici generare hominem, ſed partem hominis eamque minus nobilem puta corpus ad hoc argumentum: ita reſpondeo, veriſſimum eſt illud in ſcholis tritum homo generat hominem, imo quod magis eſt addo ad firmamentum huius dicti totum viuens, homo generat totũ viuens hominem, non quidem ſimpliciter & ſecundum omnes partes ſed κατά τι, puta ſecundum materiam quam parentes homines in generationis primo actu ſuppeditãt aptam eamque fouet altera parens in loco conuenienti, quæ materia in loco ſibi commodo, ita diſponitur tota ac paratur vi ſibi inſita ad recipiendam animam in tempore opportuno qua informetur, atque ad ſe ei vniendum vt ex ambabus fit vnum compoſitum homo conſtans ex corpore & anima, & ſic generans dicetur cauſa vnionis corporis & animæ, atque ita vides cauſam efficientem poſſe tueri nomen ſuum modo efficiat partium vnionem & coniunctionem in aliquo cauſarum genere: inſuper vt efficiens vere dici poſſit producere compoſitum non opus habet ſingulas compoſiti partes producere, alioqui e ficiens artefactorum non foret efficiens: nam ea non producit ſubſtantiam, ſed formam artificialem. Itaque per generationem non Reſponſio.

generatur hoc & hoc, id eſt, & materia & forma, ſed vel hoc in hoc vti loquuntur, nimirum diſponendo ita rite & conuenienter materia vt ſtatim poſt abſolutã diſpoſitionẽ materiæ ex ipſa exoriatur forma: ex materia enim ſuboriuntur ſiue emergũt formæ omnes naturales inanimæ, nec non animæ plantarum & belluarum extra quam materiam non poſſunt eſſe ſicut certiſſimo demonſtrant earum operationes; res enim quæque operatur vt eſt: hæ autem formæ & animæ nihil poſſunt operari niſi per corpus: quare neceſſe ſine eo poſſunt, deinde vel per generationem ita materia diſponitur, vt per diſpoſitionẽ eiuſmodi fiat apta ad ſe vniendum animę, certæ atque per eam diſpoſitionem acquirat virtutem, vt ita loquar vnitiuã & hac via aliquid ad τὸ εἶναι τῆς animæ conferre dici poteſt, ſaltem κατὰ τ; nempe ad εἶναι eius in corpore, cuius eſt actus, & hoc reſpectu potes dicere animam humanam produci à parentibus, & hominem generare hominem etiam ſecundum animam diſpoſitiue ſcilicet ſucceſſiua generatione: ſecundum vero corpus eſſentialiter & generatione momentanea, ex his vides quo ſenſu dici vere poſſit actionem generantium extendere ſe ad animam geniti vel terminari in eam cum ſit forma geniti, nimirum diſpoſitiue tantum in productione hominis, nec quicquam vltra po-

test hæc actio parentum, quæ mediante virtute seminis operatur: verum aduersarij hic instantes vrgent nisi homo in generatione dat animam nouo homini modus generandi hominem erit diuersus ab eo quo cætera viuentia generantur ad quod reponens confiteor plane generationem hominis esse longe diuersam à generatione aliorum viuentium, imo & multo excellentiorem, idque meritissimo: nam est æquum vt viuens & excellentissimum excellentissimo modo generetur, & id viuens quod longe diuersæ est naturæ ab aliis viuentibus, modo longe diuerso ab aliorum viuentium generatione generari prorsus rationi consentaneum est, neque hoc nunc nobis nouum vel mirum videri debet, cum idem videmus factum à summo opifice in ipso rerum omnium primordio: si quidem Deus tunc facturus alia viuentia tantum dicere habuit elementis vt ea producerent, ac illico ita factum esse legimus; hominem vero condere peculiari modo & consilio voluit: quare eius productionem via longe alia expediuit, quod cuiuis historiam rerum Geneseos legenti planum est quidquid generationem singularium omnium aliorum viuentium præter hominem non fieri vno modo reperies, si eam penitus intueri vis: alio enim modo generantur plantæ & in

Instantia.

Responsio.

generatione plantarum sua est diuersitas maxima: alio autem belluæ, quæ itidem diuersis modis generari solent vt ex historiis singularium constat, hic nihil dico de generatione mixtorum inanimiũ, quæ etiam non vnico modo fit, v.g propagatio nouarum formarum in elementis fit per transpositionem, in metallis vero per appositionem prout τῆς φυσικῆς docent consultissimi: &c. Itaque sine vllo absurdo dicimus animam fieri in brutis per generationem, in homine autẽ animam produci per creationẽ, vnde illud anima humana est οὐσία ἀσώματος ἐν σώματι κτιζομένη: verũ enim vero duplex viuentiũ generatio in vniuersum notatur; puta alia quæ vocatur vniuoca & tũc dicitur esse cum generans ex semine suo generat sibi simile, ita planta generatur vniuoce ex semine plantæ, bellua ex semine belluæ, alia generatio quæ æquiuoca dicitur, & est tunc cum viuens generatur non ex semine congeneris viuentis, sed ex aliqua alia materia, quæ ἀναλόγως semini respondet, & hoc pacto non solũ ex plantis & belluis minus perfectis plurimæ, sed ex perfectioribus etiam nonnullæ, quæ alioqui generatione vniuoca generari solent, aliquãdo ita gnerãtur, v g. mures qui ordinarie per vniuocã generationẽ ex semine parẽtũ generãtur, interdum etiam generantur ex materia putei in naui, iam quod ad hominis generationem attinet, ea fit via longe eminentiori

tiori

tiori tali videlicet quæ ad creationem proxime accedit, quæ tamen reſpectu corporis poteſt dici vniuoca: corpus enim humanum ex germine generantis hominis producitur, reſpectu vero animæ nec poteſt dici generari vniuoce. Quum non generetur ex ſemine, nec poteſt dici generari æquiuoce, cum non generetur ex aliqua alia materia ἀνάλογως ſemini reſpondente: ex nihilo ergo creatur à Deo ſolo ſine interuentu vllius cauſæ inferioris, interim tamen reſpectu diſpoſitionis illius de qua iam iam dicebamus per quam materia non ſolum fit apta, vt ita dicam, paſſiue ad recipiendam formam, ſed etiam, vt ſic loquar conatu quodammodo actiuo ad ſeſe ei vniendum, hac ratione eius generatio aliquo modo vniuoca dici poterit, atque hac quoque ſola conſideratione anima hominis à parentibus propagari dici queat.

Denique ſic premunt productionis animæ humanæ per traducem patroni, totus inquiunt homo reſpectu tum animæ, tum corporis generatur vniuoca generatione quod aiunt ex hac vnica inſtantia vel cæco appareat, parentes dicunt generare prolem ſibi per omnia ſimilem, ideſt, non tantum reſpectu conſtitutionis corporis eiuſque lineamentorum, ſed etiam ratione morum qui ſunt tot animæ operationes, ac proinde reſpectu ipſius eſſentiæ animæ, nam ex operari arguitur eſſe. Obiectio.

Respondeo licet sæpe contingat mores animæ in prole esse similes moribus parentum, dico sæpe accidere, sed non semper, quia euenit plerumque, vt liberi sint moribus dissimillimi parentibus: nam stultus parens potest habere filium sapientem, & sapiens parens stultum filium, vnde illud vulgatum fili[illegible] h[illegible]rum [illegible], exemplum habes in Saulo malo & Ionathane bono, malus Ammon genuit bonum Ioabum, filius Themistoclis erat malus, Lysimachus degenerabat à patre, Patalus & Xantippus de Pericle, Milesius & Stephanus de Thucydide, sed inde tamen non sequitur animã prolis propagari à parentibus: siquidem alia est causa huiusce similitudinis, quam animæ propagatio prout propagationis assertores imaginantur, hæc nimirum est causa, anima nostra quandiu hospitatur in hoc corpore terreno vtitur eius ope & ministerio ad operationes suas plurimas nominatim in practicis: quare pro eius dispositione & temperie bona vel mala operatur bene & male, hinc hoc tritum, mores animæ sequũtur humores corporis, dispositio autem & temperies corporis in prole non raro sunt similes dispositioni & temperiei corporum parentum; hinc accidit vt proles referat parentum moribus: ideo autem dispositio & temperies corporis prolis sunt similes dispositioni & temperiei corporis parentis: quia semen ex quo corpus prolis

constitutum est extrahitur ex subtilioribus particulis corporum parentum quod etiam educatio liberorum cum parentibus non parum promouet similitudinem morum prolis: nam parentum moribus à teneris assuescere multum est, cum consuetudo sit altera natura, ad hæc pro sententiæ suæ stabilimẽto sumunt antagonistæ argumentum ex historia productionis Euæ quam legimus extractam ex costa Adami desumpta ex latere Adami cap. 2. Genes. vers. 22.23. vbi nulla mentio, inquiunt, inspirationis animæ in corpus Euæ vt legimus v. 7. eiusdem capitis animã fuisse inspiratam in corpus Adæ recens factum. Ergo dicunt sequi animam Euæ fuissu eductam ex Adamo vna cum corpore: respondeo consequens non magis valere, quam illud quod nonnulli male sani inferunt nimirum dum in historia productionis Euæ nihil narratur de inspiratione animæ in corpus recens Euæ, colligunt Euam nulla præditam anima, neque vllam aliam mulierem quorum delirium supra suo loco refellimus quidquid Adamus eo loco agnoscens Euam, de ea, inquit, hæc est os de ossibus meis, & caro de carne mea, non tamen dicit Adamus est anima de anima mea, vel de me quippe qui sciebat animam Euæ fuisse inspiratam illius corpori recens constituto ex materia ab ipso desumpta, prout suo ipsius corpori recens ex terra facto Deus animam inspirauit: cur autem Histo-

Obiectio.

Responsio.

riographus Moſes tacuit inſpirationem animæ Euæ in eius corpus recens factum, pete rationem ex iis quæ diximus in refutatione iam ſupra nominati delirij.

Inſtantia. Deinde confugiunt traductionis animæ fautores ad loca ſcripturæ, ex quibus inferunt argumenta pro ſententiæ ſuæ authoritate quorum quantum memini hæc ſunt præcipua: primus & primarius locus eſt is apud Moſem vbi dicitur tot animas eſſe egreſſas è femore Patriarchæ verba habentur Geneſ. 46. cap. 27. v. ex hoc textu aiunt manifeſte doceri animas educi ex ſemine, quod quia per meatus proximos femori emititur, ideo ipſas animas dicit ex femore egredi cum dicere debebat ex ſemine.

Reſponſio. Reſpondeo huius textus verba non eſſe accipienda ad literam, nam verbum femur vel ipſis aduerſariis, vt iam vidimus, agnoſcentibus in mutuatitia ſumitur ſignificatione, nec non anima vt ego prætendo: debes enim per animas intelligere hic totos homines conſtantes corpore & anima, id eſt, perſonas, vt loquuntur, ſicut per femur ob vicinitatem, vel locum per quem tranſit ſemen, vel ipſum ſemen: animam autem denotare totum hominem, non eſt rarum, nec nouũ apud eundem Moſem Gen. 12. 15. 14. 21. 46. 2. Leuit 4. 27. 51. 11. 84. 3.

Inſtantia. 44. vt multa alia loca omittamus, ſed eſto, inquiunt, aduerſarij animam in prædicto loco pro toto homine ſumatur: Ergo totus

homo ex ſemine parentum egreditur, quare vtique vis argumenti manebit.

Reſpondeo per animam ibi totum hominem ſignificari, eumque dici ex femore parentis egredi, quia eius corpus egreditur quod eſt pars hominis ſenſibus notior, licet in ſeſe ſit pars minus nobilis quid quod anima ipſa quodammodo poteſt dici eſſe ex ſemine diſpoſitiue, ſcilicet prout ſupra declarauimus: poſtea vrgent loca ſcripturæ, in quibus ſemen ſumitur pro poſteritate, vt Geneſ. 17. 5. quod non, inquiunt, eueniret niſi per ſemen intelligendum foret totum poſteritatis, id eſt, proles conſtans ex anima & corpore, ad quam inſtantiam dico eadē reſponſione explicari difficultatem horum locorum quę enodabat ſuperius proxime allata loca, ac ita dico ſemen pro tota prole ſumi, quia ex ſemine fit corpus hominis pars ſenſibus notior, & quia diſpoſitiue etiam poteſt anima dici eſſe ex ſemine, vt iam toties diximus. Reſponſio. Inſtantia. Reſponſio.

Inſuper premunt locum Exodi cap 2. verſ. 13. vbi extat lex talionis, ſi quis lęſerit grauidam, ita vt fœtus moriatur, reddet animam pro anima, vt & locum illum Geneſeos 38. cap. verſ 9 vbi legitur Onamen morte punitum eſſe, quod ſemen perdiderit ne ſuppeditaret ſemen fratri ſuo ſecundum legem, quę loca arguūt ſemē eſſe poteſtate totū hominē, vel ſaltem totum hominem cōſtantem corpore & anima, ex ſemine fieri Obiectio.

Reſpondeo hęc poſtrema loca non magis arguere propagationem animę humanę ex ſemine parentis, quam loca ſupra citata: ſiquidem ex his, vt ex illis tantum concludas bene & neceſſario ex ſemine corpus conſtitui eſſentialiter, & animam ſolum diſpoſitiue, vt iam ſępenumero inculcauimus.

Ceterum ex textu 21. Exod. ego contrariũ infero, nam verſ. 22. cap. 21. Exodi tantum infligitur mulcta pro pœna ei qui percuſſit grauidam, cum nimirum fœtus nondum eſt animatus: in verſ vero 23. vita pro vita danda eſt, hinc concludo fœtum certo tempore eſſe in vtero matris ſine vita, ac ita nondum animatum: quare anima non traducitur vt ſemen à parentibus: nam ſic fœtus ſtatim ab initio haberet animam cuius contrarium in his Moſis verbis nunc vides.

Item 70. Interpretes hæc verba Exodi & abortum fecerit ſed ipſa vixit, ſic παραφράζουσι καὶ ἐξέλθῃ παιδίον μὴ ἐξεικονισμένον, & loco horũ verborum ſi mors fuerit ſequuta ἐὰν ἐξεικονισμένον ſupple παιδίον, quæ paraphraſis docet verba Moſis eſſe intelligenda, ſic ſi fœtus jam eſſet formatus, vel non: minime vero ſi mater viueret, vel non ex hæc paraphraſi Gręca, ſic inferebant veteres ſi ob abortum mulieris pręgnantis fœtu nondum formato percurſor ſolum mulctabatur pecunia, & propter abortum fœtu iam for-

mato daturus erat percurſor animam pro anima tantum ab eſſe, animam eſſe in ſemine in quo neceſſe eſt eſſe ſi ex eo ortum habet, vt ante abſolutam fabricam corpus non poſſit dici animatum, alioqui pœna percuſſoris in textu expreſſa foret minus iuſta, quinetiam iuxta vulgarem verſionem textus ſacer ſic ſe habet ſi exierit infans eius nõ formatus mulctabitur, ſin formatus fuerit dabit animam pro anima: hic non omittendum eum vel eam eſſe homicidis accenſendam qui facit fœminam ab ortire etiam ante abſolutam corporis fabricam & animæ infuſionem: nam ſi non occidit hominẽ in eſſe ſaltem in fieri hominem necat quin etiam morte plectendi ſunt, ſiue mas ſiue fœmina fuerint qui medicamentis, vel alia quæuis via ſiue arte productionẽ prolis impedire conãtur: ideo Onanem de quo ſupra legimus fuiſſe morte punitum ſacra pagina nos docet, feſtinatio homicidij eſt, prohibere naſci, nec refert natum quis hominem naſciturum occidat, homo eſt qui futurus eſt homo, neque vllum alium ſenſũ poſſunt habere loca ſcripturę iã laudata pręter eum quem hîc exhibemus cum ſcriptura ſcripturę non repugnat, atque ex infinitis ſcripturę locis conſtat animam non oriri de ſemine, ſed à Deo immediate ſiue ope vllius creatam ſicut mox ſuo loco docebimus, quod ad alios ſcripturę textus quos patroni propagationis vel tradu-

ctionis animę pro opinione ſua adferunt, cum ſint minoris longe momenti præ iam allatis textibus eos ſcientes prǽterimus, ne omnia congerere videamur : ac ita deiectis huius opinionis de propagatione animæ munimentis more noſtro impoſſibilem eſſe hanc animæ propagationem vno aut altero verbo, idque inuicte demonſtrabimus, quod ita conficiemus, ſi anima humana propagatur vel traducitur à parentibus, vel traducitur à corpore & anima ſimul vtriuſque parentis, ſaltem à corpore & anima ſimul alterutrius, at hoc eſt impoſſibile : ſic enim anima foret quid craſſe compoſitum, ac proinde impurum : animã autem eſſe ſimplicem & compoſitionis expertem ſupra vidimus, ac conſequenter immunem ab impuritate quæ ſequitur compoſitionem, ſicut puritas ſimplicitatem ſequitur quid quod ſi anima humana traduceretur ex corpore & anima ſimul, anima eſſet totum compoſitum, puta homo conſtans ex corpore & anima ſimul: non autem pars compoſiti, puta forma, quo nihil abſurdius dici queat. Deinde vel anima eſſet per propagationẽ ſiue propagaretur è corpore ſolo, puta è ſemine corporis, eiuſque ſi vis, ex parte ſubtiliori prout animæ, plantarum & belluarum, oriri dicuntur ex ſemine parentum ~~ſcilicet~~ vel ex aliqua materia ſemini analoga, hoc pacto anima humana eſſet materialis dependens prorſus à cor-

pore quo ad operari, & quo ad esse instar animarum, plantæ & belluæ: at animam humanam esse spiritualem & liberam ab eiusmodi dependentia in superioribus abunde demonstrauimus. Quare hic nihil repetemus ne nauseam eadem crambe repetita lectori moueamus.

Denique vel propagaretur prolis anima ab animabus parentum amborum, atque ita compositum foret ex vtraque quod est æque absurdum cum anima sit simplex vt toties monuimus, saltem ab anima alterutrius parentis, ac sic respectu animæ proles habet vnum parentem solum cui charior & proximior foret, respectu vero corporis duos quo nihil esse absurdius nemo est qui non videat.

Præterea si propagaretur anima prolis ex anima parentis id fieret vel detrahendo particulam animæ parentis ad constitutionem animæ prolis, atque sic anima parentis decresceret: nam tantum ei decideret quantum sufficeret animæ prolis constitutioni, vt videmus tantum decidere corpori parentũ, quantum sufficit ad constitutionẽ noui corporis, id est, semẽ sufficiens, at hoc non posse fieri contendo cum anima sit ἀμέριστος, & partium saltem Physicarum expers est, quales partes Physicæ hic requiruntur ad animæ propagationem: animam autem humanam esse ἀμέριστον, & sine partibus Physicis luculenter alibi docuimus. Quare

ταυτολογεῖ hoc in loco esse nolumus.

Itaque cùm anima humana sit indiuisibilis ex anima parentis anima prolis oriri non potest, nec ex præexistenté materia cũ sit immaterialis, neque de seipsa nasci potest dici: nam quod nasci dicitur de se ipso, v. g phœnix necessario habet aliquid quasi germen præcedens & antiquius suo esse quod animam habere, nemo quod sciã hactenus dicere ausus est, vel si ex anima parentis propagaretur anima prolis, tunc tota anima parentis transiret à corpore suo in corpus parentis, quod omnem absurditatem excedit: sic enim corpus parentis foret sine anima, sed iam video nonnullos instantes dicere animam prolis propagari siue traduci ex anima parentis sine vlla animæ parentis diminutione, quemadmodum ignis traducitur à lucerna siue candela sine sui diminutione in massam sebaceam vel ceream, & item sicut ignis excitatur in chalybe vel silice, & ad quod respondeo ratio est longe diuersa harum rerum & animæ humane.

Obiectio.

Nam hæ res non acquirunt ignem, quem non prius habebant, si quidem non in iis de nouo producitur ignis, sed tangentis corporis tritũ excitatur, ignis corpus subtilius qui latebat in iis corporibus crassioribus mixtis: sunt autem hæc corpora mixta oleositatem in se se habentia, quod non fugit Phænicem Poëtarum, sicut testatur in

illo latentes suscitat ignes. Item, secuitque è fomite flammam, ratio, inquam, est longe dispar harum rerum ac animæ nostræ: nam anima prolis non est in prole noua, vel in semine latens donec suscitetur ab anima parentis: sic enim educeretur è materia quod iam impugnatum est, cum hæc ita se habeant, idest, cum anima humana non possit produci ab vlla creatura de nihilo, quia virtute opus est infinita ad animam de nihilo producendum ob infinitam distantiam inter ens & non ens, nec propagari possit per traducem à parentibus, neque de vlla re præ existente fieri ob rationes iam allatas necessario sequitur, eam tantum posse creari à Deo immediate, cum dico animam nostram produci à Deo immediate non intelligi volo, sicut dicitur res alias omnes produci à Deo immediate, sicut docetur in Metaphysica: nam Deus immediate producit quotidie res quasque nouas singulares secundum genus & ordinem suũ, quia est earum causa efficiens proxima immediata totalis, actualis vel actu producens per se tota actione sua hac singulari & indiuiduali rem singularem quamque, neque aliter, inquam, operatur quin effectum totum quodlibet per actionem suam immediatissime & proximissime, vti sic dicam, tangat, ita vt creaturæ actio per quam creatura producit effectum, est vna eademque numero actio cum ea qua Deus efficit

eundem effectum, neque ab ea differt magis quam idem ab eodem, vel si mauis vt actio causæ inferioris particularis subordinatæ ab actione causæ superioris vniuersalis cui subordinatur inferior, sed cum dico animas humanas produci à Deo immediate, id intelligo fieri eminentiori modo, puta ex nihilo & sine concursu vllius creaturæ, nec mirum videri debet animam humanā ordinarie, & quotidie ita produci cum eius excellentia tanta sit, vt difficilis admodum & eminens omnino productio ei prorsus competat, & quæ ab eo solo præstari potest qui superat omnem excellentiam cuique nihil est difficile quid quod animam πρωτόπλαστου, ita eminenter ex nihilo sine concursu creaturarum productam esse ex historia sacra certo scimus: Deus enim corpus Adami concurrentibus creaturis certis ad eius constitutionem primitus fabricauit, deinde ei animam inspirauit, non autem è materia eduxit: productio autem primi hominis est exemplar productionis sequētium hominum quo ad substantiam, vt ita dicam productionis, licet circunstantiæ eius quodamtenus varientur, & sic quotidie producitur corpus humanum ex concursu plurium materiarum simplicium, vt in initio factum est.

Quare etiam animam quotidie corpori recens facto inspirari ratio euincit, licet sensus id non percipiat hoc loco non præ-

tereandum eſt, licet Deus cuique corpori humano recens formato infundit animam propriam, idque actione particulari, ac ita immediate & proprie hominem totum dicatur producere non tam Deus: propterea dicendus eſt fauere procreationi illegitimæ hominis contra legem ſuam ipſius puta hominis productioni per adulterium, inceſtũ, fornicationẽ, &c. vel cooperari peccato generantium magis quam communicat furto ſeminatoris dum triticum ~~prato~~ ſublatum germinare facit, ſed in generatione etiam contra legem ſuam actionem naturalem ordinariam promouet.

furto

Itaque cooperari ei communiter dicitur non in fieri, ſed in facto via certe diuerſa à cauſis ſecundis: ergo adſiſtit ipſi procreationi hominis vt ordinationi ſuæ: peccatum vero in modo procreationis abominatur.

Interim tamen pro ſua ſumma miſericordia in tempus certum plerumque nobis incognitũ hæc gignentium peccata, vt multa vitia alia tollerat, non denegans procreãdi actui ſuum euentum, quia procreationis actus in ſeſe naturalis eſt, ac conſequenter entitate ſua eſt bonus, Deus vult eum producere effectum ſuum: naſci autem ἀνόμως non eſt culpa eius qui naſcitur, ſed eius qui generat, vt hoc obiter.

Cæterum animam humanam à Deo ſolo produ. i & creari omnino certum eſt, quod

& nos hic, vel ex vna & altera demonstratione necessaria ita esse euincemus: anima humana est simplex, vt alibi docuimus, & per se subsistere potest quod & supra vidimus, & inferius loco suo fusius demõstrabimus: ergo non producitur per generationẽ, sed per creationem quæ est opus solius Dei creatoris vnici ratio huiusce, quæ producuntur per generationem, vel sunt composita tota animantia vel formæ materiales, quæ non possunt sine materia subsistere: deinde causa finita vel particularis qualis est creatura omnis nõ potest producere animam humanam, cum ea habeat virtutem & inclinationem, qua transgreditur rem omnem finitam & particularem. quaque tendit ad infinitam & vniuersalem causam, puta ad Deum ipsum, vis huius argumenti in eo est quod nullus effectus extendit se supra causam suam, neque quicquam potest producere se dignius, ac proinde vt hoc etiam hic, virtus seminis materialis non potest terminare actionem suam ad effectum immaterialem, qualis est anima humana, vt constat ex motibus eius in organis reflexis & reciprocis, cuiusmodi sunt motus illi quibus vtitur, dum quærit, inuenit, consideratque seipsam per intellectum rediens in eandem naturam per voluntatem: tertio quum rem intelligit & se intelligere intelligit rediens per intellectum in actum ipsum intelligendi, vltimo cum vult ali-

quid & vult ſe velle rediens per voluntatem in actum voluntatis, hos quatuor animæ motus Platonici vocãt rotas quibus currus animæ vehitur: hæc autem reflexio ſiue reciprocatio in motibus animæ eſt libera à corpore: nam nec ab eo incipit, nec ad id redit: ſed eſt animæ in animam, quæ operatio reflexa animæ noſtræ cum ſit libera à corpore. Certe & ipſa anima vnde eiuſmodi operatio procedit omnino libera erit.

Ex his ſequitur cum anima noſtra quoad effectum ſit omnino libera à corpore & dependentia ab eo, prout ex operationibus animæ planum eſſe, & hic & alibi demonſtrauimus etiam quo ad natalem à corpore erit libera, præſertim cum naturam corporis longiſſime ſuperat quidquod quæ fiunt ex ἀλληλογοδίας ſunt caduca, ſiquidem finis generationis eſt conſeruare genera & ſpecies rerum caducarum & pereuntium.

Quare cum anima ſit æterna, non poteſt ſic generari: animam autem humanam eſſe æternam inferius demonſtrabimus. Inſuper quum habeamus rem cum hominibus qui Chriſto nomen dederunt ex ſcriptura argumenta ſumemus, anima Chriſti non eſt ex traduce vel ſate ntibus ipſis animæ humanæ propagatoribus: Ergo nec anima noſtra cum Chriſtus debeat eſſe ſimilis per omnia fratribus πλὴν τῶν ἐπίκηρων κήλιδων, vt loquitur Nicephorus, hinc vides quam bene concludant ex epiſtola ad

Obiectio. Hebræos cap. 4. ideo animas noſtras eſſe ex traduce, quia Leuitæ erant decimati in lumbis Abrahæ, non vero Chriſtus, quod nimirum Chriſtus, vt aiunt, tantum eſſet ſecundum carnem in lumbis Abrahæ, Leuitæ vero ſecundum corpus & animam.

Reſponſio Dico hoc male deduci ex loco prædicto, cum longe alia ſit ratio quod Leuitæ ſint decimati in lumbis Abrahæ, non vero Chriſtus: ratio autem eſt quod Leuitæ eſſent in lumbis Abrahæ iuxta præuaricationem Adæ: ac ita ex traduce peccati Adæ: Chriſtus vero erat in lumbis Abrahæ per traducem ab Adamo quoad ſubſtantiam, eodem certe modo quo Leuitæ: ſed non quo ad peccatum Adæ: nam Chriſtus non eſt ab Adamo iuxta eius præuaricationem, quia Chriſtus, licet deſcenderit ab Adamo, qua homo fuit, tamen non ab eo deſcendit per ordinariam generationem, quæ propagat præuaricationem vel peccatum.

Item perſonæ Leuitarum ſucceſſerunt perſonæ Abrahami vel Adami, ſed non perſona Chriſti: nam Chriſtus ſecundum naturam humanam à natura Abrahami deſcendit, non vero eius perſona perſonæ Abrahami vel Adami ſucceſſit.

Inſtantia. Hic audio nonnullos dicentes Chriſti perſonæ, videtur etiam ſucceſſiſſe Adami perſonæ; vocatur enim ſecundus Adamus, quæ appellatio videtur innuere ſucceſſionē perſonæ & non naturæ tantum.

Reſpondeo

Respondeo verum esse Christum sæpe numero dici secundum Adamum, non propterea persona eius succedere dicetur personæ Adami, sed ideo dicitur Christus secundus Adam quia est primogenitus nonnullorum fratrum ad iustitiam sicut ille, parens multorum filiorum ad perniciem: Quin etiam corpus & anima ab Adamo fluunt, modo tamen propagandi dispari illud quidem à traduce hæc per infusionem, quæ hoc respectu à parentibus est, quod Deus non creat animam qua animam simpliciter, sed qua vnam de Adami filiis animam, sic non inutile fuerit ex multis scripturæ locis vnum aut alterum ad veritatis huiusce de creatione animarum nostrarum confirmationem adferre, alibi, Deo dante, plura exhibebimus: primus locus habetur cap. Iob 33. 4. spiritus Dei fortis fecit me, id est, corpus meum & afflatus omnipotentiæ, indidit mihi vitam, id est, animam, quo textu hic vides Iobum profiteri, & palam agnoscere animam sibi inspiratam, vt anima Adæ fuit. Secũdus locus Ecclesiast. 12. 9. *Puluis redit in terram vnde desumptus est: spiritus autem redit ad Dominum qui dederat illum.*

Tertius locus Isayæ 57. *Sum ego*, inquit, *Deus qui feci animas.*

Quartus Zachar. 12. 1. *Iehoua format spiritum hominis in medio ipsius.*

Quintus in Epistola ad Hebræos 12. v. 9.

Apoſtolus manifeſtè opponit patres corporum noſtrorum, & patrem ſpirituum hic notes nihil vetare animam humanam naturaliter informare corpus humanum, & naturaliter ex vtroque fieri vnum, quamuis corpus & anima ſint ex diuerſis agentibus, puta parentibus, & Deo cum parentes ſint agentes inferiores ſubordinati Deo, actio parentum terminatur in partem hominis, puta corpus, non in totum quod eſt ab agente ſuperiore, niſi diſpoſitiuè dicas iã antequam ad alia, prædictis de cauſa efficiente animæ addendum creationem animæ nunc non conſiderari vt in prima productione animæ προτοπλάστου, ſed relatiue nimirum reſpectu ſanctionis quam ὁ κτίστης ἐν πρωτοκτισίᾳ in gratiam creaturæ pro benignitate ſua promulgauit: in qua ſanctione tria mecum notes licet; primo, eſt Dei decretum de ſpeciei propagatione; ſecundo, eſt tacita promiſſio hinc decreto adiuncta: tertio, eſt benedictio quæ fuit vt homo gigneret hominem, non vero animã; hæc vis promiſſi & benedictionis diuina ex lege creationis exorta à nonnullis tradux vocari ſolet. Et hoc ſenſu etiam animam eſſe ex traduce non male dicere poſſis, qui quaſi per ſucceſſionem à parentibus in filios traducitur non certe per ipſos parentes, ſed per Deum benedicentem: Deus enim benedictione ſua facit vt ſemen tempore ſuo, id eſt, rite diſpoſitum accipiat animam

ac ita fiat prolificum, non autem emittendo ex germio suo animam, sed illam tempore opportuno admittendo. Hæc de hisce cuiusmoderato esse satis possunt.

SECTIO III.

In qua de erroribus circa tempus & locum originis animæ nostræ.

IAm excusso errore super causa efficiente animarum sequitur vt errores reliquos duos euoluamus, qui sunt de tempore & loco originis animarum. In his erroribus explicandis breues admodum erimus cum non sint tot intricati difficultatibus, vt primus ille error circa causam efficientem animarum nostrarum.

Hic priori loco errorem circa tempus originis animæ nostræ enodabimus, deinde errorem circa locũ originis explicabimus: qui autẽ errãt circa tẽpus originis animarũ nostrarum putant omnes singularium hominum animas fuisse simul & semel conditas in initio rerum, & in promptuario diuini thesauri custodiri, atque inde pro exigentia depromi, vt nostra corpora iam iam fabricata informent.

Error hic inde natus esse videtur, quod patroni eius crediderunt animas humanas

eiusdem esse prorsus naturæ & conditionis cum Angelis, quos omnes vnica vice creatas pro certo cõstat: verum anima humana licet substantia simplex & spiritualis sit, vt Angelus: tamen est conditionis diuersæ aliquatenus ab Angelis, quod vel hinc est planum anima humana naturaliter informat corpus humanum, quippe quæ ad eius informationem condita sit, ideo κατὰ φύσιν suã ipsius illam esse in & cum corpore humano & extra corpus humanum, nonnisi præter naturam suam esse meritissimo affirmamus si enim anima non vniretur humano corpori, φυσικῶς, homo constans corpore & anima, non esset vnũ per se & physicῶs, sed duntaxat per accidens, vnum, quod esse absurdũ nemo nõ videat quidquod appetitus innatus cuique animæ nostræ immorandi in corpore suo, id satis demonstrat: denique appetitus animæ humanæ corpore suo separatæ corpori suo iterum vniri aperte id arguit: Angelus autem cum vnitur corpori humano id fit ex accidenti, nam ad informationem corporis non sunt creati Angeli, sed ad seorsim degendum.

Quare si quando corpori humano vnitos fuisse legimus, id intelligendum est factum fuisse extraordinarie & speciali de causa ab eo qui certis ordinibus rerum non astringitur, sed supra omnes ordines est, rebusque pro arbitrio omnibus ordines dat.

Præterea ex operationibus animæ huma-

næ & Angeli satis patet eos non esse omnino eiusdem naturæ licet non admodum diuersæ cum sint ambo substantiæ spiritales simplices : exemplo sunt operationes cognoscendi quæ sunt longe subtiliores in Angelo quam in homine : nam licet vterque intelligat, tamen intellectus Angelorum est multo sublimior.

Item anima humana quandiu corpori suo vnita est, etiam αἰσθητὰ per sensum saltem non sine φαντασμικοι cognoscit Angelus nō habet sensus, neque ad cognoscendum res quæ alias sub sensum cadunt ope φαντασμάτων eget. Dico autem animam humanam & Angelum esse aliquatenus diuersos, non vero differentes : nam diuersitas siue ἑτερότης potest esse inter res simplices, differentia vero siue διαφορὰ non reperitur nisi inter res compositas, quia diuersitas consideratur absolute & seorsim, differentia vero cum respectu ad alia. Deinde patroni huius erroris circum tempus originis animæ nostræ æstimarunt rationi consentaneum minime esse idem tempus assignare origini corporis & animæ hominis : non solum sunt discrepantium valde naturarum, sed discrepantes etiam valde habent durationes : si quidem anima est substantia spiritalis simplex, incorruptibilis & immortalis: corpus vero res bruta composita corruptioni & morti obnoxia ad quod dicendum est bonos hosce homines esse parum memores

Obiectio.

Responsio.

historiæ creationis omnium ex qua meminisse debemus res natura & duratione vel maxime discrepantes sub idem tempus esse cupisse.

Obiectio. Denique adferunt aduersari locum Genes. Vbi dicitur Deus cessasse ab omni opere in opinionis subsubsidium, ad quem textum respondeo, idem quod supra nimirum 7. die Deum cessasse à productione nouorum generum rerum, sed non à productione rerum singularium secundum sua genera cui consonat illud Christi *Pater meus vsque modo operatur, & ego operor*: nec quicquam contra perfectionem vniuersi facit animas singulares quotidie creari magisquã indiuidua quotidie produci nam perfectio vniuersi est æstimanda, non ex indiuiduorũ numero, sed ex specierum diuersitate: tales ergo quotidie ~~imperat~~ Deus animas nouis corporibus humanis singulis, quales die 6. corporibus nouis hominum masculi & fœminæ in exordio dedit, per nouam nimirum de nihilo creationem, non vero per nouam institutionem non creando quod nondum creauerat, sed numerosius creando operatur. Iam post euentilatum errorem circa tempus originis animæ, & post examinata & euersa fundamenta, quibus hunc errorem stabilire eius authores solent, sequuntur, more nostro demonstremus non tantum originem animæ, non præcedere originem corporis sui, sed

Responsio.

prorsus necesse esse corporis constitutionem tempore licet exiguo præcedere creationem animæ, sicut factum esse videmus, cum primus homo conditus fuit, quod ita demonstro, omnis potentia præcedit actum suum, non solum ordine naturæ, sed etiam tempore, licet pauco admodum, & ad sensum plerumque non adeo perceptibili: at corpus humanum se habet vt potentia: anima vero humana vt actus ergo corpus præcedit animam, non tantum ordine naturæ, sed etiam tempore: deinde naturale est animæ esse in vel cum corpore suo.

Præter naturam vero esse sine vel extra corpus, quod autem est naturale rei est prius tempore quam id quod est pręter naturam: ergo anima est in corpore primum, ac consequenter non creatur ante corpus quid quod si esset ante corpus creata foret imperfecta, quippe pars tantum rei puta hominis futuri: cum enim ad corpus informandum creata sit non potest habere suam perfectionem antequam sit in corpore: talis autem à Deo creari non debuit, nec potuit, cuius omnia opera sunt perfecta: siquidem Deus res quasq; perfectas & cōpletas produxit in suo genere, non vero partes rerum seorsim in expectationem complementi olim futuri: denique sic contra genium suum inuita & otiosa maneret nescio vbi semper. In excubiis donec certo tempore

euocaretur ad ſuum complementum, ideſt, ad informandum corpus quum ſit contra naturam animæ terere tempus in otio, quia eſt purus actus, neque quiſquam ex huius opinionis aſſertoribus hactenus dicere auſus eſt animas ante vnionem cum corpore agere, prout poſt ſeparationem à corpore eam agere, conſtat apud omnes qui eam ſeparatam à corpore, ideſt, poſt compoſiti ſolutionem, degere agnoſcunt.

Sequitur vt excutiamus errorem ſuper loco originis animæ noſtræ quem paucis, ſi Deo placet, expediemus, qui vero hunc errant errorem putant animam noſtram creari extra corpus ſuum, qui error non tãtum occupabit eos qui de tempore originis animæ noſtræ præter, vt modeſtius dicam, veritatem cenſuerunt, ſed etiam nonnullos inuaſit, qui alioqui extra errorem, circa tempus originis animæ noſtræ, prorſus fuerunt: quod autem attinet ad eos qui animã noſtram creari ante corporis conſtitutionẽ, vel ſaltem ante vltimam corporis diſpoſitionem ad eam recipiendam, putant hi facile, & non ſine ratione opinari potuerunt animã nõ produci in corpore, ac cõſequenter extra corpus: qui enim produci potuit in illo quod vel nondum omnino erat, vel ſaltem non ſatis erat, puta diſpoſitum ad ad eam recipiendam, ſecundi vero qui animas noſtras produci extra corpora ſua male putant, atque alias circa tempus originis

animæ, his præcipue rationibus animam creari extra corpus credere adducti sunt.

Primum ergo sic argumentantur, omnino impossibile videtur, vt creatura à Deo excellens, & pura, ac est anima humana producatur in corpore quod est adeo impurum & sordibus repletum, ac est corpus hominis præsertim recens & prorsus nouũ: nam foret contra tum dignitatem, tum commodum diuinæ animæ in ergastulo adeo vili, ac est corpus recens natalem suum habere.

Ad quod respondeo nihil hac ex parte metuendum animæ diuinæ: nam creari in corpore non magis repugnat commodo & dignitati animæ nostræ quam hospitari in eo, eique adeo arcte vniri vt id naturaliter informet & actuet.

Itaque anima nostra perfectissime se habet, cum est vnita corpori suo, ad cuius informationem præcipue condita est, & minus perfecte se habere cum est extra corpus suum merito censetur quod & alibi docemus.

Dico hic animam nostram esse conditam præcipue vt corpus suum informet, non vero omnino, quia etiam secundario condita est, vt seorsim aliquandiu degat, prout suo loco, Deo dante, videbimus. Deinde vrgent illud tritum τοῦ φιλοσόφου, nimirum animam humanam aduenire corpori θύραθεν, siue forinsecus: ad quod respondeo per τὸ

θύραθεν, siue extrinsecus non velle Philosophum animam humanam produci in aliquo τῶ extra corpus: nam per τὸ θύραθεν vult Philosophus animam humanam (quã ibi vocat νοῦν) non educi ex potentia materiæ, siue emergi è materia, vt anima, plantæ, & belluæ: quare neque esse materiæ, ita intrinsecam, vt sunt animæ, plantarum & belluarum, quæ in totum à materia dependent, sed eam mero & solo dono Dei aduenire non virtute humana produci: ac proinde eam non posse intrinsecam dici corpori suo, si cum animabus, plantæ, & belluæ comparetur, nec dependentiæ omnimodæ materiæ alligari, prout prædictæ animæ alligatæ sunt, hanc esse ipsissimam Philosophi super hac re sententiam, sua ipsius verba aperte docent, quæ habentur lib. 2. cap 3. de generatione animalium, quæ quia quiuis consúlere potest breuitatis causa hic referre nos omittimus.

Denique tanquam ad sacram anchoram confugiunt ad argumentum quod trahunt ex historia creationis Adami, & ex cap. 33. v. 4 Iobi vt in priori, ex his, loco legere est, inquiunt, Deum inspirasse animam corpori recens condito in altero horum loco, idest, apud Iobum dicitur Deus indidisse animam corpori; quæ duo verba puta *inspirasse & indidisse* innuere videntur animam homini alibi conditam, deinde in corpus eius intro ductam.

Ad quæ ſic reſpondetur ex his verbis hiſtoriæ creationis hominis nulla via rite deduces animam alibi conditam, deinde corpori ſuo extrinſecus infuſam, ſiue de foris inſpiratam, ſi quidem illis verbis ſolummodo docetur modus quo Deus animauit corpus Adami, vel in eo animam produxit, nempe vt verbo dici ſolet infundendo, ſiue inſpirando creauit & creando inſpirauit, vel infudit: quod ad verba Iobi attinet ea nullum habent talem ſenſum; nam verba fontis ſacri ſignificant & ſpiritus omnipotentis viuificant me, quæ verba nihil faciũt pro hac opinione. Iam deiectis fundamentis huius prauæ ſententiæ ſequens eſt, vt eã eſſe prorſus impoſſibilem, eiuſque contrariam, puta animam humanam produci in ipſo corpore, non vero extra id aperte demonſtremus: quod vtrumque, vel hac vnica, ſed inuicta demonſtratione commodiſſime perfici poſſe putamus, ſic, quod eſt naturale cuique rei, id eſt prius, in & cum quaque re, quam id quod eſt præter naturam rei quod percurrenti hiſtoriam omniũ rerum clarum eſt, & inſuper quod eſt naturale rei eſt conſequens immediatum naturæ ipſius rei, ac ita quam primum res eſt, vel naturam habet eam ſequitur ἀμέσως, & cum ea eſt: quod vero contra vel præter naturam eſt ſerius animo adueniat rei neceſſe eſt alioqui, vt ita dicam, in ipſis rei incunabulis rem euerteret ſaltem cum ita

impediret, vt magis è commodo ipsius foret non esse quam esse, at esse in corpore suo naturale est omnino animæ nostræ, alioqui non naturaliter id informaret & actuaret, ac ita ex anima & corpore suo non constitueretur compositum naturale, puta homo quidquid naturaliter anima nostra cupit perpetuo manere incorpore, timetque ab eo depelli , hinc quasi pauet ordinarie quoties cogitat hospitium sibi esse relinquendũ, præsertim sub articulũ separationis, esse aut extra corpus est ei præter naturam cum sit forma informationi corporis destinata, atque hinc etiã separata à corpore suo appetitu sibi innato & essentiali appetit, vt corporis forma iterum corpori suo vniri, prout quodque appetit sui perfectionem : perfectio vero formæ consistit in informatione materiæ , quæ est eius finis. Quare ex his inuicte sequitur animam humanam ex omni necessitate prius esse in corpore suo, quam extra illud, ac cõsequenter produci in corpore humano vt in τῷ suo naturali, huic doctrinæ consonat ille textus sacræ paginæ, qui habetur Zachar. cap. 12. v. 1. Iehoua format spiritũ hominis in medio ipsius, huc pertinet descriptio illa animæ nostræ quam doctores Græci inculcãt, quod & supra monuimus, anima humana est οὐσία ἀσώματος ἐν σώματι κτιζομένη, vt omnia quæ hactenus super animæ humanæ origine dicta sunt in pauca contrahamus, dici-

mus animam humanam cum sit ſubſtantia ſpiritualis & ſimplex, non fieri poſſe ex vlla re præexiſtẽte, ſed ex nihilo creari: ex nihilo autem creare, vel ex non ente condere aliquid, vel ens, ſolus poteſt is cuius potentia eſt infinita ob immenſum, vt inculcauimus diſtantiam inter ens & non ens, ſiue inter nihil & aliquid.

Itaque Deus vnicus eſt author ſiue conditor animæ noſtræ, quo titulo inſignitur in Epiſtola ad Hebræos, vt ſupra vidimus τὸ πῶ, vel vbi in quo Deus condit animam humanam eſt ipſum nouum corpus recens conſtitutum: non autem alibi cum in corpore ſuo anima humana habeat ſuum vbi naturale, ſicuti iam iam demonſtrauimus τὸ ποτὲ, in quo anima creatura in corpore eſt ſtatim atque corpus ad eam recipiendã eſt bene diſpoſitum: hoc autem omnino eſt quum fabrica corporis eſt abſoluta, nec ſerius, nec citius anima poteſt aduenire corpori primo non citius quia ante abſolutam corporis fabricã corpus non eſt apte diſpoſitum, vt animam recipiat, nec conueniens organon, vt anima poſſit commode per id munia ſua exercere: deinde non ſerius aduenire anima noſtra corpori ſuo poteſt, quia ſi corpus iam abſolute fabricatum manet aliquandiu ſine anima eſſet truncus inutilis cum ad inſeruiendum animæ prorſus ordinatum ſit: adde illud poſita vltima diſpoſitione ponitur forma ſtatim ſineque

mora, ac ita vides ex historia creationis Adami Deum processisse: nam statim atque absoluit, fabricam corporis inspirauit illi animam, siue increauit in illo animam, prout continuata historia productionis vtriusque aperte testatur quidquid mola & effluxio, vt Medici vocant, satis demonstrare videntur animam humanam non infundi semini statim atqui concipitur semen: nam effluxio est materia fœtus inuolucro quodam membranoso contenta, quæ intra primos quadraginta dies à conceptione ex vtero matris effluit, alioqui futura, homo si diutius in vtero retenta fuisset, quemadmodum docent Medici : deinde mola quæ iisdem docentibus Medicis, est frustum carnis in vtero fœminæ nascens præcedente coïtu maris & fœminæ, ~~& nunquā alias maris & fœminæ~~, & nunquam alias mola ea est duplex: vel enim est proprie dicta mola, quæ est frustum carnis per se & seorsim in vtero fœminæ nascens post coïtum cum mare, vel est improprie dicta, scilicet frustum carnis fœtui ad nascens: definire autem tempus, in quo absoluitur corporis fabrica non caret difficultate, cum fabrica huius corporis citius absoluatur: illius vero serius, vt hic taceam corporis fœminæ fabricam tardius absolui quam fabricam corporis maris interim, tamen exactiores huius partis Physicæ obseruatores docent fabricam corporis humani ordinarie ab-

ſolui cis vltra 40. à conceptione diem.

Huc pertinet illud quod præſcribitur in lege Moſaïca Leuit. cap. 12. puerperis poſt partum maris ſe ſegregare quadraginta dies, puta vltra primam ſeptimam à partu 33. dies, quod tempus ſegregationis puerperæ duplicatum fuit in lege poſt partum fœminæ ob ſorditiem muliebrem.

SECTIO IV.

In qua hiſtoria generationis hominis paucis & claris explicatur.

VErum vt totum hoc negotium de fabrica corporis humani melius intelligatur, non inutile fuerit rem altiùs arceſſere, præſertim cum à materia quam tractamus, non ſit alienum: inde enim diſcemus quo pacto homo conſtans ex corpore & anima à parentibus hominibus procreari dicatur: res autem ad hunc fere modum ſe habet, parentes mas à fœmina veneris æſtro perſiti coeunt per membra quæ quod generationi præcipue inſeruiunt genitalia dici ſolent tempore coitus, ſiue in ipſo coitu emittunt, ſiue exprimunt per organa ei muneri à natura deſtinata, ſemen è vaſis ſpermaticis eiaculatum, quod ſemen ſita è vaſis ſpermaticis eiaculatur, & per prædicta organa emittitur, ſiue exprimitur, in

vuluam, siue matricem fœminæ recipitur & receptum fouetur, hæc seminis in matricē receptio, & recepti, vt ita dicam, fotiō cōmuniter conceptio dici consueuit: semen vero hoc quod ita è vasis spermaticis eiaculatum, & per organa idonea expressum in vuluam recipitur, est id ex quo corpus recens fabricatur, estque succus spirituosus valde & halituosus de omnibus partibus corporis viui decisus, qui intra vasa spermatica colligatur, & ibi seruatur vsque ad generationem, siue actum generandi, semen, cum sit corpus compositum, vt nullum est corpus simplex præter cœlum & elementa, duabus potissimum constat partibus, quarum altera est crassior, humidior, halituosior magis passiua, minusque actiua respondens materiæ, altera subtilior, spirituosior, magis ignea magisque actiua respondens formæ, pars seminis crassior sæpius semen simpliciter nuncupatur: pars vero subtilior vocatur κατ᾽ ἐξοχὴν spiritus generatiuus, vel generator, quia nimirum est spiritus subtilior & excellentior, præcipueque generationi inseruiens.

Item hæc pars seminis subtilior, dicitur quoque spiritus conformator, quia in ea præcipue est vis conformatrix, siue, δύναμις πλαστικὴ, per quam corpus humanum, vt ita dicam, dolatur, politur & fabricatur: hæc vis seminis πλαστικὴ excitari incipit à virtute inhærente in vtero matris statim atque conceptio facta est, nota partem subtiliorem

semi-

ſeminis ſubtiliorem quam vocari diximus ſpirituum conformatorem, ſiue generatorem, vel genitorem Hipocrati aliquando dici φυχὴν ob vim plaſticam, quæ eſt in eo præcipue, ipſum ſemen ſiue ſeminis partem craſſiorem ab eodem vocari ἔμφυχον, quia dolatur & politur per vim conformatricem, quaſi per animam, & eſt inſtar animæ, licet re vera non ſit animatum, nec ſpiritus ille animæ: Ex his ergò duabus partibus conſtat tota maſſa prolifica dum parentes mas & fœmina in coitu exerunt actiones generatiuas facultatis ſuæ generatiuæ incipiunt motum illum generatiuum, per quem in maſſa prolifica fit generatio paſſiua, ſine interruptione vel mora per continuatam ſeriem motus generatiui à principio ſuo, ideſt, à facultate generatiua in parentibus vſque ad vltimum terminum, id eſt, donec in maſſa prolifica rite organiſata, beneque per ſpiritum conformatorem diſpoſita ad recipiendam animam, eique ſe vniendum anima ſit à Deo infuſa, ac ita producatur compoſitum quod dicitur homo, ad cuius conſtitutionem parentes præbent ſemen cum ſpiritu conformatore, hic habet facultatem conformatricem, iſtud habet diſpoſitionem conformabilem ad effigiem humanam: quin etiam per modum hunc generatiuum de quo iam, dum poſt corpus nouum organiſatum, & rite diſpoſi-

tum anima à Deo infunditur, parentes dicuntur quodãmodo vnire corpus nouum cum anima ſua propter vim ſcilicet vnitiuam, quæ eſſe diximus in ſemine, quod ipſi præbent in craſſiori, quidem, parte ſeminis paſſiuè, in ſubtiliori vero actiuè.

Cæterum hæc tota productio hominis tribus præcipue conſtat partibus, quarum prima eſt generatio, quæ quod ſucceſſu fiat, dicitur ſucceſſiua, quæ eſt nimirum totus ille motus à primo tempore iaculationis è vaſis ſpermaticis in coitu maris & fœminæ vſque ad infuſionem animæ corpori ſuo à Deo hæc generatio ſucceſſiua alias vocatur accidentalis, nimirum habita ratione ad animam, quia per hanc fiunt præuiæ tantum diſpoſitiones in corpore vſque ad infuſionem animæ. Hinc reſpectu harum diſpoſitionum parentes dicantur generare hominem totum, diſpoſitiue ſcilicet ſiue accidentaliter ſecunda pars productionis noui hominis eſt increatio & infuſio animæ in corpore ſuo, quam partem Deus immediate ſolus ſine miniſterio parentum peragit ſtatim atque maſſa prolifica eſt rite diſpoſita & organiſata anima dum à Deo infunditur corpori ſuo, iuxta phraſim veterum dicitur μιτεγγίζεσθαι, ſupple σώματι. Item ἐνσωματοῦσθαι καὶ ἐνδέεσθαι σώματι.

Tertia pars productionis noui hominis eſt hæc, ſecundum quam parentes per vl-

ſeminis

timam partem motus generatiui inchoati in primo cöitu dicuntur efficere, quadamtenus vnionem corporis noui & animæ iam ei increatæ & infusæ, quæ vnio dici solet generatio instãtanea, quia fit in instãti ἐν τῷ νῦν vocatur etiam essentialis generatio, quia per eam duæ hominis partes essentiales, puta corpus & anima in vnum coëunt, vt ex iis constituatur totum compositum, puta homo constans anima & corpore.

Itaque huius vltimæ partis productionis noui hominis causa non accidentaliter & dispositiue tantum, prout causa primæ partis productionis, sed essentialiter homo generare hominem dicitur.

Cæterum anima nostra cum sit diuina & æterna, nec in tempore propriè dicetur esse nec subiici temporis terminis, vel partibus, sed ad nos comparata ratione in instanti aduenire dicitur: habet enim rationem formæ introducendæ forma omnis in instanti completur.

Interim licet dicamus animam nostram aduenire in instanti, non tamen dicimus propterea motum fieri in instanti, nam motus propriè dictus in instanti esse nequit, quia quod mouetur, est in loco diuerso, ab eo ad quem tendit: quare si in instanti esset motus, idem simul in diuersis locis foret, at formæ aduentus non est eiusmodi: nam antea non erat, & nunc est

iam vt animæ noſtræ aduentus corpori ſuo dicitur eſſe in inſtanti, ſic eius eſt diſceſſus à corporte fieri in inſtanti dicitur: nam poteſt dici animam deſinere mouere corpus, vel id non amplius moueri in inſtanti: item anima cum non ſit in loco, loci motu non poteſt proprie dici moueri, nec propriè mouetur à nobis nec nobis dum mouemur ſpacia vlla pertranſire cogitur.

Iam aperte vides, vt æſtimo, quo ſenſu vere proferre poſſis de generatione humana illud tritum effatum Philoſophorum totum viuens generat totum viuens: item illud vulgi, homo producit compoſitum, nimirum iis modis, quibus iam declarauimus ratione corporis, vel ſecundum materiam, generatio hominis eſt vere vniuoca, quia parentes ex ſemine ſuo generant corpus ſibi ſimile: reſpectu vero animæ generatio hominis non poteſt dici vniuoca, neque æquiuoca: nō vniuoca, quia non fit anima ex ſemine, vt ſupra docuimus, ob ſimplicitatem eſſentiæ, &c. non æquiuoca, quia non fit ex alia re ſemini ἀνάλογως reſpondente ob immaterialitatem, vt ſupra vidimus: ex nihilo enim à ſolo Deo creatur, nam ſine interuentu vllius creaturæ, vt ſupra docuimus, ſolus Deus producit animam rationalem, aliter ſe res habet de corpore: nam vt Deus eſt cauſa prima immediate totalis actualis, qua organiſat fœtum, eſt etiam inſuper cauſa ſe-

cunda actualis totalis immediata, quæ eadem prorsus actione, qua Deus organisat fœtum, ita vt organisatio fœtus fiat à Deo, & à causa secunda vna & eadem numero ipsissimaque actione, secunda vero causa Deo in organisatione fœtus cooperans, vel est principalis, puta parentes, vel est instrumentalis, scilicet spiritus ille genitor in semine, quæ causæ secundæ simul sumptæ dicuntur immediatæ, sed seorsim sumptæ parentes dicantur causæ mediatæ: spiritus vero efformator vocatur causa immediata. His accedit vterus matris, qui appellatur causa, sine qua non, quia sine ope vteri, duæ agentes secundariæ nihil hic possunt efficere, & agens pimaria ordinarie eius ope vtitur.

Superius paulo dicebamus, Deum, sine interuentu vllius causæ secundæ producere interim in via ordinaria, intellige Deum nunquam producere animam humanam, nisi prius subiectum in quod recipi debet, id est, corpus sit bene dispositum per vltimam suam dispositionē, quia posita ponitur eius forma essentialis idest, anima ipsa: quare cum semen adhuc in testibus, parentū plurimis egeat dispositionibus. Immo quum iam conceptum in vtero fœminæ est, multæ ei adhuc desunt dispositiones antequam vltimam adipiscatur, non potest anima recipi in hoc vel illud, quia non dum omnes dispositiones requisitas a d animæ

receptionem habet.

Cæterum actio spiritus conformatoris habentis vim, vt loquuntur, seminalem, id-est, facultatem conformatricem & calorem natiuum, actio vitalis dici & censeri merito debet, quia prouenit à principio vitali, idest, à vi generatiua parentum, & est motus continuatus sine interruptione à parentibus vsque ad productionem compositi: dico autem hanc actionem esse dicendam vitalem, quia prouenit à principio vitali & insuper à calore natiuo seminis quà natiuus est, non vero ab eo qua calor est: putredo enim excrementorum procedit à calore natiuo, non quatenus natiuus est, sed qua est calor tantum.

Itaque organisatio massæ prolificæ non vitalis est, quippe procedens à vi generatiua parentum, quæ est vitalis non ita dispari pacto ac applicatio alimenti non vitalis dicitur actio vitalis, quia procedit à nutritiua facultate, quæ est vitalis.

Insuper non est necesse animam parentum præsentialiter adesse vt actu effectum, quem ipsa inchoauit perficiat præsertim cum habet causam aliquam sibi succenturiantem, vel aliquod instrumētum: quæuis enim forma non influit immediate in actiones vel effectus suos, v.g. forma ignis non immediate influit in eum qui calefit, cum forte distat sex pedes ab igne quid

quod potentia vegetatiua dicitur esse eminenter in anima vt calor in Sole: quare & absens potest agere per vim à se in obiectum impressam, vt Sol calefacit hemisphærium, etiam post occasum & ante ortum.

Hîc reuocare oportet in memoriam in semine esse duas virtutes præcipue, puta immutatricem & efformatricem per illam semen primum mutatur in lacteam substantiam, deinde hæc lactis substantia mutatur in sanguinem: Tertiò sanguis in carnem &c. per hanc corpus humanum dolatur, politur, & fabricatur tempus fabricationis corporis humani in vtero matris sic diuidi solet, iuxta tritum hoc distichon.

Sex in lacte dies, tot sunt in sanguine terni.

Bisseni carnem ter seni membra figurant.

Seminis pars subtilior in quo inest vis efformatrix dicitur genitura vt audiuimus, quæ non tantum est in semine humano, sed etiam in semine aliorum viuentium, & non solum eorum corpore dolat, polit, & fabricatur, vt hominis corpus, sed etiam cuiusque viuentis formam è materia educit, quod posterius in homine præstare nequit ob peculiarem animæ humanæ rationem & conditionem longe diuersam ab animabus aliorum viuentium. Quare

quod proximum est in homine præstat, id est, summa industria massam prolificam immutat, & temperat propter animam humanam: deinde corpus artificiosissime eidem animæ dolat, polit, & fabricat, idque disponit & præparat ita conuenienter, vt sit aptum & idoneum animæ receptaculum, non solum ad commode hospitandum, sed etiam ad bene & facile per id & in eo pro exigentia operandum ea omnia opera, quæ per id operari necesse habet.

Insuper corpori indit quandam propensionem siue inclinationem, ad recipiendum animam quam inclinationem doctrinæ ergo, hoc in loco receptiuitatem nominare non verebimur, ab hac receptiuitate fluit illa actio, quæ vulgo vocatur vnitiua, per quam corpus iam ad effigiem humanam fabricatum, & rite organisatum, excitatur ad se vniendum animæ humanæ corpus humanum. Ita organisatum & dispositum a nonnullis dicitur esse medium quid inter anime & inanime: si quidem animatum non est cum nondum in eo est anima ex aduerso inanime omnino non debet dici ob omnia illa exquisitissima præparatoria ad animam recipiendam post quæ absoluta statim infunditur, siue increatur corpori anima à Deo neque citius neque serius, vt supra declaratum.

Deus autem ſolus & vnicus animæ humanæ author dum producit animam in corpore dicitur quod & ſupra innuebamus animam creare infundendo & creando infundere, atque altera ex parte anima dici conſueuit infundendo creari, & creãdo infundi, & cum ſic anima infunditur corpori nouo, tum demum proprie homo dicitur viuere, vel vitam agere muniaque viuentis exercere: anima humana in corpore ſuo nouo iam exiſtens facile ſe expedit cooperante Deo in [illegible] ſuis circa corpus v. g. in nutritione ad alimentum &c. Sed in generatione noui hominis, cum nondum exiſtat in corpore non fabricato opus habet præuio deſignatore ad regiam ipſi extruendam, qui eſt ſpiritus genitor, de quo iam tot diximus, hic notatu dignum occurrit nihil obſtare, quominus anima humana informet corpus ſuum naturaliter, ac ita ex vtroque fiat naturaliter, vnum compoſitum homo quamuis corpus & anima fiant à diuerſis agentibus, puta à parentibus & Deo, cum parentes ſint cauſæ inferiores ſubordinatæ Deo cauſæ primæ. Item actio parentum terminatur in partem hominis minus dignam, ideſt, in corpus & non in totum hominem quod eſt ab agente ſuperiori niſi dicas diſpoſitiue.

muniis

Cæterum licet fœtus non ſit animatus ante abſolutam corporis fabricam cum in

via naturæ ordinaria requiratur, vt subie-ctum in quod recipitur anima rationalis à Deo solo producta sit bene dispositum, prout vidimus: tamen is qui ante infusionem animæ homicidium festinat, homicida censetur: prohibet enim nasci, hominis vita, licet proprie & exacte loquendo, fortassis non possit recte dici incipere à vigilia, quia nondum habet liberum exercitium earum facultatum, per quarum exercitium liberum vigilia definitur; quæ autem hæ facultates sunt ex superioribus repetas; licet interim tamen habet quendam vigiliæ gradum imperfectum, nec incipere proprie dici potest à somno; nam quasi expergiscitur statim ac fabrica corporis humani est absoluta dum corpus est vtero matris Deus ei infundit animam vt diximus, ac post ea tempore statuto corpus & anima simul egrediuntur ex vtero matris, vnde mater potest dici parere animam, licet eam non generet, nisi nomen generationis late sumatur, vt in illo vulgato, quo Virgo Maria dicitur Dei genitrix, qui genuit secundum carnem Christum, qui est Deus, at que hæc est vera & genuina de orignie animæ sententia paucis & perspicuis verbis, sed pro instituto præsenti sufficienter satis explicata.

SECTIO V.

In qua de peccato, eiusque deriuatione.

ADhuc restat vnicus atque is non exiguus super deriuatione peccati à parentibus in prolem, scrupulus qui multos alioqui probos & doctos ita offendit, vt prædictæ de animæ nostræ origine veritati assensum à se ipsis obtinere nequiuerunt.

Itaque quærere solent si anima humana non traducitur à parentibus, qua ratione peccatum à parentibus in liberos deriuari potest, quod à parentibus in liberos transmitti, nemo est qui negauerit, quin statim veritatis oraculum, id est, sacram paginam neget: si quidem in pluribus scripturæ locis, ex quibus in præsenti vnum, aut alterum producere hic contenti erimus, manifeste docetur hominem produci in peccato vel cum peccato, quod peccatum in quo vel cum quo oritur homo peccatum originale dici solet, quia adest homini in eius origine, ac consequenter à parentibts transmittitur, nec aliunde venit, cum impossibile sit peccatum aduenire homini in ipsius origine, nisi ab immediatis originis eius authoribus: hi autem sunt Deus & paren-

tes, Deum esse authorem peccati originalis in homine dicere est blasphemum, cum sit ipsissima bonitas, non potest esse author peccati vel vllius mali: relinquitur ergo vt parentes peccatum in prolem suam deriuent; nam à quibus naturam habemus, ab iis etiam vitia naturæ trahimus: hinc Adamus primus parens omnium dicitur in omnes homines deriuasse peccatum. iuxta illud, Adamus in omnes peccatum inuexit, non quod omnium peccata patrauit, sed deliquit in communi, vt parens omnium: loca autem scripturæ, quæ ad demonstrandum omnem hominem oriri cum vel in peccato nunc adferimus, hæc sunt: primus locus habetur Psal. 51. vers.7. *Formatus fui in iniquitate & mater mea me fouit in peccato*: quibus verbis Psalmista aperte profitetur se ortum esse in & cum peccato, secundus locus est in Epistola ad Romanos cap. 5. v. 12. *mors peruenit ad omnes homines.*

Cum omnes in eo supple Adamo peccarunt, per quem peccatum introit in mundum, ac proinde mors, atque cum plurimi recens nati qui vix hauserunt lucem, imo nonnulli qui non omnino viderunt diem, in vtero matris moriuntur, necesse est habeant peccatum, alioqui non morerentur cum mors sit stipendium peccati; at non habent à seipsis commissum quin nullum adhuc commiserunt: restat ergo vt

habeant à parentibus in ortu ſuo quod propterea originale dicimus, prout quod ipſi committimus actuale nuncupamus.

Tertius locus eſt in Epiſtola ad Epheſ. cap. 2. v. 6. *nos eramus natura*, quam trahimus à parentibus, *filij iræ vt reliqui* homines, quod abſque peccato naturam noſtram conſequenti non poſſit fieri: nam ſine peccato Deus non odio habet creaturas, & omnes homines ipſi non commiſerunt peccatum, vt iam vidimus; huc facit locus Iobi puta coma quartum cap. 14. quod ſic verterunt Interpretes 70. τὶς ἔςαι καθαρὸς ἀπὸ ῥύπων ἀλλ᾽ ὀυδεὶς iam cum peccatum à parentibus in prolem tranſmitti, vel ex his ſcripturæ locis certo conſtet, qua via id fiat nobis declarare in ſequentibus, incumbit verum vt negotium hoc facilius & melius expediamus rem totam altius arceſſere non inconueniens eſſe iudicamus.

Itaque quid per peccatum in genere ſumptum intelligi debeat videbimus: deinde ad duas peccati ſpecies vniuerſales, puta peccatum actuale, originale deſcendemus: ſed ante omnia à nominis peccati explicatione incipiemus, τὸ peccatum eſt vox mutuatitia à pecore; deſcendit enim à peccare: nam, proprie & genuine loquendo, pecus dicitur peccare, dum paſcens hac & illac inconſiderate non obſeruata via recta, prout fert impetus, id eſt,

ὁρμάται pariter τὸ ἁμαρτία Græcorum & τὸ Chata Hebræorum mutatitiæ voces ſunt: ſiquidem mutuo accipiuntur à iaculatoribus; iaculator enim, proprie & exacte loquendo, dicitur ἁμαρτάνειν & חטא chata, dum non attingit ſcopum vel metum, in quam dirigit arcum, nunc poſt τοῦ peccati ἐτυμολόγησιν ipſius peccati definitio exacta danda foret: ſed hoc eſt impoſſibile cum peccatum ſit purum putum non ens (ſi exacte loqui velis) non entis autem non ſolum nulla exacta definitio, ſed etiam de non ente nullus ſermo propriè inſtitui poteſt, cum definitio notet rem vel aliquid, & omnis ſermo eſt de ente vel aliquo, de nihilo nihil poteſt dici, peccatum eſſe merum non ens, ſi inuicte demonſtro, peccatum eſt malum defectus & priuatio: Ergo eſt non ens cum omne malum omnis defectus & omnis priuatio ſit non ens mere. Item ſi peccatum non eſt mere non ens, habet aliquid poſitiui, vt loquuntur, ideſt, habet aliquam entitatem, ac conſequenter bonitatem: nulla enim entitas ſine bonitate, & ſic peccatum foret ens & bonum, atque ideo Deus eius author foret cum ſit author omnis boni & omnis entis, quæ omnia vel minimum cogitare, ſunt non ſolum maximè abſurda, ſed ſumme baſphema: dicere enim Deum eſſe authorem peccati ſine horrenda baſphemia nullus poteſt.

Interim tamen aliqua peccati licet non entis notitia exhibenda eſt ei uſque verbis quamuis minime propriis definitio aliqua danda eſt, cum aliter fieri nequeat ob rationes iam iam dictas.

Cæterum optime ea quæ in ſeſe & ex ſeſe non ſunt cognoſcibilia, cuiuſmodi ſunt non ens malum, defectus, priuatio &c. ex notitia oppoſitorum in cognitionem noſtram veniunt, ſic non ens per notitiam entis cognoſcitur ſaltem aliquatenus, & quo ad eius fieri poteſt.

Item malum per boni notitiam quodamtenus ſcitur, ita defectus ſiue priuatio per notitiam oppoſiti dignoſcitur, ſic quoquè tenebræ per notitiam lucis cognoſcuntur: quare cum peccatum ſit defectus per eius oppoſitum aliquo modo cognoſci poteſt, cum dico peccatum eſſe defectum, caue putes me velle dicere quemlibet defectum eſſe peccatum, quamuis non ſim neſcius laxiori acceptione etiam ſæpe numero omnem defectum peccatum dici, vnde apud Philoſophos defectus in inatura dicitur ἁμαρτάματης φύσεως: verum hic nos exactius loquimur, & defectum hic intelligimus fieri tantum in actionibus vel operationibus, neque in iis omnibus, v.g. in pictura vel ſcriptura defectus, non illico peccatum dicetur, ſed in iis demum operationibus vel actionibus, quæ vſitate praxes dici

ſolent queis Deus & poſt Deum natura re-
cta præſcribit normam, vel regulam, ſi-
ue canonem, quem vtique in iis ſeruare,
eaſque huic regulæ conformare debe-
mus.

Itaque cum quis σφάλλει, vel deficit ob-
ſeruare regulam diuinam in actionibus
ſuis, vel actiones ſuas conformare normæ
diuinæ, proprie peccare dicitur: ea vero
norma, quam Deus, & natura nobis ſequi
præſcribit, vocatur νόμος, vel lex Dei &
naturæ: hinc apertiſſime Apoſtolus Ioan.
in 1. Epiſt. cap. 3. verſ. 1. peccatum ἀνομίαν,
ſiue à lege, deuiationem nuncupat ſermo
hoc in loco legem in latiori acceptione,
ita nimirum vt etiam ſub ſe comprehendat
Euangelium, contra quod æque peccatur,
ne dicam grauius, ac contra legem ipſam
ſtrictius ſumptam ex iam dictis hanc qua-
lemcumque peccati deſcriptionem, dici-
mus ſic peccatum eſt in obſeruantia legis
diuinæ in actionibus noſtris, vel ita pecca-
tum eſt animia ἐν πράξεσι ἡμῶν, cum pec-
catum ſit non ens, vti ex dictis conſtat: fru-
ſtra ſunt qui illius cauſam efficientem quæ-
runt, cum non entis nulla ſit cauſa, pro-
prie loquendo: at cum peccatum ſit de-
fectus, deficit peccator, v. g. homo, quia
mutabilis: mutabilis vero quia creatu-
ra: ſolus enim Deus creator immutabilis:
creatura autem eatenus ſubſiſtit & opera-
tur, quatenus Deus eam ſuſtentat & fulcit

ἐν αὐτῷ γὰρ ἔσμεν καὶ ἐν αὐτῷ κινοῦμεν.

Itaque cum Deus ſubſtrahit creaturæ opem & auxiliarem manum ſuam, creatura non tantum deficit, vel σφάλλει in operationibus, ſed etiam eius eſſentia corruit ſicut canit Pſalmiſtes Pſalm. 104. his verbis iuxta paraphraſim ποιητικωτάτου gentilis & contribulis noſtri.

Atque adeo quæ terra aruis quæ fluctibus æquor,
Te magnam pandente manum ſaturantur abunde.
Omnia te rurſus vultum condente fatiſcunt.

Cum rationalis creatura, puta homo omnis, in quo eſt defectus ad peccatum (excipe Chriſtum hominem, in quo eſt defectus à peccato, vt ita loquar, licet ſtricte loquendo quod hîc dicimus defectum, in Chriſto non eſt defectus proprie, ſedpotius perfectio) deficit in operationibus vel actionibus quæ debent eſſe ſecundum Dei legem, peculiariter & vſitate peccare dicitur, & quia hoc non accidit niſi cum Creator pro ſua ſumma libertate creaturam rationalem relinquens mutabilitati ſuæ, ei ſubtrahit tam neceſſarium auxilium: ideo Deus à nonnullis deficiens cauſa peccati dicitur, quia nimirum non impedit creaturam peccare, dum certo conſilio ſibi ſoli relinquit, eique manum adſiſtentem ſubducit Deus prout facit creaturam maxime libere, ita eam fulcit

liberrime, ex mero nempe ipsius bene placito sine vllo debito, cui, quæso, tenetur is qui est super omnia nisi cui seipsum ex promisso gratis obligat, ex gratia ergo facit creaturam, & eam fulcit quando quandiu & in quantum vult, iuxta illud, ex gratia sumus id quod & tales quales sumus quodcumque & qualescumque sumus: Deus autem te creaturam fecit non propter te, sed propter ipsum, & ex te vult trahere, pro suo creatoris absoluto iure gloriam suam non vt tu tibi proponis φαντάζεις, sed vti ipse sapientissimus secum decreuit.

Variis modis Deus ex creaturis trahit gloriam suam, v.g. Angelos omnes creauit bonos, ex quibus nonnullos pro sua εὐδοκίᾳ peculiari ope continua sustentat ne labantur quosque nos nunquam pie cum Scriptura credimus lapsuros, ex his vt nunc videas sustentatione perpetua, suam gloriam trahit Deus, adsistentem continuare exiguo post creationem tempore desiit: ex Angelis vero alios suæ ipsorum mutabilitati reliquit Deus, iisque manum suam adsistentem pro liberrimo suo placito continuare desiit, hi statim atque sibi relicti fuerunt, idest, exiguo post creationem tempore lapsi sunt nec vnquam ex lapsu, vt docet sacra pagina resurrecturi sunt.

Ex his posterioribus, id est, & Angelis lapsis trahit gloriam suam Deus dum eos sempi-

terno, eoque iustissimo iudicio, grauissime punit. Verum cum homine longe aliter agit Deus quam cum Angelo, via certe quam omnium Dominus pro sua summa sapientia homini conuenientissimam iudicauit. Itaque in initio hominem vnicum, sed marem & fœminam, certo consilio condidit, nam licet re vera fuerint duo, censentur tamen vnus homo, duo nimirum in carne vna, deinde hominem marem & fœminam pro secreta sua sapientia, pauxillo admodum post creationem tempore mutabilitati suæ reliquit, ac ita labi hominem permisit, prout alteros Angelos, vti iam vidimus, sed ex hominis lapsu aliter trahit sibi gloriam Dominus quam ex lapsu Angelorum, siquidem restituens reuelans hominem lapsum ei pro sua in ipsum φιλανθρωπία misericordiam ostentat quod Angelis lapsis pro occulto suo iudicio facere Deus noluit. Cum autem dico Deum restituere à lapsu releuare hominem, caue putes me de omni & singulo homine id accipi velle: nam alios homines in lapsu vnà cũ malis Angelis itidẽ suo iudicio manere sinit, à quibus vna cum illis iustos ob peccata pœnas exigit, alios vero homines releuat in quos pro sua εὐδοκία benignitatem cũ bonis Angelis exercet: nam licet omni homini peccatori (Omnis enim homo est peccator, excipe eum hominem qui pro aliis hominibus factus est peccatum) palàm miseri-

cordiam, oſtentat Deus: ij tamen homines ſoli à lapſu reſtituuntur, quos Deus ab æterna pro ſuo in eas beneplacito gratia peculiari reſtituere decreuit: reliquos vero homines in lapſu pro occulto iudicio ſuo vt iamiam dicebamus, permanere ſinit: neque interim Deus homini quem à lapſu non releuat, iniuriam vllam facit, quod alios homines ipſis in peccato relictis à lapſu reſtituat, prout nec Angelis iniurius eſt, quos à lapſu non releuat, quod alios Angelos labi non permittat: de ſuo enim æquum eſt, agat Deus prout ei libitum fuerit.

Cæterum ſupra vidimus peccatum eſſe purum putum & merum non ens, quare hic monendus es eas locutiones in Scriptura ſacra, quæ quid aliud prima facie, præſertim ſi ad litteram accipias, innuere videntur vſurpari à Spiritu ſancto in ſignificatione mutuatitia, vt & id genus alias locutiones: nam pro ſumma ſua erga nos benignitate incommodum noſtrum ſtilum, vel formam dictionis captui noſtro imbecilli accommodat, qui mirum in modum in hoc ſtatu miſeriæ rudes ſumus ideo rudi ſtilo cum rudi populo agere voluit Deus, quare omnia quæ proponuntur in ſcriptura ſtilo vulgari non eſſe κατὰ ῥητὸν accipienda, nec rigide verba ipſa ad libellum Philoſophiæ eſſe exigenda vides, ſed ad ſenſum & ad ſcopum Spiritus ſancti po-

tius attendendum: interim in ſcriptura reperias plurima, licet quæ ſubtiliſſimam olent Philoſophiam, v. g. ſolus vnicus Deus eſt verus & bonus, in eo ſumus & mouemus omne bonum à Deo, imo principia ἀναντιλεγόμενα, hinc vt ex fonte hauriuntur: quare ſi quid occurrit in ſcriptura quod repugnare videtur principiis veræ Philoſophiæ vel rectæ rationis, caue id ad litteram interpreteris vel proprie ſiue exacte dictum putes.

Nunc ſciendum eſt cum peccatum ſit malum & non ens voluntatem non ferri ad id ἑκουσίως ſponte & libere qua tale: hoc enim ſub reſpectu id omnino auerſatur, vt nolibile, quare cum voluntas fertur ad peccatum id vt bonum concipit decepta, nimirum ab intellectu, qui ita male iudicauit prius ipſe deluſus à ſenſibus deprauatis: intellectus autem prout in ſuperioribus demonſtrauimus, intelligit plurima non niſi per phantaſmata, quæ non poſſunt eſſe vere vera, & clara cum ſenſus ſint male affecti, quibus procedunt. Itaque ſenſus male affecti imponunt intellectui per peruerſa phantaſmata intellectus, ſic deceptus inuitat voluntatem ad appetendum poſt ea ſuperuenit violentia θύμου, & ἐπιθυμίας deprauatorũ à quibus voluntas miſera quaſi præceps rapitur ad malum, ac ita demum peccatum committi dicitur.

Interim notes velim dum voluntas fer-

tur ita ad malum id non facit inuite, siue coacte, sed sponte & libere sequitur intellectus: iudicium ergo cum in scriptura audies voluntatem hominis omnino ferri ad malum, hoc cum priori præcautione accipiendum.

Item cum dicitur voluntatem hominis auersari bonum id fit, quia intellectus conceperat prius bonum esse malum, alioqui bonum est proprium, at solum voluntatis obiectum, ac tantum volibile: porro peccatum dicitur voluntarium non proprie & primo, quia est in voluntate agente vt in subiecto: sed quoniam est à voluntate agente, quæ re vera est intellectus secundum substantiam, sed dicitur voluntas, quia agit volitionem: ex hactenus dictis disces quo sensu ab Apostolo Paulo in Epistola ad Hebræos peccata vocantur ἀγνοήματα, cap. 9. vers. 5. quia qui nimirum ignorantia in intellectu parit errorem siue peccatum in voluntate, vt vulgò dicitur, aliter nota ἀγνόιαν, siue ignorantiam in intellectu, vnde peccatum non tantum esse eorum quæ intellectus nunquam sciuit siue ea sunt iuris, siue facti, vt loquuntur, sed etiam aliquando contingere intellectui ignorantiam in iis quorum alioqui est maxime sciens, contingit vero hæc ignorantia intellectui propter eius obnubilationem à sensibus θύμῳ & ἐπιθυμίᾳ deprauatis, v. g. quis feruens irâ vel odio fratrem, vel proxi-

mum occidit, non tunc eum cognoſcit vt fratrem, ſed vt inimicum, dum tale facinus committit, procul dubio tunc non cernit ſiue intelligit hoc non eſſe bonum, quippe iræ feruenti impeditus: ſedato autem feruore iræ facile perſpicit quod in perpetratione facinoris non viderat: verum enim vero homo cum peccat in hæc incedit incommoda primo ſe auertens à Deo offendit Deum ſeipſum & proximum ſuum, hæc eius offenſio communiter culpa dicitur, ſecundo ſeipſum obligat ad punitionem propter culpam, hæc ad punitionem obligatio vulgo reatus vocatur: poſtea homo propter ἀνομίαν ἐνπράξεσι, iuſte reipſa punitur, vnde pœnæ peccati appellatio naſcitur, pœna variis modis ſumitur: primo eſt pœna damni, vti vocant, quæ debet eſſe infinita propter auerſionem in peccato, à Deo infinito, ac ita amiſſionem boni infiniti, deinde eſt pœna ſenſus, quæ debetur conuerſioni peccatoris ad creaturam rem tranſitoriam relicto creatore ſempiterno, hæc pœna ſenſus debet eſſe intenſiue finita, quemadmodum delectatio peccatoris quæ ex ea re percipitur, ad quã ſe peccans conuertit eſt finita, aſt continuationi in peccato debetur pœnæ æternitas, vt ceſſationi à peccato eiuſdem toleratio ad tempus tantum debetur peccatis per pœnitentiam ὑπερφυσικῶς interruptis non debetur æternitas pœnæ, ſed extremi-

tas, denique peccatum linquit in peccatore maculam & labem quandam, quo non ſolum ſordidi & viles in conſpectu Dei, creaturarum & noſtro ipſorum ſumus, ſed etiam minus proni ad bene agendum, & magis propenſi ad male agendum ſimus.

Verum Deus pro ſua miſericordia his incommodis electos liberat, licet in hac vita tantum ex parte & inchoatiue vti eos interea exerceat: in vita vero futura in totum & omnino eos ab incommodis his eximit, vbi & perfecte eos beaturus eſt.

Peccatum aliud vulgo dicitur, vt ſupra innuebamus actuale (quod ſolum proprie loquēdo eſt peccatū) & nihil aliud eſt quā aberratio ſiue claudicatio ἐν πράξεσι, vel actibus noſtris à lege Dei, hoc peccatum actuale dicitur imputatum dum peccatum quod eſt alterius nobis imputatur, vel quod eſt noſtrum imputatur alteri peccatum πρωτοπλάστου hominis vnicuique noſtrum imputatur, licet id non actu commiſimus, nam quemadmodum ſi Adam permanſiſſet in integritate iuſtitia eius ad nos deſcendiſſet, & iuſtæ propter eam æſtimatæ fuiſſent animæ noſtræ, ita eius lapſu peccatum eius ad nos peruenit, & iuſto iudicio, ſed ſecreto Deus propter peccatum primi parentis reputat animas noſtras peccatrices, etiam ſi forte nunquam peccatum acta commiſerint, ſic quoque

peccata noſtra Chriſto imputantur, vt eius iuſtitia cenſetur noſtra.

Deinde peccatum aliud communiter dicitur originale quod ab origine noſtra habemus: eſt vero defectus nobis connatus, & vt ita dicam coectus, in pronitate & [coortus] inclinatione noſtra ad bene agendum, atque exacte loquendo potius fomes & fons peccatorum vnde peccata omnia emanant, quam ipſum peccatum dici debet cum ſit tantum, vt dicebamus, defectus in pronitate ad obſecundandum legi Dei, & non ipſa aberratio ab eo hoc peccatum originale dicitur eſſe nobis naturale, non quod ſit ſecundum naturam: nam certe naturæ corruptionem olet, ſed quia nobiſcum connaſcitur prout morbi quidam, licet naturam euertant, quia nobiſcum naſcuntur naturales dici à Medicis ſolent.

Nunc diſcutiendum eſt quomodo homo incidit in peccatum, vel, vt alij loquuntur, popularius quomodo peccatum introit in mundum, ſed res paulo altius repetenda.

Hic imprimis hoc vulgatum eſſe veriſſimum ſcias oportet nimirum Deus hominẽ fecit, præuaricatorem ſeipſum homo fecit, Deus cũ creauit hominem primum, corpus ei mira arte ex elementis exquiſite inter ſe temperatis compoſitum, organiſque valde idoneis, & numero ſufficientibus adornatum fabricauit: ita vt corpus illud ſic con.

ſtitutum, fuerit non tantum hoſpitium aptiſſimum ad animam recipiendam, ſed etiam inſtrumentum maxime conueniens animæ ad operandum: deinde Deus corpori iam recens conſtituto & ornato increat, & infundit animam ſubſtantiam ſpiritualem, ideſt, puram & ſimplicem præditam tribus principibus facultatibus, puta vitali, ſenſuali, & intellectuali: vna cum minoribus poteſtatibus tanquam ancillis, quæ facultates tum principes, tum ancillantes fluunt ab eſſentia animæ, ac proinde ab ea inſeparabiles, per has facultates vtens ope corporis, vbi opus erat, anima edebat operationes ſuas bene quidem in principio, quia tum facultates animæ, tum ipſum corpus bene ſe habebant, ſed poſt ea male edere cepit operationes ob malam tum facultatum animæ, tum corporis diſpoſitionem, vt infra mox ſuo loco videbimus: tertio præter bonam hanc hominis, tum reſpectu corporis, tum animæ conditionem vltra & inſuper Deus hominem pro immenſa ſua erga ipſum benignitate excellentiſſimis decorauit donis, quæ quod non fluant ab eſſentia, vel natura hominis, ſed vltra & incumulum, quaſique in auctarium ſupra eſſentiam, ſiue naturam acc edant, vulgo ſupernaturalia audiunt.

Interim tamen ea lege homini ſunt conceſſa hæc nobiliſſima dona, vt ~~animam~~ omnia

ſibi & ſuis eſſent in perpetuum propria, ſi in legis Dei obedientia hic & illic ſtarent: ea autem dona erant fere eiuſmodi primo clara & diſtincta cognitio creaturarum, vna cum imperii in creaturas inferiores & ſuperiorum creaturarum auxilio: vnde non tantum omnibus benevolus fuit, ſed & iis nomina ex naturis earum & officiis appoſitiſſime impoſuit hinc vt hoc obiter res ipſæ dictæ ſunt φερώνυμοι, quod & alibi notamus, ni fallor: Deinde cognitio ſui ipſius exacta & exquiſita vnde amor ſuipſius rectus: tertio & ſuper omnia cognitio Dei, eiuſue voluntatis vera creaturæque ſufficiens in intellectu, vnde in voluntate deſiderium ſincerum ei adhærendi, vt maxime & ſumme volibili ac ſummo bono, atque conſequenter poſt prædicta habebat homo perfectam iuſtitiam, ſanctitatem ſynceram, & rectitudinem ſimplicem: verum hominem in ſtatu a Deo excellenti conſtituit, tamque pulchris muneribus locupletauit, vt ab eo gloriam traheret, gloriam autem trahere Deus voluit ab homine in ſtatu ſupra alias creaturas poſito, & ad Angelos beatos propius accedenti, modo ſupra creaturas alias excellentiori, & ad Angelos propiori, nimirū actionibus & operationibus excellentibus, creatura ita eximiis dotibus ornata dignis, ac vt homo id melius & facilius præſtaret normā Deus ei præſcripſit, ſecundum

quam operationes dirigeret, & ad quam tanquam ad amussim eas examinaret.

Hæc autem norma quam homo debet seruare in actionibus est lex, vel mandatum quo Deus homini declarat quod ab eo pro tot totisque beneficiis ipsi fieri voluit, interim homo ita bene constitutus & excellentibus muneribus dotatus mutabilis semper fuit natura, prout quælibet creatura alia quæcumque illa sit, mutabilis, inquam, in deterius, vel, si mauis, vnica voce labilis, tum quo ad esse, tum quo ad operari: mutari autem in melius non potuit homo manens in eodem genere rerum, quodque enim optimum fecit Deus in suo genere. Porro res quæque, quod, & alibi docuimus, in tantum est, & in tantum operatur in quantum à Deo dependet.

Quare res omnis in suo statu opus habet Dei auxilio proximo quo sustentetur & iuuetur, alioqui non solum in operationibus deficit, sed in τῷ esse corruit: à quo enim esse ab eo conseruatur esse. Itaq; Deus hominem fulcit ne in operationibus deficiat ac ne in essentia corruat, verum vt Deus libere pro beneplacito voluntatis suæ res omnes producit ita libere & pro εὐδοκίᾳ sua res omnes sustentat, nec vlli creaturæ tenetur: ideo pro infinita sua sapientia creaturas suæ ipsorum mutabilitati relinquens iis, interdum in totum opem

ſuſtentatricem retrahit, quæ tum in totum corruit, inter dum vero ex parte tantum manum fulcientem retrahit, & tum ex parte deficiunt, ac ita pro ineffabili & ſecreta ſapientia ſua hominem in ſtatu fœlici, de quo iam loquutum, & dotes tam eximias habentem ſuæ ipſius mutabilitati relinquit, eique opem aſſiſtentem ex parte ſubſtrahit.

Iam Sathan cacozelia & inuidia contra hominem totus ardens, quod hominem creaturam, licet in ſeſe quidem excellentem, tamen natura ſibi paulo inferiorem adeo fœlici eſſe conditione cerneret, intentat animum ad omnes occaſiones, quibus homini in ſtatu ſuo beato noceat, ſibique iam lapſo miſeria ſimilem faciat.

Itaque gnarus mutabilitatis naturalis, vel creaturæ intelligentis quippe ſua ipſius miſera experientia edoctus tentat, nam Deus hominem ſuæ naturali mutabilitati, vel minimum relinquat certus de victoria, ſi hominem vel tantillum mutabilitati, ſiue relictum inuenire queat, nec ſpe fruſtratus eſt, vt miſer euentus oſtendit: verum vt cautius, & faciliori opera ſuum inceptum peragat hominem imbecilliori ſexu, ideſt, fœminam adit tanquam reſiſtere minus firmam, vincique magis facilem, quamque præſagiebat, non ſolum ipſam poſſe decipi, ſed & deceptam etiam virum decipere poſſe fœmi-

nam: ergo aggreditur verbis blandis & adulantibus genio huius infirmi sexus conuenientibus, atque suæ erga ipsam & maritum charitatis speciem præ se ferentibus, quæ illa auribus auidissime haurit, vnde fictum & fucatum intellectui miseræ phantasma oblatum, à quo intellectus delusus est, & intellectus ita deceptus incitat voluntatem, ac vt diabolus fidem dictis faceret eligit obiectum quo fœminam potissimum moueri videbat.

Itaque ostentat fœminæ pulchritudinem pomi vetiti quam illa oculis auide deuorat, vnde etiam nouum fucatum phantasma intellectui misellæ offertur, à quo vltra intellectus delusus, qui denuo incitat voluntatem: denique minores animæ potestates puta θύμος ἐπιθυμία, & τοπηκινητικὴ sequentes sensus nobilissimos, puta visum & auditũ iam deceptos voluntatem ab intellectu motam secum trahunt, cui ex naturæ præscripto debebant obedientiam, vt sensus intellectui post hæc sequitur voluntatis determinatio postquam determinationem tandem in ipso actu externo violatur plene Dei mandatum, cum nimirum fructus vetitus comeditur, ac sic vides lapsum mulieris, quæ sine mora illudit viro, eumque labi secum facit, prout ipsi prius diabolus illuserat, eamque labi fecerat, atque ita habes modum quo homo in peccatum incidit, hic obiter notes velim

eos ſenſus, puta viſum & auditum, qui ob ſubtilitatem maxime debebant inſeruire intellectui, eumque iuuare, cum primum opera diaboli decipere, iis autem ſenſibus prædictis decepturus fœminam illuſit Sathan, quia intellectus non adeo facile recepiſſet illuſionem, vel phantaſma fictum ſiue fucatum ab aliis ſenſibus craſſioribus ob maiorem diſtantiam inter hos ſenſus craſſiores, & ipſum intellectum: illis vero ſubtilioribus qui magis accedunt ad intellectus naturam intellectus magis fidit. Itaque magis facile ab iis decipi potuit, vt quis facilius fallitur à proximis deprauatis quam extraneis.

Nunc videamus quæ incommoda ſequuta ſint hunc hominis lapſum: primo loco homo lapſu ſuo amiſit ea dona intellectus & voluntatis, quæ ſupra dicebamus vocari ſupernaturalia, qualia fuerunt in intellectu cognitio Dei eiuſque voluntas exacta, prout in eiuſmodi creaturam cadere potuit, & in quantum ad eius fælicitatem hic in terris ſufficiens fuit, nec non voluntatis deſiderium Deo adhærendi notitia ſui ipſius vera, vnde amor ſui rectus cognitio creaturarum vna cum imperio in eas & beneuolentia erga eas poſt quæ erat iuſtitia perfecta, ſanctitas ſyncera, & rectitudo ſimplex: Deinde amiſit homo lapſu ſuo integritatem illam eximiam in omnibus animæ facultatibus, poſtea homo lapſu amiſit

primogeniam illam perfectionem in organis corporis nominatim in humorum temperie: hæc autem quæ πρωτοπλαστὴς lapsu suo amisit, ea non tantum sibi, sed etiam & posteris suis perdidit vt supra declaratum, cum ea hac conditione accepisset, vt si in mandatis Dei maneret, ea dona non solum sibi permanerent, sed & ad posteros continuarentur sin laberetur, ea sibi & suis amitteret. Denique lapsum hominis subsecuta est mors, verum Deus pro sua φιλανθρωπίᾳ hominem in tot & tantas angustias licet sua sponte, lapsum miseratus est.

Itaque eum penitus interire noluit, prout iuste debebat: neque enim statim extreme perire permisit, sed ei miser quandam, vt ita loquar, ἀναπνοὴν concedit, mortisque extremum gradum in tempus certum differt: deinde non solum potestates animæ hominis peccatoris naturalis quamuis valde peccato læsas, sed etiam reliquias & scintillas nonnullas supernaturalium donorum in facultatibus animæ eius, etiam lapsi permanere sinit, nec non perfectionem qualemcumque in partibus, & temperie corporis illius superesse permisit, & quod omnia superat Deus homini, nunc misero peccatori viam qua ipsius iustitiæ satisfiat, eumque à morte peccato debita liberet ostentat, ast hoc alius est contemplationis: quare de eo non amplius hoc in loco

& quod instat agamus, ita homo permissu Dei post lapsum viuit adhuc, verum peccato lapsu, vt iam diximus, non solum donis supernaturalibus maxima ex parte priuatus est, sed etiam in naturalibus animæ facultatibus plurimum læsus, atque etiam in partibus & temperie corporis non exiguum detrimentum passus est, idque merito: per corpus enim peccatum incepit & adimpleuit homo, vt iam vidimus, homo quandiu viuit operatur, imo ipsa vita actio est, agit, inquam, homo per facultates animæ atque plurima vtens ope corporis operatur, ast cum defectu & male agitat ac operatur, quia ea per quæ & quibus inter operandum vtitur, id est, facultates animæ & partes corporis, non iam bene se habent hunc defectum actionum hominis, notabis primum in iis operationibus, quæ fiunt per facultatem vitalem, & ope organωn ei inseruientium, deinde in actionibus, quæ fiunt per facultatem sensitiuam ope sensuum, tertio in iis actionibus quæ fiunt per facultatem intellectualem, idque non tantum in iis actionibus quæ fiunt ope sensuum & phantasmatωn nec non certorum organon, prout plurimas edit homo actiones, per facultatem animæ intellectiuam auxilio phantasmatum. & sensuum: atque ~~nonnullas apertorum~~ Caterorum organon, sed etiam in iis actionibus quæ fiunt sine vllius tertij ope vel

auxilio: Ergo homo intelligit & vult &c. cum defectu & ἀταξίᾳ.

Item sentit θυμῶ ἐπιθυμῶ pariter cum defectu & ἀταξίᾳ, denique facultatis vitalis munia exercet, id est, alit, auget, procreat quoque cum defectu & ἀταξίᾳ, nec aliter quit ex sese ad has angustias redactus, sed iis omnibus, hoc in loco aliis operationibus quæ non sine defectu & ἀταξίᾳ fiunt, omissis de procreatione, pro re præsenti dicere contenti erimus, quod hic breuiter facimus: primi ergo parentes in peccatum lapsi, tunc primum & non ante, generationi prolis dant operam, licet enim homo integer mansisset, generare non desiisset, iuxta ordinationem creatoris primam, ante peccatum, vt hæc ferunt verba fructificamini, & multiplicamini, &c. Tamen prius labitur homo quã, procreãdi munus aggreditur. Itaque non nisi lapsus primus homo generationis actum exercet quod sine ἀταξίᾳ, & defectu non leui in hoc misero rerum statu facere non potuit: ac ita per actum generandi ἄτακτον producit prolem sibi similem, idest, ἄτακτον & defectibus plenam, est proles hæc, ita ἄτακτος, & defectibus scatens non potest agere nisi ἀτάκτως, & cum defectu: quod enim vt est ita agit, nec melius quit: nam vltra esse non est posse, & cuiusque esse est, in operari: quare cum primi parentes ipsi ἄτακτοι opus generandi ἀτάκτως exercuerint, quo

prolem non ſolum ἄτακτον, ſed ipſis longe ἀτακτοτέρων produxerunt, &c. cum omnia in deterius vergant proles ſiue poſteri primis parentibus multum ἀτακτότεροι, & vitioſiores maiori multo cum ἀταξίᾳ quam parentes procreationi ſtudent, atque prolem adhuc vitioſiorem producunt: generationem enim per homines iam peccatores fieri ἀτάκτως admodum ex particularibus eius actionibus clarum eſt, ſic primus generandi actus eſt coitus maris & fæminæ, qui cum ſumma ἀταξία & ἀνομία fit, in quo actu ſemen intemperie iam affectum quippe è corporibus in intemperiem per peccatum lapſis extractum eiaculatur & emittitur: deinde ſemen illud intemperatum ab vtroque parente emiſſum ab altera parente, ideſt, fœmina cum ἀταξίᾳ pari in certum locum ei muneri deſtinatum, exceptum, vt ita dicam, concipitur & conceptum fouetur: hinc Pſalmiſtes ait, *in iniquitate conceptus ſum*. Tertiò, Ibidem loci, id eſt, in vtero fœminæ cum ἀταξίᾳ certè magna per virtutem formatiuam ſiue πλάστικην corpus fœtus dolatur, formatur, paratur, & vltimo ad animam recipiendam diſponitur: aliter autem nequit operari, hæc virtus πλάστικα, ſiue formatrix quam cum ἀταξίᾳ quin ipſa tota eſt in ſemine, vnde emanat: ſemen autem eſſe intemperamentum toties iam inculcauimus.

Quare non indicta cauſa idem Pſalmi-

ſtes ait, *In peccato formatus ſum*, verum hic audio nonnullos dicere intemperiem, & ἀταξίαν in ſemine, ſiue in corpore eſſe fomitem potius morbi in corpore dicendum, quam peccati quod ab anima committi dicitur quippe intelligenti & non à corpore bruto.

Reſpondeo ἀταξίαν & intemperiem in corpore ferre æquè ad peccatum ac ad morbum, licet corpus ſit brutum ratio eſt, ope corporis, in pleriſque muniis & operationibus vtitur anima quandiu eſt vnita corpori : bene autem operari nequit anima ope corporis ſi corpus eſt male diſpoſitum : cum autem operatur anima ope corporis, in iis ſcilicet operationibus, quæ particulariter actiones & praxes dicuntur tunc peccatum plene committitur.

Tandem poſt de quibus iam diximus, rite abſoluta in corpore nouo ita ἀτάκτως diſpoſito, & intemperato Deus ſecundum ordinem quem à primordio inſtituit cum primum hominem conderet ex nihilo, increat animam ſubſtantiam in ſeſe puram & ſimplicem, præditam quidem facultatibus, eſſentialibus vitali & ſenſitiua & intellectuali, ſed valde, vt iam diximus, læſis cum minoribus poteſtatibus à principibus hiſce dependentibus, earumque ancillis pariter. Item ſecundum gradum ſuum labefactatis non habentem dona ſupernaturalia vt ſunt iuſtitia perfecta, ſan-

ctitas syncera, rectitudo simplex, &c.

Iam Deus dum nouo corpori increat animam considerandus est, non tantum vt creator, sed etiam vt Iudex; creator animæ est Deus, quo ad substantiam quæ creatura est pura, simplex, bona τῆς ἀνοίᾳ prædita potestatibus ab essentia eius inseparabilibus, vt Iudex vero consideratur Deus in creatione animæ quo ad creationis circunstantias, & hanc nominatim quod cum increat animam nouo corpori non simpliciter creat animam, sed vnam ex Adami prævaricatoris filiis animam, ac ita vt iustissimus Iudex ex iusta ordinatione non solum punit præuaricationem Adami in ipso, sed etiam in omnibus & singulis eius posteris ab eo per generationem ordinariam parentum maris, & semine descendentibus dum nimirum animam nouo corpori increat eam, vt ita dicam, deserit Deus, quo ad imaginem suam in Adamo præuaricatore amissam, id est, quo ad ea dona in quibus maxime elucebat Dei imago in homine integro: nam ea non contribuit animæ nouæ Deus, ex qua desertione & non contributione sequitur, vt ita loquar, non habentia iustitiæ in esse debitæ neque Deus vel tantillum contra iustitiam facit cum punit præuaricationem Adami, non tantum in ipso, vt diximus, sed etiam in eius posteris sub eodem reatu comprehensis, quemadmodum

rex aliquis nihil iniusti facit dum crimen læsæ Maiestatis punit, non tantum in ipso subdito reo, puta nobili dum ipsum priuat nobilitatis priuilegiis, sed etiam cum punit crimen in prædictis subditi rei tanquam sub eodem reatu criminis comprehensis iam in nouo homine constante tali corpore ἀτάκτῳ & tali anima non habente iustitiam, &c. statim & continuo pullulat quasi ex communi radice tum in anima tum corpore inclinatio peruersa & propensio deprauata vtriusque tum corporis, tum animæ ad male & ἀνόμως agendum quæ propensio est fons & fomes omnium peccatorum: vnde peccatum originale dici solet non tantum quod nobiscum, vt supra vidimus, oritur, sed etiam quia dat originem omni peccato, anima nostra, vt sæpius diximus corpori vnitur non solum, vt ad informet, ac ita ex eo & corpore constituatur compositum homo, sed etiam vt corpore vtatur tanquam instrumento ad operandum idoneo.

Itaque statim atque creata est & corpori vnita ad operationem procedit per facultates sibi essentiales & inseparabiles, ope corporis, sed operari non potest anima per corpus ἀτακτον, nisi ἀτακτῶς operatur: ἀτακτῶς, inquam, anima non semel, sed ordinarie aliter nequit ob corporis ἀταξίαν, & suam ipsius in naturalibus læsæ supernaturalibus donis destitutæ imbecillita-

tem, & tandem lapsu temporis creaturis sic agendo acquirit, vt ita dicam, habitum ἀτάκτως agendi: eo autem facilius incidit anima in eam operationum suarum ἀταξίαν, quia primo operatur præcipue per eam facultatem, puta vitalem, quæ in operationibus prorsus à corpore ἀτάκτῳ dependet: nam nihil omnino operatur per eam facultatem sine organis corporis quæ sunt ἄτακτα, deinde cum aliquandiu his operationibus facultatis vitalis operam præcipuam impendit ad operationes facultatis sensitiuæ procedit, magis serio vacat quam prioribus, hæ vt priores omnino fiunt ope corporis neque aliter queũt, his autem quas itidem exequitur ἀτάκτως cum huiusce etiam facultatis organa sint quoque ἄτακτα, puta sensoria, prout prioris facultatis instrumenta sunt.

Tertio operatur anima per facultatem intellectualem manifestius & magis quam ante sed etiam ἀτάκτως præsertim in iis operationibus quæ fiunt per eam ope exterorum corporis organon ἀτάκτων & ope phantasmatum, quæ phantasmata quia à sensibus ἀτάκτως oblata non possunt esse nisi ἄτακτα: per hæc autem phantasmata intellectus intelligit sensualia; hæc, operationũ ἀτάκτων continuitate imprimitur animæ miseræ ἀταξία, ne quis miretur ἀταξίαν vt ita loquar, rudius communicari animæ recens creatæ, quæ est instar tabulæ rasæ nuda

& vacuâ iis auxiliis, quibus contra mala & incommoda muniri ex conditione suæ primæuæ debebat.

Itaque omnis impressionis eiusque potius malæ quam bonæ capax est: à malè autem disposito corpore non potest nisi malam impressionem accipere, neque nouum videri debet malum à malo corpore, licet bruto communicari animæ spirituali miseræ desertæque, quo ad Dei imaginem, vt iam iam dicebamus, quum ab initio ita factum videas, siquidem, in primo lapsu Adami primum ἀταξία fuit in sensoriis audiendi, & videndi, à quibus deinde ad sensus, id est, vt ita loquar, ad exteriorem animæ partem, & per sensus demum communicata intellectui parti animæ interiori fuit quidquid anima, licet spiritus, ac proinde naturæ longe diuersæ à corpore bruto adesse simul vna cum eo, & id informare ordinata est.

Cæterum hæc communicatio qua dicimus malum communicari ab ἀτάκτῳ corpore misellæ animæ prolis pusillæ est multo facilior factu quam illa qua ἀταξία à corpore Adami, in eius animam venit. Nota diligenter licet ἀταξία prima in agendo fuerit in corpore, vnde emanauit ad animam, tamen primario & præcipue anima peccasse dicitur suoque peccato primitus carnem in fecisse, eamque corruptibilem reddidisse, quia anima corporis est domina:

eius enim imperio & regimini ſubditum eſt corpus, prout auriga cum equi currum trahentes per effrænem petulantiam euertunt currum præcipue dicitur id feciſſe, quia non coercuit equos, ne id committerent, quos ſub imperio habet ex dictis diſcere potes quam vere dicatur illud vitiorum originem eſſe in ſpiritibus à ſanguine perturbatis.


Item illud alimenta multum promouent & retardant vitioſitatem & probitatem meam quia iis ſcilicet nutriuntur ſpiritus vitales, & hi rurſus fouent ſpiritus animales quorum ope virtutum in agendo: quodlibet autem agens dum operatur per inſtrumētum iuxta conditionem inſtrumenti ne quis nunc obiiciat quod Deus hoc pacto eſt animæ noſtræ iniurius dū eam vnit corpori ita ἀτάκτῳ: nam Deus conſideratus vt creator cum animam infundit corpori, non habet rationem eius ἀταξίας, quia ἀταξία non eſt creatore Deo, ſed ab ipſo creato homine verùm animam humanam vnit corpori humano Deus conditor ſecundum ordinem, quem ab initio inſtituit, vt ex ambobus ſimul eſſentialiter vnitis compoſitum puta homo conſtituatur: præterea ſi Deus conſideratur, vt iudex dum infundit animam humanam miſellam corpori ſuo ἀτάκτῳ tunc iuſtitiam facit, quia ſic punit crimen communis parentis Adami in ſingulis eius poſteris, ſub reatu eiuſdem

criminis contentis, neque quis obiiciat Deum facere iniuriam animæ dum eam labi ſinit in ἀταξίαν vna cum corpore ἀτάκτῳ: primum enim omnia ita libere agit, vt nullæ creaturæ teneatur niſi ex mera gratia deinde iuſtiſſime agit Deus dũ animas ſingulorum hominum ſinit labi in ἀταξίαν vna cum corporibus, quando primus homo omnium poſteriorum vnus & communis parens attraxit hanc ſibi & ſuis ἀταξίαν ſiue ἀνομίαν ſua culpa per animam ſimul cum corpore, poſteri autem Adam, quia cenſentur eiuſdem criminis cum eo rei, vt iam dictum eſt, cum eo puniuntur hæc ſcilicet via qua pro ſapientia ſecreta creator iudex voluit.

Iam aſſerimus peccatum originale ad nos à parentibus aduenire. Primum, quia ab iis vere trahimus naturam totam humanam vnà cum eius infectione per generationem totalem, ſed ἄνομον & ἄτακτον: dico autem nos habere vere naturam totam humanam à parentibus reſpectu illius actiuæ diſpoſitionis per quam materia fit ſuſceptibilis formæ quam diſpoſitionem ſequitur naturaliter, vnio ſubſtantialis animæ & corporis, ex quibus conſtat natura humana: peccatum autem primo communicatur nobis à parentibus ſecundum carnem quæ contagione quadam inficit animam vt vas acidum aceſcere facit vinum: deinde & præcipue per animam peccatum propagatur à

parentibus siue ab iis communicatur liberis sicut per eam licet secundo, tamen præcipue peccatum est commissum, dicimus autem peccatum propagari per animam, nempe per concupiscentiam ἀνόμον siue voluntatem peccatricem quæ comitatur actũ generandi in generantibus: & tum semen extrahitur quo successio fieri dicitur, & hoc non tantum cum natura naturæ succedit, sed cum persona personæ, idque voluntate propagantis: hic notes velim simplicem extractionem seminis in generatione non esse causam propagandi peccatum, sed concupiscentiam, vt diximus, &c. his consona sunt 1. illud Ioan. vbi *Homines dicuntur geniti ex voluntate carnis.* Item illud quod legimus cap. 5. Genes. *Adamum genuisse filios suos ad imaginẽ suam*, idest, corruptam: nam iamdudum peccauerat Adamus. Iterum illud Ioannis *quod nascitur ex carne caro est*: denique quemadmodum fons è loco cęnoso erumpens vitium contrahet, non ab aqua solum, nec à terra solum, sed ab vtroque simul: sic homo nascens à corporis parentibus, nam ab anima parentis solum peccatum propagatum recipit, nec à corpore solo, sed ab vtroque simul: hoc in loco discis causam cur peccaum non peruenerit ad Christum, quia licet semen extractum fuerit à beata Virgine ad constitutionem corporis Christi, tamen id fuit sine vlla concupiscentia carnali, imo sine vo-

lũtate parentis: quare non eſt mera natura Adami vel parentis, quæ propagat peccatum, cum Chriſtus ἀναμάρτητος prorſus, quod naturam humanam deſcendit à Spiritu ſancto formatus: interim Chriſtus, licet ipſe non peccauerit, pro nobis pertulit miſerias quæ fluunt à peccato Adami, v. g. in anima mærorem, metum, tædium, &c. In corpore famem, ſitim, &c. Sed non eas miſerias pertulit quæ à peccato & cauſa particulari oriuntur, vt febrim, lepram, podagram, &c. quia peccato fuit immunis ex hactenus dictis, nunc liquere peccatum propagari à parentibus in prolem, ac etiam quo pacto id fiat ſine traductione animæ prolis parentibus, non adeo obſcurum eſſe puto, atque hæc cuiuis moderato ſufficiant. Itaque manum de tabula hic ſubducimus.



CAPVT V.

SECTIO I.

In qua diſputatur, vtrum anima humana corpori ſuo vnita ſit in eo, an vero extra id.

NVnc explicatis luculentur ſatis, vt putamus, quatuor primis hiſtoriæ animæ humanæ capitibus tempus eſt, de ſequentibus agamus, in quibus breuiores quam in hactenus tractatis eſſe conabimur, ne in nimium liber excreſcat, & ita lectori oneroſus euadat, ſed ad quintum huius doctrinæ caput veniamus, in quo, prout ſupra polliciti ſumus de ſede vel loco animæ noſtræ corpori ſuo vnitæ ſermo nobis erat, quæ res ſuis etiam difficultatibus eſt intricata, & variè à variis agitata, quas difficultates omnes, Deo duce, via facili & compendioſa, ac vt ſperamus, clara, paucis expediemus: verum antequam vltra ex ſperioribus in memoriam reuocandum

eſt animam humanam vniri corpori ſuo vnione eſſentiali, ac ita arcte ei ligari, idque non tantum vt forma vnitur materiæ ſuę, ſed etiam vt agens principalis inſtrumento ſuo: nam non ſolum corpus ſuum informat anima noſtra, vt plane forma, ſed quoque corporis partibus vt organis ad operationes ſuas plurimas vtitur vt vector, ita de ea dicere potes non eſſe plane formam, nec plane vectorem: ex informatione autem corporis & operationibus per partes corporis, animam humanam ſua munia in corpore, exercere ſcimus. Interim tamen locum eius corpori vnitæ neſcimus quare merito ab iis quæri ſolet, qui locum animæ corpori vnitæ inquirunt, primo vtrum anima corpori ligata extra corpus, an intra corpus ſit, deinde ſi anima corpori vnita eſt intra corpus, vtrum eſt in certa ſolum corporis parte emittens tantum facultates in reliqua membra, an in toto corpore: tertio ſi eſt in toto corpore, vtrũ tota animæ eſt in toto corpore, & pars anima in parte corporis, an tota anima eſt tota in qualibet vel minima corporis parte ad quæ omnia ſuo ordine σὺν θεῷ breuiter, & vt ſperamus, dilucide reſpondebimus: ac hac
Quæſtio. opera doctrinã de πȣ̃, loco, ſiue ſede animæ corpori vnitæ non incommode explicabimus, ſed ad primam quæſtionem qua quæſitum eſt num corpori vnita anima ſit extra corpus, an vero intra corpus ad hanc quæ-

ſtionem à nonnullis reſpondetur animam corpori ſuo vnitam eſſe extra corpus, non vero intra corpus: quod ſi ita reſponſum eſſet ab iis ſolum qui animam humanam faciunt tantum adſiſtere corpori ſuo, vt is qui verſat totam reſponſionem hanc quã-uis erroneam, & veritati diſſonam, fortaſſe ſine ſuſpicione ſupinæ negligentiæ hoc in loco diſſimulare miſſamque facere poſſe-mus, præſertim cum tantum ſit ſequela e-ius erroris quam ſufficienter refutatum in ſuperioribus putamus, nimirum vbi expli-cabamus hæc verba definitionis animæ no-ſtræ corpori vnitæ: illic enim inuicte de-monſtrauimus abſurditatem eius opinio-nis, quæ falſo opinati ſunt nonnulli animã noſtram adſiſtere tantum corpori, prout in-telligentiæ cœlis ſuis adſiſtere dicuntur, non vero id informare eſſentialiter: euerſis autem eorum propoſitionibus facile quæ in modum ſequelæ ex iis proueniunt, ex ſe-ſe corruunt.

Cum vero non ſolum ad primam hanc ſuper τὸ πȣ̃ animæ noſtræ corpori ſuo vnitæ quæſtionem ab iis qui eam tantum adſiſtere corpori ſuo volunt, ſed etiam ab iis, qui eam corporis ſui naturalem formam eſſe, idque naturaliter informare vltro ag-noſcunt: reſponſum tamen ſit animam no-ſtram corpori vnitam ſuo eſſe extra id, quam reſponſionem ſerio perpendere, & ad libellam veritatis diligenter examinare

hoc in loco nobis incumbit: verum quid hosce viros bonos ad ita de loco animæ opinandũ mouerit: primum videamus, timor certe & reuerentia ni me animus fallit, quibus animam nostram prosequuntur in causa fuerunt, siquidem homines si metuebant animæ nostræ, ne si ea quæ est adeo nobilis & excellens substantia quid detrimenti caperet, imo ne de pura impura euaderet, quippe poluta contagio corporis, si inquam, ea quæ est à Deo diuina, tam origine quam immediate sine interuentu vllius creaturæ à Deo ipso trahit: tum naturâ quæ ad Angelos proxime accedit, tum facultatibus & operationibus quæ multa excellentissime operatur sine ope corporis vt vidimus, terrestri in corpore habitaret: verum male cauti non aduertunt huic incommodo de quo frustra sunt adeo solliciti summa prudentia à sapientissimo corporis humani conditore præuentum: siquidem summus rerũ Opifex, dum corpus humanũ conderet exquisitissimam humorũ εὐκρασίαν id habere voluit, vt sic corpus humanum foret, non tantum habitaculum bene aptum, in quo habitaret anima, sed etiam instrumentum idoneum quo vteretur anima ad operationes suas exercendum, quandiu vna cum eo esset: ita nihil ex hac parte animæ nostræ metuendum etiam intra corpus manenti modo ne nos vitio nostro periculum attrahamus, scilicet intemperantia

proh

nostra hanc primæuam humorum corporis εὐκρασίαν in δυσκρασίαν conuertentes. Quod proh dolor! nimium sæpe accidit dum cibo & potu &c. naturæ præscripta transilimus: verum cum animæ rationalis sit corporis humani forma naruralis, necesse est vt in eo, non vero extra id sit, prout omnis forma naturalis est in materia sua, non autem extra eam.

Item hoc argumento inuicte demonstratur animam nostram esse in corpore nostro, non vero extra id intelligimus quando volumus: nam ipsa experientia docet quando volumus intendere mentem ad aliquid nos multo melius intelligere quam sentire; alias non facimus, quare omnino necesse est animam per quam volumus, & per quam intelligimus esse in nobis vel corpore nostro, alias non foret tam præsto ad operandum: Iam licet anima rationalis sit in corpore, non tamen eam à corpore contineri dicimus, sed potius corpus ab ipsa quod fieri posse, licet prima fronte id impossibile videri queat: hoc exemplo disce, ignem dicimus esse in ferro, non tamen ferrũ continet ignẽ, sed potius è contrario ignis continet ferrum: interim in ipso ferro existens ignis, peculiares operationes edit. Quare vides, licet anima dicatur continere corpus, non est necesse vt sit extra corpus, non magis quam ignis qui dicitur continere ferrum, licet in ferro sit.

Hîc autem diligenter notandum est, quamuis anima, dicatur esse intra corpus, vel eius superficiem æstimant, non tamen dicemus animam circum scribi à superficie corporis: sic enim anima foret in vbi suo circumscriptiue quomodo sola corpora dicuntur esse in vbi suo, quia extenduntur ad superficiem corporis ambientis, & contrahuntur ad eius contractionem: anima vero humana, cum sit incorporea & immaterialis, prorsus nequit ita extendi extensione quæ est propria corporis quarto modo, ac consequenter nec potest esse in corpore suo circumscriptiue: interim tamen desinit anima intellectualis, prout quiuis spiritus suam habere extensionem & contractionem, puta Metaphysicam, quando nimirum ad libitum suas vires suamque substantiam modo in amplum extendit, modo in arctum contrahit, immateriali ac eminenti quadam ratione, dummodo non excedit limites naturæ suæ præscriptos, quod nunquam efficere potest, atque hinc est quod intellectus humanus haud quamquam potest actuare materiam mole monti æquali, nec vicissim æqualem atomo, quoniam quantitas harum materiarum non respondet terminis coercentibus extensionem intellectus humani secundum magnitudinem & paruitatem, alioqui nisi anima humana haberet extensionem substantiæ suæ & virtutis

ita limitatam, sed esset omnino sine vlla extensione, posset homo nasci pusillus, vt atomus, & grandis vt balena, vel mons.

Cæterum Angeli qui nullius corporis informationi destinati sunt possunt substantiam suam & vim modo in valde amplum extendere, modo arctissimum colligere cum sint, spiritus immateriales nullius indigentes loci eorum siquidem plurimi possunt in angustissimo reperiri, & vnus potest cœlo extendi: hinc plures legiones cacodæmonum in homuncionis misellicorpusculo fuisse legimus, & vnam intelligentiam totum orbem vnius cœli mouere & moderari tradunt perpatetici. Porro extensio & contractio animæ humanæ in augmento & decremento corporis, vt seruet cum corpore proportionatam extensionem fit independenter à corpore pro conditione naturæ suæ sine interuentu vllo corporis, cum vt intelligens consideratur: at vero anima humana considerata vt vegetans & sentiens extenditur corpori dependenter eius interuentu functiones obit dependenter à corpore, anima dum in incremento corporis extenditur & in decremento contrahitur, id facit immutata sua vnitate & identitate numerica à qua præcipue pendet identitas & vnitas eius animalis quod crescit & decrescit, si petis quomodo, ergo dicitur esse in corpore suo anima humana, Respondeo

primo esse definitiue tantum, vt loquuntur in scholis: definiri enim potest in quo corpore sit anima, v. g. in hoc corpore, non in illo: deinde dico animam nostram esse in corpore suo vt in supposito, vt ita dicam, sustentationis: licet enim anima humana non pendeat omnino à corpore, vt anima plantæ vel belluæ, quæ sine corpore esse nequit: tamen melius se habet anima nostra cum est in corpore quam extra corpus: imo & multa operatur cum corpore suo, quæ sine ope corporis operari non posset homo & corpus in loco sunt per circumscriptionem intellectus operatione ipsa in loco est definitione etiam est in hoc homine, non in illo: nam in hoc terminum habet, non tamen mouetur. Item hic manifestat opus suum ac ita determinatum locum habere videtur & hoc vt mouet, non vt intelligit non moueri dicitur anima nostra quia quod mouetur corpus est, & omne corpus est in loco cum intelligit: nam est in ambitu totius vel in loco, v. g. cum intelligit, cœlum extimum intellectus est ibi cum mare etiam est, ibi cum concipit Deum vel terminos vniuersi nullibi est anima.

SECTIO II.

In qua discutitur vtrum anima humana corpori suo vnita, & in eo existens, sit per totum corpus diffusa, an vero in certa tantum corporis parte sedem habens.

QVoad secundam quæstionem attinet, qua quæritur cum anima humana sit in corpore, & non extra corpus prout responsio ad primam quæstionem nos docet, sitne per totum corpus diffusa, an in vna tantum parte corporis locata, ad quod nonnulli respondent animam esse solum in vnica parte corporis quoad essentiam vel substantiam, & emittere facultates suas ad reliqua membra corporis, quemadmodum rex in certo sui regni loco manens emittit satellites, siue emissarios suos quoquo versum per vniuersum imperium suum, vt mandata ipsius exequantur: ex iis vero qui quæstioni huic ita responderunt, quidam putarunt animam habere sedem suam tantum in spiritibus vt partibus corporis nobilioribus, & ob subtilitatem naturæ animæ proprioribus, ac ita eius ministerio aptioribus, alij vero sub pectore in corde scilicet, ac proinde dicũt pectus fuisse nũcu-

patū θώρακος Græcis ἀπὸ τοῦ θεῖον ὡρεῖν, per τὸ θέων intellige animam, quæ est re vera diuina substantia, anima est, secundum nonnullos in ea cordis parte, quæ in se quiescit: quod enim mouet immobile esse dicitur, & in eo loco cordis quo omnis motus, corporis humani origo cernitur: Igitur anima est illic in magnitudine, vt loquuntur, non tamen magnitudinem habens cum sit spiritualis mouet spiritus per conatum & membra etiam sine spiritibus parent voluntati, non secus ac in bene ordinata ciuitate magistratui parent omnia.

Secundum alios in medio cordis ad complantatum spiritum maxime est anima: hinc illud Hipocratis in libro περικαρδίας, vbi ait γνώμη, τοῦ ἀνθρώπου πέφυκε ἐν λαίη κοιλίη τῆς ἄτης ψυχης, vbi notes γνώέμη. Hipocrati idem est, quod Aristoteli & aliis νοῦς, nota obiter ex sententia Medicorum esse aliquid in corde substantia spiritus durius & perennius, quo corrupto & vitiato exhalat anima: ideo autem dixerunt nonnulli cor esse sedem animæ, quia est primum & vltimum membrum per quod anima operatur dum est in corpore: hinc vulgo dici solet, cor est primum viuens, & vltimum moriens, ac ita anima foret quasi in meditullio corporis humani, vnde commode emittere posset facultates quoquoversum per totum corpus: deinde alij putauerunt animam habere sedem suã

intra caput in cerebro, atque hinc esse, credibile est quod ab omni antiquitate diuinitas quædam ascripta sit capiti, tanquam domicilio mentis diuinæ, præ aliis corporis partibus, eiusque actionibus præ actionibus aliarum partium honor quidam sit habitus, ac inde est quod bene precamur sternutanti non sine significatione honoris, vt testatur Philosophus in Problemati, ratio quæ mouet hosce assignare animæ nostræ cerebrum siue caput pro sede: primo est, quia cerebrum est pars corporis humani proxima cœlo, vnde anima ortum repetit: deinde quia in capite sunt sensus & instrumenta sentiendi prope ad mandata animæ, nec non spiritus intellectui dicati, ac hoc pacto anima foret in cerebro, vt rex in castro siue loco edito desuper intuens in vrbem, eamque moderans: ideo autem crediderunt nonnulli animam esse in vna ex nobilissimis corporis partibus, puta corde vel cerebro cum in vna tantum parte eam esse statuunt, quia putarunt non esse è dignitate & commodo animæ humanæ, quę est creatura à Deo excellentis naturæ & subtilis habitare immediate in corporis partibus indignioribus & crassioribus, quales sunt pedes, manus, &c.

Verum cum hac sua suspicione nulli sunt, siquidem nihil indigni euenit animæ nostræ quod sit vnica in corporis partibus

omnibus vel maximè rudibus & terrestribus, cum ad singula corporis membra informandum ordinata sit quidquod per exquisitam temperiem humorum in quoque membro corporis prouidit sapientissimus corporis artifex, ne quid incommodi hinc anima acquirat: Deinde putarunt animam humanam esse in vna tantũ corporis parte timuerunt ne si anima esset in singulis corporis partibus, tot partes corporis totidem animalia fierent, quod certe est perridiculum: distinguendum enim est inter animatum & animal, singulas corporis partes animatas esse dicimus, quia anima est in iis & eas informans, interim propterea eas animalia esse negamus, cum sit corpus integrum sua organa habens animæ humanæ vnitum, quod constituit animal iam docere oportet impossibile esse, animam humanam esse in vna tantũ corporis parte, quod sic facio, anima esset in vnica tantum parte corporis vt in proprio subiecto, vt volunt prędicti homines, reliquę partes corporis extra partem habentem animam essent inanimes & informes.

Item cũ vita definiatur esse coexistentia corporis & animę vitæ expertes forent, quippe qui sine anima forent quæ eas omnes informare & vegetare ordinata, quod facere nequit nisi iis adsit, & in iis presens sit quod ad substantiam vel essentiam: absens qui posset animare dicere, animam

animare reliquas corporis partes extra eam in qua habet sedem per facultates suas est nullius momenti, cum facultates sint vna eademque res cum ipsa anima à qua distinguuntur tantum ratione sicut supra docuimus cum de facultatibus animæ disseruimus, vel detur ad tempus facultates animæ esse accidentia ab ipsa realiter distincta nihil pro aduersariis facit, quia si sunt accidentia erunt in anima vt in subiecto, ac ita vbicumque erunt erit etiam anima, alioqui accidentia erunt extra subiectum suum quod est absurdum cum accidentis esse est in esse subiecto suo, ac sic si facultates animæ sunt per totum corpus dispersæ etiam ipsa anima erit, siue eas dicas res easdem cum anima, siue diuersas ab illa, verum si dicas facultates animæ esse accidentia re ipsa ab anima distincta (vt re vera non sunt eiusmodi) maximum sequetur incommodum, nimirum maximam partem corporis humani esse animatam per accidens, quod est absurdissimum cum nullum accidens potest materiam informare vel actuare nedum animare, alioquin compositum ex materia & forma non foret ens per se, sed per accidens quo nihil absurdius cogitari potest: Deinde si anima esset in vnica tantum corporis parte puta corde, vel cerebro, vt in proprio subiecto, quemadmodum opinantur hi qui credunt animam

eſſe in vnica tantum corporis parte, tunc ea pars ſola, in qua tantum eſſe animam putant puta cor vel cerebrum, eſſet homo: nam anima humana ſuo proprio ſubiecto vnita conſtituit hominem, reliquæ vero partes eſſent appendices inanimes cum non haberent animam in ſeſe, quæ eas animaret iam dictis adde hoc pro diffuſione animæ per totum corpus in vaſto corpore anima occupata in regendis tot tantiſque membris exiguas vires habet: cõtra autem in exiguo maiores vires exerit quod inde euenit, quia anima eſt diffuſa per totum corpus: ſi enim eſſet in vna tantum corporis parte quid ei officeret vaſta moles vllius corporis.

Item adde iſtud minimæ corporis particulæ affectæ malo, totum corpus compatitur, non poteſt corpus habere eam affectionem, quam acquirit ſentiendo, niſi animæ cognoſcentis cuius participatione corpus ſentire poteſt per vniuerſam corporis molem diffuſa fuerit his ita diſcuſſis concludendum eſt, ſecundum veritatem animam eſſe in toto corpore, id eſt, in ſingulis corporis partibus, idque eſſentialiter, & quoad ſubſtantiam cum totum corpus integrum ſuis organis ornatum ſit proprium ſubiectum animæ exquo & anima ſimul vnitis conſtituitur compoſitum homo argumento eſt quod totum corpus & ſingulas eius partes anima actuat, informet

& vegetet: verum enim vero licet anima per totum corpus ſit diffuſa in ſingulis eius partibus ſedem habeat, non tamen eſt ex æquo & pari gradu in ſingulis corporis partibus, ſi quidem eminentius ſeſe exerit in hac parte quam in illa. Itaque magis dicetur eſſe in vna parte quam in alia: ergo primum dicitur eſſe in corde, idque radicaliter ſiue originaliter, vt loquuntur, in reliquis vero partibus eſſentialiter tãtum, in corde inquam eſt anima originaliter, vt in fonte vitæ: hoc enim eſt primum viuens & vltimum moriens, vnde emanat humidum radicale cum calido natiuo, nec non ſpiritus, id eſt, ſubtiliores ſanguinis partes, quæ ſunt animæ pro vehiculo per reliqua corporis membra: hinc eſt quod voluntas θύμος & ἐπιθυμία dicantur communiter habere ſedes in corde, atque ideo in ſacra pagina Deus exigit puritatem cordis, ideſt, (vt ego interpretor) moderationem affectuum & appetituum qui omnes procedunt ab anima, cuius ſedes originaliter in corde eſſe dicitur: hinc etiam hæc nomina cordatus notans eum qui habet cor paratum ad inſeruiendum animæ vecors contra: item miſericors excors atque hinc quoque eſt formula loquendi vulgaris ex abundantia cordis os loquitur, ideſt, homo ſermone ſuo deregit ea quæ affectat & appetit: ſecundo anima dicitur eſſe principaliter in capite ob cognitionem cuius orga-

na præcipua ſunt in capite cum dico animam eſſe principaliter in capite, id præcipue intelligi volo dici de cerebro, hinc illa formula quale caput & cerebrum non habet ſupple ſufficiens ad munia animæ. Item hæc formula loquendi caput ſine cerebro, ſupple idoneo ad inſeruiendum rite animæ, nec non nomen cerebroſus, inde eſt quo nomine denotatur is qui ſine copia cerebri, eiuſque male diſpoſiti non poteſt bene exercere cognoſcendi munia, deinde anima dicitur eſſe in ventriculo, in iecore & in renibus modo certe minus excellenti quam in corde vel in cerebro, nobiliori vero & eminentiori quum in reliquis corporis partibus, in oſſibus anima eſt magis obſcure quam in neruis & arterijs: omnium vero manifeſtiſſime anima eſt in ſpiritibus, ideſt, ſanguinis partibus ſubtilioribus, qui ſunt vehicula & organa animæ proxima & immediata ad munia vitæ & cognitionis exercendum: hinc ſpiritus diſtingui ſolent in vitales qui ſunt deſtinati ad operationes vitæ, & in ſenſitiuos qui ordinati ſunt ad cognoſcendi munus per ſenſum.

Pro horum ſpirituum diſpoſitione homo commode, vel minus commode viuit, vel vitam agit, bene vel male ſentit, vel per ſenſum cognoſcit, imo quod magis eſt dextre vel minus dextre intelligit, ſiue intelligendi munus exequitur, ſupple circa

τὰ αἰσθητὰ, quia ea non, ſine phantaſmatis quæ à ſenſu accipit, intelligit: non vero quod vllo inſtrumento, in intellectione vel in intelligendi munere vtatur quod & ſupra docuimus, iam diximus animam eſſe in toto corpore, vel per totum corpus diffuſam, intellige tanquam in ſuppoſito ſuſtentationis quare dicendùm animam eſſe in membro aliquo corporis tanquam in ſuppoſiti parte ſubordinata toti, non autem vt eſt in toto nec totaliter.

Cęterum facultates animæ noſtræ omnes ſunt in qualibet corporis parte originaliter, quatenus nimirum ab eſſentia animæ promanant, & in anima ſunt, quæ eſt vbique in corpore: ſed dicuntur eſſe ſubiectiue in certis membris corporis deſtinatis ad operationes certas certarum facultatum, vnde hęc organa dicuntur ſubiecta harũ facultatum: ſic cor dicitur ſubiectum facultatis vitalis cerebrum facultatis ſenſitiuæ & intellectualis, ac ita aliæ partes corporis aliarum poteſtatum animæ ſubiecta dici poſſunt. Inſuper anima dicitur eſſe in corporis membris poteſtatiue iuxta terminum ſcholæ, id eſt, non ſolum eſſentialiter, ſed & ornata omnibus facultatibus & poteſtatibus, ac ita ad operandum parata modo ei ita paratæ organa non deſint per quæ agere debet: hinc eſt quod vides animam tactu agere per totum corpus, imo ageret anima viſu per alia corporis membra quam per caput ſi

haberet organa videndi in alio membro quam in capite documento ſunt monſtra quæ habent oculos alibi quam in capite quibus optime vident: quod hic audis de viſu, de aliis animæ facultatibus dictum puta: præterea in ſuperioribus docuimus animam eſſe definitiue in corpore ſuo, quia potes definire animam eſſe in hoc corpore, & non in illo: quod intelligendum eſt de toto corpore in vniuerſum ſumpto, non tantum de membris, ſiue partibus quibuſdam corporis, ſiquidem non potes dicere, anima eſt in hac parte & non in illa vnius eiuſdemque corporis, cum ſit in omnibus & ſingulis corporis partibus eſſentialiter & poteſtatiue, licet varijs modis, prout iam iam docuimus.

Iam hic nonnullos audio quærentes qua ratione fieri poſſit vt anima quæ eſt ſubſtantia ſimplex & ἀμέριστος, qualem eam eſſe in ſuperioribus inuictiſſime demonſtrauimus ſit in tot & tam variis ac diuerſis, tamque à ſe inuicem diſſitis partibus, vt ſunt pleraque corporis membra, v.g. digiti pedum & vertex capitis. Ad quod reſpondeo, anima certe quo ad eſſentiam eſt vnica & ſimpliciſſima in vno corpore, ſed prout corpus illud in quo eſt anima, idque informans & actuans licet vnum ſit, tamen multas & diuerſas partes habet, ex quibus vt membris integrantibus conſtitutum eſt: ſic anima in ſeſe vnica vere & ſimplex

& ἀμέριστος, existens in corpore dicetur quadamtenus à seipsa esse diuersa, dum est in variis corporis partibus eas informans, & animans, quibus vt organis vtitur ad varias operationes.

Item quemadmodum corpus vnum & idem, suis partibus & membris est varium, atque sibi ipsi quasi diuersum: sic anima, quoad essentiam re vera vna & simplex est, varia à seipsa quodammodo diuersa dici possit respectu diuersarum facultatum per quas interuentu partium diuersarum corporis varias operationes edit: nunc antequam omnia quæ super diffusione animæ per totum corpus dicere decreueram, concludam, hic non prætereunda videtur obiectio vulgaris contra diffusionem animæ per corpus totum, & ea est eiusmodi cum brachia et crura vniuntur aliquo vinculo arteriæ, quæ interiacent inter vinculum, & extrema membrorum vinctorum non mouentur: quare in iis videtur anima non esse, saltem quandiu membra vinciuntur; nam vt motus alicuius membri in corpore est signum animam in eo esse à qua tantum mouetur internè, & contra cum non mouetur aliquod membrum, coniicimus in eo non esse animam. Obiectio.

Cui obiectioni sic respondeo in eo motus arterairum procedit à motu cordis, qui motus arteriarum, licet impediatur violentia vinculorum, non tamen inde se- Responsio.

quitur animam ibi non esse à cessatione eius operationis in aliqua parte corporis, non statim inferendum est absentiam animæ ab ea parte corporis exemplo res fiet clara rheumate olfactus impeditur in naribus, febri gustus impeditur in lingua, nullus tamen adeo inops animi est, vt propterea colligat animam tunc temporis ab illius corporis partibus esse absentem.

SECTIO III.

In qua inquiritur vtrum anima humana corpori suo vnita & in eo existens, sit tota in qualibet parte corporis, nec ne.

RESTAT tertia & vltima quæstio super τὸ πȣ̃, vel vbi animæ nostræ vnitæ corpori suo per quam quæri dicimus cum constet ex superioribus animam non solum esse intra corpus prout ex responsione ad primam quæstionem vidimus: sed etiam esse in toto corpore & in singulis partibus corporis prout respondentes secundæ quæstioni super τὸ πȣ̃ animæ nostræ declarauimus, nũ anima sit tota in corpore nõ solũ in toto corpore, sed etiã an sit tota in singulis corporis partibus: an vero pars vna animæ sit in parte vna corporis, & pars

anima

animæ alia in alia parte corporis.

Ad quæstionem respondetur à nonnullis, sicut tota anima est in toto corpore, sic pars animæ est in parte corporis, qui vero ita opinantur de sede animæ, putant animam esse diuisibilem habereque partes à se inuicem, & a toto reipsa distinctas, ac inter se diuersas, atque in firmamentum opinionis suæ tum pro diuisibilitate animæ, tum pro partiali sede animæ in diuersis partibus corporis hanc vrgent instantiam, *Instantia.* v. g. caput recens amputatum à trunco corporis, in quo cor est vltimum moriens, salit qui motus capitis non potest esse aliunde quam ab anima: ergo, inquiunt, est diuisibilis, nam ea pars animæ quæ est in corde est separata ab ea quæ est in capite amputato, ac ita consequenter secundum partes anima est in variis partibus corporis.

Respondeo, instantiam hanc esse nullius *Responsio.* valoris: hic enim motus capitis recens à corporis trunco amputati, nihil aliud est quam vltimus conatus siue nixus spirituum qui sunt admodum copiosi in capite: hi autem spiritus in capite ab anima derelicti hunc nouissimum conatum moliuntur: anima vero, quæ, vt supra vidimus, est per totum corpus & eius membra diffusa dum caput amputatur se contrahit ac colligit ad cor quod est vltimum moriens, secundo ad hanc in-

ſtantiam ſic reſpondeo potentia vegetatiua, ac proinde loco motiua, quæ eſt pars vegetatiuæ, prout in hiſtoria facultatum animæ didicimus, eſt eminenter in anima vt calor in ſole, qui ſcilicet abſens poſt occaſum nos calefacit in noctibus canicularibus, ſic anima abſens poteſt agere per vim à ſe impreſſam in obiectum: nota obiter ſubſtantias à materia liberas proprie loquendo non deberi dici neque quantitate diuiduas, neque indiuiduas: nam differentiæ rerum præſupponunt genera, quare rationalis anima cum nec ſit quantitas nec quantitatis principium, neque diuidua, neque indiuidua erit, remota eſt anima rationalis à quantitate, quia omnis quantitas præſupponit materiam, qua prorſus caret rationalis anima, imo ne quanta per accidens dici debet cum quantum per accidens etiam diuidi poteſt, ſaltem per accidens, vt ſunt omnes formæ caducæ, quæ è materia emergunt, & ad eius diuiſionem per accidens diuiduntur, ſed forma materialis non ſic diuidi poteſt interim deſignatione mentis ſola per ſe diuidi dicitur, cuiuſmodi ſunt lumen & anima humana.

Itaque quærere vtrum intellectus ſit diuiduus, vel indiuiduus eſt æque abſurdum, ac ſi quæreres vtrum albedo ſit frigida an calida cum intellectualis anima magis diſtet à quantitate, quam albedo à

frigore: quare repugnat intellectui diuiduum esse vel indiuiduum: dictis adde, sola magnitudo diuisibilis cætera omnia necessario indiuisibilia, ex quibus quædam sunt infra magnitudinem, cuiusmodi sunt partes quæ ideo non possunt diuidi + ex his posterioribus, aliqua pendent à magnitudine vt caducæ omnes formæ, & ideo diuidi possunt per eandem, diuisione scilicet materiæ alia nullo modo pendent à materia, & nullo modo diuidi possunt, nisi eo quo paulo superius diximus, & eiusmodi sunt substantiæ immateriales.

quaedam supra magnitudinem quae etiam ideo non possunt diuidi

Cæterum id quod superius paulo dicebam de contractione & diffusione animæ per corpus suũ non debet accipi κατάρητον, ac si esset contractio & diffusio proprie dicta & sumpta, cum proprie dicta contractio & stricte sumpta diffusio pendet à materia cuius animam humanam esse expertem suo loco demonstrauimus.

Itaque quod hic dicimus de contractione & diffusione animæ humanæ minus proprie minusque exacte dictum puta, scilicet phrasi mutatitia (mutatio autem sumitur à corpore quod proprie contrahitur & extenditur) quali plerumque vti cogimur cum de substantia incorporea nobis loquendum est, cuius essentia & natura est à sensibus nostris admodum remota cum ita se contrahit, & se diffundit, dicitur moueri suo & sibi proprio motu, id est,

metaphysico, sed non physico qui est proprius corporum & à corporibus dependẽtium, nec prorsus mutat subiectum vel nouum subiectum ingreditur, cum se contrahens relinquit vnam partem subiecti sui, vel se extendens ingreditur nouas partes corporis, interim tamen scire oportet substantias spirituales suam habere extensionem, puta intelligibilem: intellectus enim potest concipere vnam partem in anima humana, quæ non sit alia, quæ tamen conceptio non facit partes in anima reipsa distinctas, quamuis intellectus eas distinctim concipit cum anima sit instar puncti ἀμέριστος, vt toties inculcauimus: qualis vero est natura rei talis est eius essendi in loco vel τὸ ποῦ modus: quare cum animæ essentia sit indiuidua eius modus essendi ἐν τῷ ποῦ erit indiuiduus & punctualis, vt iam saltem rudius loquar: ergo ad tertiam hanc super τὸ ποῦ animæ corpori suo vnitæ quæstionem, nos respondemus animam humanam non solum esse in toto corpore & in singulis eius membris, sed esse totã in toto corpore: imo totam in qualibet corporis parte, vel omnia, quod prima facie intuẽti παράδοξον videri possit, sed qui penitus rem introspicere voluerit, facile iudicabit rem non posse aliter se habere: cum enim anima sit simplex & ἀμέριστος, & sit in singulis corporis membris, necessario est in iis tota interim vt anima quem.

admodum omnis ſubſtantia ſpiritualis ſit ἀμέριστος in partes realiter diſtinctas, tamen intellectus ei attribuit partes intelligibiles alias & alias, ſic concipit, etiam intellectus vnam partem animæ eſſe in vno vbi, & aliam in alio vbi.

Contra hanc reſponſionem qua aſſerimus animam noſtram eſſe totam in qualibet corporis parte, ſic diſputant nonnulli, ſi anima eſt tota in qualibet parte corporis, accidet animam vno eodemque momento moueri & quieſcere, v. g. moueri forte in pede, & quieſcere forte in manu, quod eſt abſurdiſſimum.

Ad argumentum ſic reſpondeo, anima humana cum ſit ſubſtantia ſpiritualis, non debet dici proprie moueri cum motus proprie dictus ſit affectio corporis, non vero ſpiritus: anima autem ipſa immota manens mouet corporis membra, quare cum manus mouetur, non magis mouetur anima quam cum non mouet pedem, ſiue pes quieſcit anima per accidens ratione corporis, cum nimirum mouetur corpus de loco in locum, dicitur moueri: intellectus noſter nullo modo mouetur motu loci, vt qui in loco non ſit, nec mouetur in nobis, nec à nobis dum mouemur, nec cogitur ſpatia pertranſire homo, & corpus dicuntur eſſe in loco: intellectus autem non eſt in loco proprie, definitione autem in hoc non in illo, & in hoc terminum ha-

bet, nec tamen mouetur, ſed mouetur anima motu metaphyſico, non autem Phyſico (vt ſupra diximus) à ſe ipſa & à nullo externo mouente præter Deum, ne dum a corpore niſi per accidens intellectus mouet corpus, non ab eo mouetur, nec eo indiget Deus intelligentia intellectus, ſiue anima intellectiua, non debent dici proprie eſſe in loco vel in vniuerſo, neq; in puncto, alioqui multa ſequentur abſurda: nam nec ſunt in indiuiduo vt punctum, nec in diuiduo vt linea ſuperficies corpus; ideo nec in magnitudine erunt, & cum locus ſit magnus, neque in loco erunt, anima intellectualis eſt ex ſeſe diffundens virtutes ſuas per corpus totum: non ergo in parte vna, nec in toto proprie loquendo, imo nullibi eſſe dicitur, licet ibi vel hic opus ſuum manifeſtet, cum punctum non ſit in loco, quia indiuiduum multo minus intellectus qui ſubtilior longe puncto eſt, quod habet perfectam ſucceſſionem habet rationem mobilis & ſpatij, ſed punctum & indiuiduum non habent, &c. Interim motu continuo procedere dici poſſunt, quamuis linea vel continuum non componatur ex indiuiduis vel punctis, tamen in qualibet parte temporis lineam punctus perficit, punctus per ſe ſuum eſſe habere non poteſt, quia eſt ſemper lineæ extremum, vt linea ſuperficiei ſuperficies corporis: quare non poteſt per ſe moueri punctus, ac ita conti-

nuitatem & successionem habet à spatio &c. Sed hæc παρέργως contra id quod hic dicimus animam totam esse in singulis corporis partibus ~~contra~~ sic ordinarie obiici solet, (quam obiectionem supra attigimus) si anima tota esset in singulis corporis partibus, sequeretur singula mēbra esse tot animalia: nam tota anima facit animal, repono verum esse totam animam facere animal, modo vniatur materiæ conuenienti & sufficienti qualis non est pars corporis, sed totum corpus. Itaque dicimus vt animal, puta homo constituatur necesse est tota anima vniatur toti corpori, eique organis suis ornato, non vero parti vel membro corporis.

Vt omnia quæ hactenus diximus de τῷ πῶ animæ in pauca contrahamus, dico animā ita esse in corpore et nō à corpore contineri ~~atur~~ sed potius ipsum contineri ab anima: secundo, dico animam esse diffusam per totum corpus, & non in vnica tantum parte corporis esse: deinde dico animam totam esse in qualibet corporis parte, & certe dicere potes sine numinis blasphemia, quemadmodum Deus in vniuerso est: ita vt ab vniuerso non contineatur, sed id continet, & non tantum in vna parte vniuersi, sed per totum vniuersum, licet eminentius in vna parte, puta in cœlo, quod dicitur Dei θρόνος, quā in alia parte vniuersi, puta in terra quæ in sacra pagina vocatur scabellum pedum

Dei, atque Deus ita in vniuerso est vt totus sit, non solum in toto vniuerso, sed & in omnibus vniuersi partibus, licet maxime diuersis & dissitis: cum Deus si πανταπῶς, & omniū ὀμερειςὸς, & simplex necesse sit totus vbique: sic anima nostra est instar Dei cuiusdam in corpore suo id regens, imperans, & gubernans quod vniuersi siue mundi rationem habet, vnde μικρόκοσμος, & μίκροπαν interdum dicitur, vt ille magnus mundus μικρόκοσμος & μάκροπαν distinctionis causa, in corpore suo, inquam, est anima nostra, non tamen ab eo continetur, sed magis dicetur id continere, neque est in corporis sui vna parte tantum, sed in omnibus & singulis eius partibus, licet princ palius in vna parte, puta in corde vel in capite, quam in pede vel manu fiet: ita vt intellectus diuinus est in tota natura, quam mundum appellamus: sic intellectus humanus est in corpore humano, deinde anima nostra non solum est vbique in corpore, sed tota in singulis corporis partibus cum sit simplex & ἀμερειςος iam existans, ita in rerum natura anima nostra possidensque gradus vegetatiuæ, sensi iuæ & intellectualis facultatum expassa est in materia corporis & suis viribus cooperante Deo se, vt ita dicam, applicat facile ad organa corporis, ad exequendum sua munia.



CAPVT VI.

SECTIO I.

In qua de morte in genere eiusque speciebus dicuntur.



HVc vſque nomina τῆς animæ humanæ plurima explicauimus quid eſſet docuimus, facultates enarrauimus, originem declarauimus, proxime ſequitur, vt diſcutiamus quid animæ noſtræ eueniat cum compoſitum homo diſſoluitur, prout eum diſſolui quotidie videmus, id eſt, vt inquiramus vtrum in diſſolutione compoſiti intereat, an diſſolutioni compoſitij ſuperſtes manet anima hominis, quæ quæſtio aliis hiſce verbis proponi ſolet, cũ compoſitum puta homo diſſoluitur, qui diſſolutione corporis & animæ mori dicitur, vtrum anima noſtra moriatur ſimul an immunis à morte diſſolutioni ſuperſtes permaneat ad hanc πολυθρύλλητον à multis agitatam quæſtionem: quidam reſpon-

dent animam omnino mori cum moritur compositum: alii paulo mitius agunt cum anima quam priores: non enim eam morti adiudicant vt illi, sed, inquiunt, quamuis firmiter credant animam composito superuiuere quippe ex sacra Scriptura id edocti, interim tamen id ita esse argumentis ex rei natura siue Philosophia depromptis demonstrari non posse putant, vtrorumque sententia eodem recidit quæ serio est nobis perpendenda, quin res proxime nos tangat, & maxime nostra intersit, verum vt totum negotium melius expediatur res altius paulo est arcessenda.

Itaque ante omnia quid sit mori vel mors nobis explicandum esse duximus, atque ab harum vocum explicatione incipere commodum esse censuimus, cum nominum ἐτυμολογία nos manu ducat ad id quod per nomina denotatur.

Cæterum τὸ mors vnde morior est vox natalibus Græca: nascitur enim à μόρος quod est portio, sors vnicuique rerum quibus destinata est diuisa: descendit enim à μείρω diuido, vnde & μέρος pars hæc est prima & genuina τοῦ mors acceptio secundo lapsu temporis significatio τοῦ mors mutari cœpit: nihil enim mutabilius acceptione vocum reperies: mors autem hac noua acceptione, licet iam peruetusta, maximeque cognita denotare cœpit extremum durationis rerum, præsertim viuen-

tium, id est, vitæ terminum vel finem, vt laxius quidã loquuntur, cum apud exactiores finis denotat id cuius gratia aliquid factum est: ideo enim mors sumi cœpit pro extremo fine vel termino durationis viuentium, quia cuique durationi viuentium suum assignatum est extremum suus terminus & finis: tertio mors accipitur non tantum pro termino durationis cuique viuentium diuiso & assignato, sed etiam pro ipsa cessatione durationis quum ad eius extremum, siue terminum vltimum peruenitur, vel vt clarius & vsitatius loquar, pro defectu vitæ, quæ iam suum terminum vltimum siue metam extremam cõsecuta est: hinc res nominatim viuens cum eius duratio cessat, siue deficit, vel extinguitur mori dicitur: tum enim morte, id est, sorte sua fruitur, deinde res cui talis terminus durationis præstitutus est, & meta vitæ præscripta à summo rerum conditore: ille enim sicut in certo quando res omnes inchoare durationem suam, vel incipere esse pro summa sapientia voluit, ita res plurimas certum & limitatũ quandiu durationis suæ habere idem, sapientissimus opifex statuit post quod quandiu limitatum, vel spatium durationis decursum res deficere, duratione sua priuari, &, vt verbo dicam, mori decreuit: nota diligenter me hic dicere, res omnes in certo quando durationem incipere & tantum res plurimas habere quan-

mort: obnoxia dicitur

diu durationis certum & limitatum, quia Deus πανσοφος, licet res omnes in certo quando condidit, tamen nonnullas ros à limitato quandiu retinuit, quas in perpetuum durare statuit: res quibus terminus limitatus durationis est præfixus, id est, res quæ sunt morti subditæ, & obnoxiæ, dicuntur mortales, contra res quibus duratio in perpetuum vt sine fine ordinata est, id est, quæ à legibus, vt ita dicam, mortis sunt liberæ, dicuntur immortales ab imperio mortis immunes.

In super mors cœpit sumi pro omni eo quod festinat & accelerat extremum durationis, nominatim vitæ quodque viuentem paulatim ad terminum vitæ suæ ducit, ac sic, vt ita loquar, mori assuefacit, eique moriendum esse edocet: ex ijs autem quæ manu ducũt ad mortem ipsam præcipuum locum tenent corporis infirmitates, siue imbecillitates Græce μαλακία, quibus obnoxia est vita mortalium: hinc infirmitates hæ, siue μαλακίαι ordinarie appellantur morbi, id est, portiones vitæ: morbus enim est μορὸς βίυ, id est, sors & mors vitæ: cuique enim viuenti sortito euenit morbus.

Item pericula ducunt ad mortem, vt omnibus notum est: hinc enim pericula nomen habent, quia in iis plerumque vita perit, ac mors aduenit: denique mors sumi cœpit pro misera conditione vitæ, & viuens qui miseram vitam trahit mori di-

citur, licet nunquam ad extremum vitæ perueniat, neque eius vita penitus deficiat, nunc non omittendum mori & mortale tot modis sumi, idque ordinarie quot mors quod ex explicationibus acceptionum τῆς mors facile disci potest: quare cum ex dictis res sit manifesta nos plura addere superuacaneum esse iudicauimus.

Cæterum mors in secunda & tertia acceptione, præsertim in tertia synonima habere cœpit, ex quibus duo sunt maxime nota fatum puta & lethum: mors ideo vocatur fatum, quia tum aduenit, quando summus omnium gubernator fando decreuit, hinc dies quo mors aduenit vocari solet dies fatalis. Interim licet mors vocetur fatum, per fatum intellige mortem, quæ, vt ita dicam, sponte aduenit per ordinarium naturæ paulatim declinantis defectum sine vlla causa externe promouente, & qui tali morte moritur, dicitur fato perire, quod vel ex Phœnice Poëtarum discere potes his verbis, & quia non fato. &c. & paulo, sed subito ante diem.

Secundum synonimum mortis nobile est lethum, quæ vox Græcam pro solo natali agnoscit: descendit enim à λήθω, à quo tum lateo, tum obliuiscor latinorum: ideo mors dicitur lethum, vel quia mors facit vita defunctos oblitos, siue obliuione sepelit, vel qui eos latere, siue in obscuro esse facit.

Iam explicatis τῦ mors variis acceptio-nibus, & declaratis synonimis sequitur, vt quid per τὸ mors denotetur, vel significetur ostendamus: verum cum nihil aliud sit quam defectus, siue priuatio vix de eo sermo proprie haberi potest, quia defectus & priuatio est non ens, ac nihil, de quo nullus sermo conuenienter haberi quit, ne dum eius definitio saltem exacta exhiberi: nomina enim ordinata sunt ad res notandas, non autem non res siue non entia & definitio omnis de ente, siquidem non entis nulla definitio. Interim tamen cum mors siue lethium consideretur cum respectu ad ens de eo si minus proprie, saltem non omnino incommode verba faciemus, eiusque definitionem si non exactam, saltem qualemcumque dabimus descriptionem, & eiusmodi: quæ quid per mortē intelligamus mediocriter demonstret, sed mors, prout omnis defectus & non ens (quod alibi in re alia diximus) cum non habeat in sese entitatem proprie dictam optime ex opposito quid sit innotescit: oppositum autem mortis nobilissimum vita. Itaque hinc mortem definimus esse vitæ oppositum: quid autem sit vita quotque modis dicatur supra suo loco, ibi nimirum vbi de prima animæ nostræ principe facultate egimus, plus satis declaratum est, verumtamen de morte hoc in loco aliquid specialius est dicendū.

Itaque dicimus mortem esse rei siue entis defectum, siue priuationem: hæc enim duo hic promiscue sumo, qua res siue ens deficit ab eo statu siue priuatur eo statu, in quo erat, & hoc non tantum secundum bene esse, sed etiam secundum ipsum esse, idque ex parte solum, vel omnino, & prorsus ex hac mortis descriptione innotescit eius distinctio: tria ergo mortis genera hinc esse discimus, quorum primum est quo ens priuatur meliori statu, deterioremque nanciscitur, sic creatura rationalis statim atq; est lapsa, dicitur mortẽ oppetiisse: eius enim status bonus in malũ est mutatus, & hoc iuxta prædictionem, siue mauis interminationem creatoris, quo die mandatum meum transgressus fueris morte morieris: secundum mortis genus est, quo ens siue res priuatur entitate sua ex parte tantum sic composita omnia viuentia dum esse suo composito priuantur, vel esse ipsorum compositum deficit dissolutione, nempe compositi in sua principia mori dicunt: ita planta, bellua, & homo dicuntur mori cum corpus anima priuatur, & ipsum in elemẽta resoluitur: tertium mortis genus est quo ens priuatur prorsus omni entitate sua, & in nihilum redigitur, at, vt verbo scholæ vtar, omnino annihilatur iam enarratis mortis generibus proximum est, vt videamus, quæ entia cui

mortis generi sunt subdita.

Itaque quod ad primum mortis genus attinet, dico eius imperio cuncta creata subiici: à meliori enim statu in peiorem statim res cunctas excellentissimas posse transire, non solum ratio euincit propter mutabilitatem in deterius naturæ rerum creaturarum asseclam indiuiduã, sed etiam misera experientia comprobatum est dignissimas creaturas, nempe rationales Angelum intellige & hominem: hic enim tum anima siue spiritu dum primæua beatitudine excidit, tum corpore, dum in varia incommoda incidit mortem pertulisse dicitur ille, quippe corporis expers spiritu suo dum à primo fœlici statu cecidit, etiam dicitur mortem subiisse, deinde quod ad secundum mortis genus attinet, dico eius tyrannidi esse obnoxia tantum ea entia, quę dicuntur composita, ideo quod ex pluribus simplicibus constent, cum hic mortis genus sit priuatio entis tantum ex parte per dissolutionem compositi, & in sua principia reductionem: quando autem dico composita esse obnoxia secundo mortis generi, intelligi cupio composita viuentia, ea demum mori, idest, priuari vita possunt: non autem ἄβια, vel vitæ expertia.

Itaque ea composita, quæ vulgo dicuntur mere naturalia, & sunt in anima cum non possunt priuari vita quam non habent ab hac morte sunt libera, & multo magis entia

entia ſimplicia compoſitionis expertia, cum non habeant principia, ex quibus conſtant, & in quæ reſoluantur ab hoc mortis genere immunia ſunt, quod attinet ad tertium mortis genus, dico res omnes quæcumque illæ ſint à mortis huius iniuria ex ſeſe non eſſe prorſus alienas & immunes: ſicut enim ex nihilo omnes productæ ſunt quando & quomodo ſummo conditori libuit, ſic ex placito eiuſdem creatoris in nihilum facile redigi poſſunt; ſcilicet quia in tantum ſunt, in quantum Deus eas eſſe vult, & quemadmodum ſi eas non produxiſſet non fuiſſent ſic niſi eas omnes ſuſtentaret breui fatiſcerentur.

Iam dicere potes res omnes eſſe obnoxias primo & tertio generibus mortis, cum omnes res poſſint mutari in peius, imo fieri non res mortis vero ſecundo generi tantum obſequium debere compoſita viuentia, quæ habent principia, in quæ reſoluantur, & vitam quam perdant hic non omittendum penes authorem τȣ̃ eſſe & viuere manere poteſtatem auferendi eſſe, vel viuere priuandi, ideſt, inferendi mortem: quare res quæ habent viuere vel eſſe immediate, & ſolum à Deo primo authore ſine interuentu vllius creaturæ ab eo ſolo poſſunt morte affici, vel τῷ viuere ſiue τῷ eſſe priuari, cuiuſmodi ſunt ſubſtantiæ ſpirituales, & quia multæ cauſæ ſecundæ

ſiue creaturæ multæ, contribuunt aliquo modo ad eſſe & viuere multarum, præſertim inferiorum creaturarum, poſſunt iſtæ creaturæ propterea contribuere ad mortẽ primi & ſecundi generis, earum creaturarũ quæ iſtis generibus mortis obnoxiæ ſunt: huc pertinet illud Euangelij, *Nolite timere eos qui poßunt perdere corpus tantum, ſed timere eum qui poteſt perdere corpus & animam ſimul.* Nota obiter res omnes vt ſibi inuicem auxilio ſint, productæ ſunt, quod dum faciunt, ſequitur conditionis ſuæ verum finem, ſed nunc in hac omnium rerum per peccatum perturbatione res pleræque à ſuo fine vero declinantes obſunt, & nocent, in quibus ex naturæ inſtituto prodeſſe debebant.

Inſuper mors variis modis dicitur: nam alias vocatur temporaria, quia finitur certo tempore, qua morte moriuntur animalia omnia, hæc mors temporaria vocatur alius prima mors reſpectu hominis, nimirum qui etiam moritur alia morte quæ dicitur ſecunda, quæ mors ſecunda alio nomine vocatur mors perpetua, & æterna, quia perpetuo in æternum durat, & nihil aliud eſt quam in perpetuum beatitudinis priuatio.

Item mors temporaria vel prima etiam vocatur corporalis, quia nimirum per eam corpus compoſitum ſeparatur ab anima ſua, & in ſua principia reſoluitur: in-

firmitates corporis ſunt totidem gradus ad hanc mortem, & vt eſt mors quædam, quæ dicitur corporalis: ita etiam eſt mors quædam quæ vocatur ſpiritualis, quæ nihil aliud eſt quã animæ quæ eſt ſpiritus mancipatio vitiis, vnde homo vitioſus dicitur mortuus in peccatis: hic taceo mortem ciuilem, qua quis non amplius ciuis cenſetur, ſed ciuitate priuatur, vt exul nunc reuocandũ eſt in memoriam id quod eſt morti obnoxium dici mortale & caducum, quod vero à morte liberum vocatur immortale & æternum mortale: ergo & immortale opponuntur vt vides, ſed priuatiue ſcilicet: eſt enim mortale priuatiuum τῦ immortalis, licet ſi grammaticam σὺν θέσιν reſpicias aliud dicas, ſed inopia vocum eſt in cauſa, cur ſic vocibus vocamur: mortale autem eſſe priuatiuum neceſſe eſt, cum mors ſit priuatio quod eſſe ſupra demonſtrauimus.

Porro immortale ſiue æternum eſt duplex puta æternum ἁπλῶς dictum & æternum κατά τι æternum, ἁπλῶς voco id quod fuit, eſt, & erit à morte & mutatione omni prorſus liberum & immune, & hoc pacto ſolus Deus eſt æternus ſiue immortalis dicendus, vnde Paulus ad Timoth. 1. cap. 11. v. 16. ait, ſolum eum ἔχειν ἀθανασίαν hoc æternum ἁπλῶς dictum diſtinctionis: ergo vocari ſolet ſempiternũ quaſi ſemper & continuò æternum, ἀπὸ τῦ παλαίου νῦν καὶ

εἰς τὸ μέλλον: æternum vero κατά τι vocamus quod aliquatenus dicendum est æternum siue immortale: aliquatenus vero non æternum & mortale: tale enim esse dicimus id quod aliquando cœpit esse, sed in perpetuum manens nunquam esse desinet, cuiusmodi sunt omnes spiritus, siue substantiæ spirituales, qui vt vt habuerunt initium durationis suæ, siue vitæ suæ, nunquam tamen sunt extremum siue finem habituri: qui spiritus tamen cum sint creati mori siue in nihilum redigi possunt prout reliquæ omnes creaturæ, quippe qui vt ex nihilo cum reliquis rebus sunt creati: ita in nihil redire possunt, si ita libuerit summo conditori rerum à cuius nutu prorsus dependent, vt res omnes reliquæ: nos ergo dicimus spiritus in æternum victuros, non quod natura sua ab omni mutabilitate siue morte immunes sunt: hoc enim dicere est falsum asserere, sed quod Dei creatoris beneficio tales sunt in perpetuũ mansuri: summus enim & sapientissimus rerum opifex cum res conderet, vt rebus varias naturæ conditiones dedit, ita durationis leges varias iis concessit naturis certe rerum admodum conuenientes: Hinc res quas in certum tempus manere in suo esse voluit iis naturam valde mutationi obnoxiam dedit ex pluribus nimirũ simplicibus constitutam, & constantẽ ex hac simpliciũ communione nascitur pugna: nam quę si-

mul ſunt niſi ſint prorſus eiuſdem naturæ in perpetuum inter ſe durare ſine pugna non poſſunt ex pugna fit mutatio : tandem mutationi ſuccedit mors ſiue diſſolutio compoſiti, verum quæ Deus voluit manere in tempus infinitum ſiue in perpetuum iis dedit naturam ſimplam & puram immunem à mixtione omni ſiue concurſu ſimplicium ad eorum conſtitutionem: quare libera ſunt ab omni pugna cum nullas partes habeant ſibi inuicem aduerſantes,& cũ à pugna ſint libera etiam à mutatione immunia ſunt, ac conſequenter à morte ſecundi generis, de qua nam hoc loco loquimur, ex hac pugna tandem diſſoluitur compoſitum,ac ita tandem anima, quæ in eo habitat, auolat, vt fit in morte hominis,vel redit in ſua principia, vt animę belluæ ac plantæ, quæ ex materia emergunt, & extrahuntur ſciens hic prætermitto æternum illud κατὰ τὶ, de quo in Theologia quod Theologi vocant æternum à priori, quod nempe fuit ante mundi iacta fundamenta, ſed in tempore deſiit, & ſic diſtinguitur ab æterno illo altero κατὰ τὶ, de quo iam quod vocant æternum à poſteriori :licet enim eſſe cœpit, nunquam tamen deſinet pro exemplo æterni κατὰ τὶ à priori exhibent nobis Theologi decretum Dei de amittendo filium fuit ante initium temporis vllius,ſed illud decretum finitum eſt ſiue complementum habuit in tempore

quo missus est filius, his ita explicatis iam ad quæstionem vllam πολυθρύλλητον veniam qua quæsitum est multis, vtrum anima humana sit morti obnoxia necne, id est, vtrum est mortalis an immortalis: verum antequam vltra intelligere τὸ κρινόμενον vel statū quæstionis oportet. Itaque cum quæritur num anima sit mortalis an immortalis non quæritur, vtrum à summo rerum opifice Deo possit anima in nihil redigi, si ita ei placuerit: nemo enim sanus hoc negauerit cum Deus in omnes creaturas habeat summum imperium tanquam in opera manuum suarum, alioqui non foret Deus, neque quæritur num animæ status potest mutari in deterius cum misera experientia in animabus primorum parentum id posse fieri plus satis illorum & nostro damno comprobatū est, vt interim taceā mutabilitatem perpetuam comitē omnis rei creatæ vice versa, quum quæritur an sit anima immortalis non quæritur num anima ἁπλῶς talis: sic enim solus Deus est qui est sine principio, & sine fine hac quæstione: ergo quæritur vtrum anima sit morti secundi generis obnoxia, idest, vtrum cum homo moritur etiam, eius anima moritur, vt anima belluæ vel plantæ moritur, cum moritur bellua vel planta: an vero manet immortalis & tali morte immunis, licet habuerit initium durationis, nunquam tamen finem habitura.

SECTIO II.

In qua rationes primariæ proponuntur ψυχοφόνων, & iis dilucide respondetur.

AD hanc quæstionem ſine vllo circuitu verborum breuiter reſpondent nonnulli tum veteres, tum recentiores animam humanam omnino mori cum compoſitum homo moritur, ideſt, interire in diſſolutione compoſiti: alij vero paulo mitius cum anima noſtra agentes reſpondent ſic, licet pie & iuxta fidem Chriſtianam credamus animam humanam eſſe immunem à prædicta morte cum compoſito quippe id ex oraculo veritatis, edocti tamen argumenta ex Philoſophia ſumpta id demonſtrare non poſſe putant, imo rationes, inquiunt, ex Philoſphia ſumptæ potius contrarium euincere videntur, nimirũ nunc animam eſſe mortalẽ, & mori cum corpore, quemadmodum viuit in eo quam vere hæc ab iis proferantur ex ſequentibus manifeſtum erit, quod ſi tantum nobis negotium eſſet cum hominibus qui animam humanam eſſe corpus aliquod aſſerant, vel cum iis qui eam eſſe accidens corporis autument, vel denique

cum iis qui eam esse eiusdem prorsus naturę cum anima belluina existimant facile, & merito argumenta quæ pro sententiæ suæ firmamento ex natura animæ desumere prætẽdunt negligere non iniuria possemus cum fundamentum super quo struũt obiectiones suas, puta natura animæ sit longe alia quam ipsi falso opinantur, vt in superioribus abunde declaratum est, sed cum homines qui nunc pro mortalitate animæ humanæ pugnant, agnoscunt eam esse naturæ longe diuersæ à corpore, nec non à corporis accidentibus, imo quod maximum est ab anima belluina, quippe naturæ independentis à corpore tum quoad esse, tum quoad operari, interim tamen eam perire vna cum corpore volunt.

Itaque iustissima de causa orationes eorum primariæ sunt cum cura nobis perpendendæ, & ad libellam veritatis diligenter examinandæ sunt: verum antequam ad hos vltimos, idest, eos qui agnoscunt animam nostram non esse naturæ dependentis à corpore quoad operari, neque quoad esse veniamus: argumenta priorum, id est, eorum qui animam nostram prorsus à corpore suo dependere volunt, in vnam quasi summam colligere non inutile fuerit, ne vel tantillum huic negotio quod tractamus deesse videamur, quod sic facimus quod ortum ducit à corporea causa puta semine, quod pendet omnino à corpore quoad

operari, ac consequenter quoad esse id non potest esse sine corpore, atque proinde nec corpori dissoluto superesse queat, quod te docere possit non tantum aliud quodlibet corpus, vel temperamentum corporis, sed etiam animæ omnium viuentium, præter hominem, quæ sunt eius naturæ vt singulæ à corporibus suis prorsus dependeant, quales sunt animæ, plantæ, & belluæ at anima humana pendet iuxta prædictam dependentiam à corpore suo: ergo est eiusdem naturæ cum aliis animabus ac ita non magis supermanet dissolutioni cõpositi sui quam illæ animæ suis compositis dissolutis, maiorem huius argumenti, ut veram admittimus: minorem autem prorsus vt falsam respuimus rationem negandi minorem ex superioribus petas, licet vbi luculenter docuimus animam humanam non tali dependentia pendere à corpore suo, cum neque sit temperamentum corporis, neque corpus ipsum, neque ortum ducit à corpore, vel materia, ac ita non ab eo pendet quoad operari nec quoad esse, vt animæ plantarum vel belluarum dependent à suis corporibus, sed animam humanam esse substantiam spiritualem ex nihilo à Deo solo immediate creatam liberam ab omnimoda à materia dependentia quoad operari, & quoque quo ad esse supra demonstrauimus, ac ita paucis, sed solide primorum τῇ ἀθανασίᾳ, animæ hu-

manæ aduersantium argumenta, habes eversa: sequens ergo est vt eamus ad argumenta posteriorum, id est, eorum, qui agnoscunt quidem animam humanam talem esse qualem nos eam esse in superioribus abunde declarauimus, verum tamen eam mori cum corpore asserunt, quorum argumenta præcipua hoc in loco adferre contenti erimus, ne omnia congerendo tædio lectorem rebus nullius fere ponderis, afficiamus, plura quidem adferri posse agnoscimus, sed quæ veritati nocere possunt nulla esse pro certo affirmamus: sed ad primum argumentorum, quæ contra immortalitatem animæ facere quippiam videntur, quod est eiusmodi, vt id proponunt aduersarij, quæ simul incipiunt esse, inquiunt, omnino rationi consentaneum est, ea simul & vna desinere esse, at anima humana & corpus suum simul incipiunt esse: nam eodem momento quo fabrica corporis humani absoluitur, anima ei infunditur, & increatur, prout ex superiori doctrina constat. Ad argumentum repono, multa esse quæ simul & eodem tempore esse incipiunt, non tamen ideo simul & eodem tempore esse desinunt, imo plurima ex ijs quæ habent eandem naturam, v. g. multi homines eodem tempore nascuntur, imo quod magis est duo gemelli eodem etiam loco nascuntur, diuersissimos tamen habent durationis terminos: quare iniquum

Obiectio.

Responsio.

eſt omnino hinc duræ neceſſitatis legi ea quæ ſunt diuerſiſſimarũ naturarum aſtringere, quid quod duratio rerum ſequitur naturam eſſentiæ, non vero momentum originis: ſecundo vrgent hoc argumentum anima humana condita eſt, vt informet corpus ſuum, idque actuet: eſt enim eius forma & ἐντελέχεια, ſi quidem definitur forma corporis organici, ſublato autem eo cuius gratia res aliqua fit, nullus præterea eſt rei vſus, quare fruſtra fuerit ſi diutius duret: in natura autem nihil fruſtra, iuxta illud tritum, Deus & natura nihil fruſtra faciunt. Ad quæ ſic reſpondeo rem alterius cauſa factam non eſſe amplius vtilem ſublato eo, cuius gratia facta eſt, modo eius gratia omnino, & non alium ob finem facta ſit, quod ſi vero eſt alius finis rei etiam ſublato eo cuius gratia facta eſt certa de ratione durare non inutiliter poteſt, exempla ſunt obuia non ſolum in arte factis & ciuilibus, ſed etiam in naturalibus: interim tamen vnum exemplum ad maiorem rei explanationem, adferam, v. g. mulier propter virum facta eſt: ſublato autem viro, non tamen inde inferes mulierem tolli, vel tolli debere niſi in perditionem viduarum ex inferis reuocari velis antiquam Barbaræ Indicæ conſuetudinem, qua viduæ buſtis virorum defunctorum adhuc ardentibus inſilire viuæ cogebantur, qua in re habebis omnes mulieres

Obiectio.

Reſponſio.

quotquot ſunt ſanæ mentis aduerſas: nam licet mulier facta ſit propter virum ſuum, tamen habet proprium finem; quod ad animam humanam attinet, dico quod & alibi innuimus eam non eſſe plane formã corporis, vt ſunt animæ aliorum viuentium, nec plane vectorem corporis, vt ſunt intelligentiæ motrices cælorum: ſed vtramque, ideſt, tum formam, tum vectorem, at neutrius legibus adſtringi licet de vtriſque participet.

Item pernego eam eſſe propter corpus cum contra ſe res habeat: nam propter animam corpus factum eſt, nimirum vt ei inſeruiat: quare cum anima non amplius eo vtitur, vel propter legem ei impoſitam à ſummo rerum gubernatore, vel propter ineptitudinem, ſiue defectum ipſius corporis cum corpus diſſoluitur & eſſe deſinit, & tum nullus eſt eius vſus, & hoc ſenſu verum eſt illud nihil fruſtra in natura. Verum enimvero anima humana etiam relicto corpore ſuum habet vſum: non enim tunc otioſa manet, ſed in actione eſt tota, nam cum multa operetur ſine ope corporis etiam in eo exiſtens, quia non pendet ab eo quo ad operari, quare etiam ſeorſim à corpore poterit, non ſolum eſſe, ſed etiam operari.

Præterea anima humana quandiu vnitur corpori id informat & actuat, vt eius forma vera: non tamen inde ſequitur nun-

quam eam corpus non informare, vel eam sine corpore esse, impossibile esse, cum summus rerum opifex ita statũ animæ nostræ immortalis, vt exiguo admodum tempusculo, & quod vix momentum dici possit, si cum æuo compares infirmæ & caducæ huic corporis compagi vniretur: postea vero vsque ad seculorum consummationem separatam degere, ac tum demum corpori suo pristino, sed renouato & purificato in perpetuum cohabitare ordinab it.

Tertium argumentum quod adferunt *Obiectio.* est eiusmodi, homo licet habeat naturam vel genere diuersam à belluis, moritur tamen vt bellua, quare vt anima belluina interit cum moritur bellua, sic anima humana mori videtur cum moritur homo.

Respondeo licet homo dicatur mori vt *Responsio.* bellua, non inde tamen sequitur eundem esse finem animæ humanæ ac anima belluinæ magis quam propterea quod homo nascitur ex vtero matris vt bellua: ideo anima humana habet eandem oriundi legem cum anima belluina. Item homo viuit vt bellua, ergo eius anima est vt anima belluina, quæ omnia esse falsissima ex supra demonstratis constat, cum docuimus longe aliam esse naturam animæ humanæ ab anima belluina, & longe aliam esse originem animæ humanæ ab origine animæ belluinæ: illud autem homo moritur vt bellua non est κατὰ πάντος verum: quare κατὰ τὶ

intelligendum non magis inquam verum quam illud homo viuit vt bellua.

Item illud, homo nascitur vt bellua: licet in genere hæc enim dicantur ex parte tantum vera sunt: nam sunt multa in quibus differunt ortus siue natiuitas hominis eiusque vita & mors à natiuitate, vita & morte belluæ quod ad differentias in ortu hominis & belluæ de iis in historia originis animæ plus satis docuimus, & quod ad differentias in vita hominis & belluæ in explicatione definitionis animæ & facultatum eius enarratione sufficienter loquuti sumus: quod vero ad differentias in morte hominis & belluæ hoc in loco de iis nonnulla dicendum est: primum ergo dico hanc similitudinem quæ esse nunc deprehenditur inter mortem hominis & belluæ, mortem ex accidenti esse, non vero ex rerum naturis: nam homo peccato suo hanc sibi cum belluis similitudinem induxit: si enim homo in integritate mansisset, non vt bellua morti obnoxius fuisset: mors enim stipendium peccati est. Nota cum dico hominem absque peccato si fuisset non fuisse mortuum vt bellua moritur, non tamen eam propterea eximo ab omni mutatione in corpore suo: sat enim scio hominem etiam integrum habuisse corpus mutabile, in quo calidum & humidum, quamuis temperatissima tandem mutua pugna se mutuo consumpsissent: ar-

gumento est quod etiam ante lapsum habebat vsum cibi ad restaurationem humidi & calidi per hanc mutuã pugnam consumpti ac tandem dissolutum fuisset etiam absque peccato compositum, sed hoc euenisset leui mutatione in meliorem statum, qualem mutationem passi creduntur Elias & Enoch , qui viui è terris sublati sunt. Sed belluæ talis mors quali hodie afficitur ordinata fuit à principio ex conditione naturæ suæ : deinde licet multi homines suis vitiis & sensualitatibus non solum se vsque ad belluas demittunt , sed & infra eas submittunt : tamen vt in vita eorum licet valde deprauata multas licet differentias notare à vita belluæ : sic itidem in morte eorum cuius oculato plurima discrimina obseruare facile est : sed in hominis morte qui conuenientem conditioni naturæ suæ & se dignam vitam degit longe plures differentias à morte belluæ notare licet.

Quarto hic disputant, homo concipitur, formatur , viuit , nascitur , alitur , augetur, senescit, moritur , vt bellua : Ergo eius anima interit vt anima belluina : ad quod respondeo argumentum esse à parte ad totum à corpore scilicet ad totum hominem quoad corpus, verum est hominem esse per omnia hæc similem belluæ , minime vero quo ad animam, nam anima humana est longe diuersa ab anima belluina quo ad principium suum, quo ad essentiam suam,

Obiectio.

Responsio.

& quo ad opera sua, prout abunde docuimus suis locis: quare etiam quoad durationem. Itaque consequentia hæc nulla.

Obiectio. Quinto sic argumentantur omnia creata sunt morti obnoxia, ergo & anima humana: respondeo verum esse animam humanam cum sit creatura posse mori vel interire quod & supra exposuimus: nã quod non habet esse à se ipso potest per naturam suam non esse: licet enim anima vt omnis spiritus sit absoluta à termino & à subiecto, non tamen est absoluta à causa, nimirum à Deo à quo dependet: omne autem dependens potest mutari ab eo à quo dependet, præsertim si principium est voluntarium, vt Deus: si enim vlla creatura non posset mutari ab eo haberet in sese aliud principium resistendi eius infinitati, & per consequens ipsum illud non foret principium: ideo autem non interit anima, quia Deus id non vult nec habet principia in quæ resoluatur.

Responsio.

Obiectio. Sexto sic vrgent, nullus resurrexit à mortuis qui nos doceat animæ statum post mortem corporis: respondeo non opus esse miraculis vt credamus animam esse immortalem, cum multæ sint inuictæ rationes ex natura animæ nostræ desumptæ, quæ satis id persuadent & demonstrant, prout inferius suo loco videbimus, quidquod Deus non vult nos miraculis ad æternitatem apprehendendum adducere, sed

Responsio.

verbo

verbo suo mentes nostras rudes illustrare: hinc apud Euangelistam Lucam 16. ratiocinatur, qui non audit Mosem & Prophetas, etiam si quis à mortuis resurgeret, non ei adhiberet fidem.

Septimo sic vrgent, omne locatum est mortale, at anima saltem per consequentiam cum sit forma corporis, erit locata, siue in loco ad quod. Obiectio.

Respondeo dato non concesso omne locatum esse mortale, nam opponere possum cœlum esse in loco & immortale ex principiis Philosophiæ, & dico hominem & corpus esse in loco & morti subiacere: intellectus operatione dicitur esse in loco. Item definitione in hoc homine & non in illo, nam in hoc terminum habet, non tamen mouetur: ergo non propriè in loco anima est, vt mouet anima nostra habet determinatum, vbi non vero vt intelligit: nam non est in ambitu vniuersi: cum enim intelligis cœlum tum es in cœlo secundum intellectum cum mare intelligis in mari cum concipis terminos vniuersi, vel Deum extra omnia necesse est &c. idest, nullibi. Responsio.

Octauo hoc argumentum quasi herculeum opponunt animam humanam ex infantia augeri, & rursus in senectute adeo minui videmus, vt ad nihilum redigatur: hoc pertinet adagium; *senes bis pueri*, cum senescant operationes, necesse est senescat forma vnde procedunt: operationes enim Obiectio.

dant cognoſcere formam, qualis ſit: ad quod argumentum ſic reſpondeo primo negando animam humanam augeri vel ſeneſcere augente vel ſeneſcente corpore: nam anima humana æque eſt perfecta in infantia, & in ſenectute ac in media ætate, ſed tamen non ita bene operationes multas edit in extremis vitæ puta in ſenectute & in infantia, ac in media ætate ob defectum corporis cuius ope vtitur in pleriſque operationibus. Itaque ex operationibus quæ dependent ab alio, ideſt, inſtrumento non ſatis arguitur qualis ſit forma, vnde procedunt: cum ergo nos qualis ſit anima humana ex operationibus demonſtrare nitemur has in argumentum ſumimus animæ noſtræ operationes, quæ non pendent ab alio: cuiuſmodi ſunt operationes intellectus & voluntatis: hinc in ſenectute, licet corpus & eius organa deficiant, tamen intellectus integerrimus eſt: quare cura reipub. ordinate committitur ſenſibus: indicio ſunt acta Auguſti Tiberij Seueri peruicacis in ſumma ſenectute.

Item Appius Claudius ſenex rempublicam gubernauit: hinc illud μάλιςα βώζεται παλίσενθα βȣ͂λαι γερόντων ἀειςέυȣσι.

Item illud de ſene παλαίατε πȣλλάπειδος, hinc etiam apud Athenienſes ij ſolum ad conſilium vocabantur, qui exceſſerant annum quinquageſimum, in ſenectute

non adeo bene operatur anima in multis operationibus ob defectum corporis vt & in morbis accidit, sed post corpus à morbo liberatum restituitur integritas operationis animæ quia corpus redintegratur non vero in senectute ob exhaustum humidum radicale, senes dicuntur bis pueri ob impotentiam, quæ procedit à defectu corporis.

Nono sic obiiciunt, opinio de animæ humanæ immortalitate plurima mala ab omni tempore suscitauit, & adhuc suscitat, & vt priora secula prætermittam, ad nostra veniamus tempora iam vides totum mundum pessundari contentione religionis: religio autem nulla sine persuasione immortalitatis, e. g. qui sequuntur ritus Romanæ Ecclesiæ oppugnant omnibus modis eos qui potestati sunt contra abusus, quos in Ecclesia Romana esse prætendunt, quamuis Christum vtique colunt pariter Persæ cum Turcis, licet vtraque gens Mahomethem adoret, grauissima bella inter se gerunt ob contentionem religionis, vt hic sileam quomodo Mahometani se gerant erga Christianos, quos non solum incendio cæde, ruina miserabili, denique direptione penitus perdunt, sed etiam canibus viliores habent, quæ mala non euenirent nisi animarum immortalitatem vtrique crederent: ad quod respondeo verum esse id quod in obiectione pro-

ponitur, nimirum hæc mala ab eo esse quod credant animam esse immortalem procedere, sed id ex accidenti fieri dico: non autem ex natura rei ipsius, quæ est per se bona: bonum enim omnino est per se credere animam nostram esse immortalem cum sit veritati insistere: veritas autem est maxima animam nostram esse immortalem, sicut ex sequenti doctrina certo constat ingens, tamen malum per accidens fieri potest ab eo quod per se est optimum, quemadmodum respondent Theologi de Euangelio propter quod licet in sese optimum, multæ sunt contentiones, neque hoc mirum cum idem in aliis rebus bonis euenire solet.

Decimo hic disputant corruptis spiritibus in corde & cerebro corrumpitur intellectus operatio, ita vt non reuertatur, nec dicas eam impediri pro tempore & redire vt in somno: nam post somnum redit, sed corrupto temperamento spirituum in corde & in cerebro non redit operatio intellectus, cum semel desiit: quare & intellectus ipse corrumpitur, cum intellectus & operatio ipsius, ita inter se arcte coniunguntur prout omnis forma & operatio eius, quod & alibi declarauimus, vt alterutrum non potest esse sine alterutro, ita corrupto vno vel sublato corrumpitur & tollitur alterum: ad quæ omnia sic repono; verum omnino est esse

eiusmodi arctam vnionem inter formam & operationem suam, præsertim si à firma omnino operatio dependet, vt operationem intellectus ab eo pendere vltro agnoscimus, sed corrupto temperamento spirituum in corde & in cerebro non corrumpitur intellectus operatio, ac ita nec ipse, nam solum operario cessat: manet enim in intellectu suo, licet non redigatur in actum, vt luna dum nobis obscuratur propria luce & clare lucet, licet eam Eclipsim lucis pati dicamus, ita operatio intellectus manet, quamuis nobis prorsus desinere videtur corrupto temperamento spirituum, ac ita retusa habes primaria oppugnantium immortalitatem animæ humanæ tela: verum enim vero aduersarij veritatem quam nequeunt cæsim percutiendo euertere, vt vidimus, punctim ferire putant, & hæc saltem secundaria via ei noceant dum ei assensum ab hominibus non dari satagunt.

Itaque hasce sequentes quæstiunculas contra immortalitatem animæ humanæ mouent si anima humana post mortem hominis superstes manet cur adeo gloriæ famelici sumus vmbram capturientes cum rem ipsam adipiscemur immortalitatis participes. Quæstio,

Ad hoc repono, talis est imbecillitas naturæ humanæ in hoc rerum statu vt plus moueatur per præsentia, quamuis minora Responsio,

quam per absentia longe validiora.

Quæstio. Secundo petunt cum omnes immortales futuri sumus cur tanto opere celebramus nonnullos viros, puta Alexandrum, Virgilium &c. tanquã solos in æternum victuros cum omnes quotquot sumus qui habemus animam immortalem his longe majores futuri sumus, imo hi inter gregarios numerandi erunt.

Responsio. Respondeo, imperfectio & imbecillitas nostra ob vnionem animæ cum corpore caduco est in causa cur nos ita admiremur homines viuentes nobis similes instar puerorum, qui magis admirantur coæquales suos quam reges, at tamen sine diminutione regiæ majestatis ita nos sine periculo æternitatis nonnullos homines hic in terris celebramus.

Quæstio. Item aduersarij sic quærunt, si anima humana est immortalis, quare non semper intelligit?

Responsio. Respondeo cum philosopho quo ad actum intelligendi semper se eodem modo habet anima: semper enim sua natura illuminat secumque habet plurimas notiones, quas vocant communes animi sententias & prima principia, sed non semper intelligit hoc vel illud, quia non ab illo vel hoc obiecto ad intelligendum excitatur.

Item hoc vel illud obiectum deficit, quare tunc intellectionem de hoc vel illo cessa-

re oportet: deinde quærunt si certissimus post mortem corporis potiori vita frui cur adeo mortem formidamus, ratio est licet anima superstes maneat corpori mortuo, tamen cum ad corpus informandum ordinata sit, durum est ei ab illo separari dissolutio omnis & interitus per se mala sunt. Quæstio. Responsio.

Insuper petunt, si anima humana est immortalis cur tot tamque diuersæ sunt hominum, imo doctorum ea de re discrepantes opiniones? Quæstio.

Respondeo, diuersitas opinionum super duratione animæ humanæ ostendit rei difficultatem, non autem tollit rem ipsam, etiam aiunt si animæ hominum sunt immortales, infinitus erit earum numerus, at infinitum ponere est perabsurdum. Responsio. Quæstio.

Respondeo, non est infinitus animarum numerus, licet plurimæ sint animæ humanæ: infinitum autem capiendo nulla certe capacitas sufficit, petunt quoque num ab omni æuo credita fuit animæ humanæ immortalitas, & apud omnes gentes atque à doctioribus fuit. Responsio. Quæstio.

Respondeo, nullo tempore defuerunt qui animas humanas docerent & crederent esse immortales: nam qui colunt simulachra, credunt tartara & animas corpori superesse agnoscunt quid censeat Galenus super immortalitate animæ parum nos morari debet cum huic parti philosophiæ exiguam operam locauit, vt eius in hac re va- Responsio.

cillātia ſatis oſtendit quid quod iuratiſſimi Galeni diſcipuli nobis perſuadere volunt Galenũ animæ humanę immortalitatẽ credidiſſe, nec aliter fieri poſſe dicunt cum à Deo familiariter Chriſtianis vſus ſit, tãque multum in ſcriptis Philoſophi verſatus, ſit quod ad Plinium & Aphrodiſæum attinet huiuſce negotii admodũ fuiſſe ignaros affir. mo, nec hoc mirũ cum in plurimis aliis ſen. ſui magis obuiis, ignorantiã ſuam prodiderunt: ſiquidẽ diligentiores hi fuiſſe mihi videntur in aliorum ſententias exerpendo, & in vnum colligendo quam in eas examinando non attendendum quid hic vel illa dixerit: tantum enim cuique credere oportet quantum ratio cogit, neque præceps rapiare in vllius ſententiam quod ſi facis in multa incommoda & abſurda incides, e.g. ſi in omnibus ſequi Galenum vis neceſſe eſt, cum eo dicas ſtellas eſſe ſiccas &c. ſciens nunc prætereo craſſiſſimos alios Galeni errores, nec non Plinii & ~~abſurdii~~, ſed ne longus ſum qui à criticis exagitantur.

Aphrodisæi

Præterea rogant, anima humana ſi eſt immortalis, nam ſeparata intelligit intellectus reliquos, ad quod repono anima ſeparata cognoſcit intellectus reliquos non exacte quando nihil præter Deum perfecte intelligit, ſed inſtantes petunt ſi anima humana poſt hanc vitam intelligit, quo pacto id facit.

Respondeo id fieri ab anima nostra longe alio post hanc vitam quam in hac vita modo, si quidem intellectus in hac vita intelligit plurima per sensus & phantasmata, at in vita futura nihil iis eget, omnia quippe intelligit per propriam naturam sine interuentu vllius rei, vel phantasmatis, vel speciei rei inter intelligentem, & rem intellectam, id est anima nostra separata intelligit vt Angeli intelligunt res omnes, at vrgent si vnus est modus intelligendi in hac vita, & alius post hanc vitam videtur natura animæ intelligentis sic duplicari per duplicem hunc intelligendi modum, ac ita alia erit post hanc vitam anima hominis quam in hac vita. Responsio. Quæstio.

Respondeo à duplici intelligendi modo non sequi duplicem naturam animæ non magis quam duplici cognoscendi modo, puta per sensum & per intellectum etiam dum anima est in corpore: sequitur animam duplicem habere naturam cum apud veritatis alumnos constet vnam eamdemque animam esse in corpore humano quæ sentiat & intelligat. Responsio.

Vltra quærunt, quî potest fieri vt status animæ separatæ sit diuturnus cum separatio fit per violentiam: nam non nisi inuita anima relinquit hospitium id est corpus. Quæstio.

Respondeo confitendo gratum esse valde & dulce admodum animæ manere vna Responsio.

cum corpore, suo cui essentialiter vnita est, ac proinde non nisi ἀκόντως & inuitè ab eo diuelli, tamen cum parens iussui summi imperatoris semel castris emigrauit sese colligit, & melius se habere incipit terens tempus in contemplatione rerum meliorum.

Quæstio. Responsio. Quærunt itidem, num anima nostra separata sit τὸ δετὶ hoc aliquid. Respondetur animam, vt supra diximus, non esse naturæ omuibus numeris completæ, ac ita non exacte & proprie loquendo esse τὸ δετὶ: interim tamen separata per se consistit atque liberius quam in corpore infirmo possidet suum esse, & quod quasi retrahit in se se dum separatur a corpore caduco, quod esse suum necesse habebat communicare corpori vt cumque infirmo ad constitutionē integri hominis, quādiu corpori vnita erat.

Quæstio. Ad hæc quærunt, si animæ hominum huic vitæ supersunt quomodo se gerunt animæ hominum hic in terris amicorum inter sese nec non animæ inimicorum hominum in vita futura: respondeo, animas

Responsio. nostras vinculis infirmi corporis liberatas esse omnino ab eiusmodi affectibus immunes & liberas, à morte enim amicitiæ & inimicitiæ terrenæ nullus est locus, nam post mortem corporis animæ hominum non abripiuntur amplius præcipites ab intemperato corpore, vt sic fieri solet in prædictis & id genus alis affecti-

bus, sed pura vt alij intellectus siue intelligentię ἐν τῷ ἅδῃ degunt quin etiam quæri solet cum anima humana separatur à corpore suo, quid sit de facultatibus sensitiua & vitali, nunquid eæ pereunt animæ cũ suis inferioribus potestatibus nam intellectualis manere forte dici posset. Quæstio.

Respondeo nihil omnino perire animæ per separationem, quod est ei essentiale, vt sunt prædictæ facultates, quemadmodum enim nihil perit soli licet non fiat Iris, quæ à nube ex parte pendet, & non tantum à radiis solis: ita nihil perit animæ cum cessant operationes quæ pendent à corpore, cuiusmodi sunt operationes facultatum vitalis & sensitiuæ: nam hæ facultates manent in anima etiam separata quum sint ei essentiales siue de eius essentia: interim licet in vel cum anima separata maneant vitalis & sensitiua facultates, non tamen vt tales cum ea maneant, sed colliguntur in animam vnde emanarant, rursus ex ea emanaturæ cum corpori suo reunietur anima ac- tum de nouo sensitiuæ & vitalis futuræ, exercentes propria munia & operationes quod hic dico de vitali & sensitiua facultatibus in genere de omnibus minoribus potestatibus, quæ illis ancillantur, dictum puta pariter quęrunt si anima nostra est cœlestis & æterna, vnde est quod corpus nostrum non ei prorsus obsequium præstet vt vides alia omnia sublunaria obsequi cœ- Responsio. Quæstio.

lestibus & æternis ab iisque regi.

Responsio. Respondeo ab initio corpus humanum prorsus sequebatur ductũ animæ rationalis vt omnia inferiora sequuntur superiorum regimen, sed hæc rebellio corporis humani contra animam suam venit interuentu peccati ex accidenti: non autem ex natura rerum ipsarum, iam quæritur idem quî

Quæstio. fieri potest, vt anima humana quæ est corporis forma essentialis, ac consequenter arcte corpori suo vnita possit ab eo separari cum accidens nullum potest separari à subiecto suo, cum quo non ita arcte vnitur, vt forma vnitur corpori suo quippe cum eo minus vnum faciens, idest, tantum per accidens.

Responsio. Respondeo verissimum esse vnionem animæ cum corpore suo esse arctiorem, quia nimirum forma naturalis & essentialis sit corporis, quam est vnio vilius accidentis cum subiecto suo: tamen hoc non impedit separationem animæ humanæ à corpore suo, & non iuuat separabilitatem accidentis à subiecto suo accidens non potest separari à subiecto suo propter suam ipsius tenuitatem non vero propter eius cum subiecto vnionem: continuo enim illi prorsus pereundum foret nisi subiectum suo robore id sustentaret: inde illud accidentis esse est in esse, ast anima humana cum nihil à corpore accipiat, imo quod magis est plurimum ei contribuat, licet arcto

um eo vniatur non ab eo pendet quo ad
sse: quare potest ab eo sine sui interitu *Quæstio.*
parari: petunt etiam, mirum est animam
umanam separari à corpore suo cum sit
us forma essentialis, & nullibi reperire
t in rerum natura exemplum vbi alteru-
a pars constitutionis superstes maneat
teri.

Respondeo, licet nullum aliud exem- *Responsio.*
um separationis materiæ & formæ in
rum natura inueniri possit præter separa-
onem animæ & corporis hominis, tamen
c nihil obstat veritati huiusce separatio-
s, & eam tantum esse singularem euin-
t, sed ad manum exemplum aliud est,
nne vides apud nos quotidie seruari
diu arbores spoliatas anima sua, cum
a faciebant vnum per se cum vna essent:
m in ligno forma arboris iam retroces- *Quæstio.*
in materiam vnde emerserat prius simi-
er peti solet si anima humana est immor-
is, cur tam pauci immortalitatem ani-
e habent præ oculis tamque turpiter de
re errant.

Respondeo supinitas hominum est in *Responsio.*
sa qui non satis sunt solliciti in animæ
træ immortalitate indaganda, nec mi-
n videri possit reperiri homines qui pa-
n curent immortalitatem cum vitam
sentem plerique non tantum negli-
nt, sed omnino miseram reddant: su-
itas autem hæc hominum arguit ipso-

rum stultitiam, non vero veritatem diminuit: quærunt quoque si anima separatur à corpore & est indiuisibilis, quis motus localis ei conuenire potest: indiuisibili enim nullis conuenit motus localis nisi ratione continui in quo sit iuxta placita Philosophorum.

Quæstio.

Responsio.

Respondeo, animæ separatæ etiam conuenire motum localem quo locum decurrit, & ad eum se applicat non sine lapsu temporis qui modus in scholis dici solet motus applicationis, vt distinguatur ab illo altero motu quo mobile coæquatur spatio. Ita vt pars parti vna post aliam totumque toti respondeat, hic posterior motus vocari solet motus commensurationis. Petunt præterea si anima separata manes à corpore etiam habebit suas species, & vnde eruit. Respondeo eam habere suas species vnde Angelus habet suas, id est, vel à sese, vel à Deo, adde anima retinet quasdam species in vita futura quas hic in terris habebat; quin etiam in vita futura anima est per se ipsam, & sese intellectura, atque inde factura de aliis coniecturam. Rogant insuper quomodo animæ separatæ possint se inuicem cognoscere cum sint tot numero. Respondeo difficultatem in cognoscendo plurima tum demum esse dum ab vno progrederis ad aliud, sed anima separata, vt Angeli vno intuitu multa cognoscunt superioribus dubitationibus,

Quæstio.

Responsio.

Quæstio.

Responsio.

hanc addunt de Philoſopho, quem aiunt de anima humana, ideſt, forma corporis naturalis egiſſe in Phyſicis, & non alibi, quod inquiunt argumento eſſe poteſt eam non eſſe ſubſtantiam, quæ ſenſum excedere poſſit, ac proinde non immortalem, nec à corpore ſuo ſeparabilem: nam ſenſus non poteſt eſſe ſine ope corporis, & toties repetitum. Quæſtio.

Reſpondeo, verum eſt Philoſophum egiſſe de anima humana in Phyſicis, vt eſt forma corporis naturalis, & corpori vnita, non tamen ſequitur inde eum non alibi tractaſſe de anima noſtra, præſertim cum teſtentur nonnulli eum ſcripſiſſe librum, de anima hominis ſingularem ad Eudemium nec eum egiſſe de anima hominis in quæſtionibus quæ ſcripta temporis iniuria perierunt. Reſponſio.

Vltra dubitantes quærunt ſi anima noſtra ſuperſtes corpori immortalis viuit vnde naſcuntur in ea lapſus memoriæ intellectiuæ quos toties noſtro damno experimur. Quæſtio.

Reſpondeo eos naſci non ab ipſa memoria intellectiua, ſed ab inferiore poteſtate ſenſitiua proxime intellectui ſubſeruiente, quę poteſtas ſenſitiua cum pendeat omnino à corpore in operatione ſua, neceſſe eſt, vt male operetur cum pars corporis qua pro organo vtitur male ſe habet, ac conſequenter ita male miniſterium præ- Reſponſio.

buit intellectui. Cui hæc prædicta non sunt nimis plura fortasse reperire poterit, sed nulla quæ offendant vel veritati de immortalitate animæ officiant.

SECTIO III.

In qua argumenta selectiora demonstrantia animæ humanæ immortalitatem breuibus proponuntur.

NVnc post retusa tela quibus pugnant contra veritatem ij qui animam humanam instar animæ belluinæ mortalem esse dictitant, sequens est vt proponamus rationes saltem præcipuas quibus animam humanam esse reuera à morte immunem siue immortalem firmiter credere adducimur, quas rationes ordine & clare exhibemus.

Itaque primum sic argumentabimur à natura ipsius animæ humanæ summus rerū opifex pro summa sua sapientia à primordio cuique rerum generi pro duratione quam habere voluit naturam ei conuenientem concessit, hinc rebus quas morti subditas esse decreuit vel dedit iis naturam complexam , id est, constantem ex multis simplicibus iisque naturarum oppositam

poſitarum ex qua oppoſitione naſcitur pugna mutatio, ex mutatione tandem mors aduenit vel deditiis naturam ſuam compoſitam vt prioribus: tamen dependentem prorſus ab alio, ita vt ſublato vel pereunte eo à quo dependet eiuſmodi natura neceſſe eſt ipſa natura pereat alterutrum harum naturarum, habent ea omnia quæ vulgo dicuntur caduca, quia poſt certum tempus cadunt vel pereunt, qualia ſunt pleraque omnia ſublunaria, verum rebus quas Deus morti eximere vel in perpetuum manere voluit eis dedit non ſolum naturam ſimplam, id eſt, compoſitione puram, ac proinde à pugna quæ compoſitionem ſequitur, ac conſequenter à mutatione pugnæ ſequela, atque denique à morte libera erit, quæ mutationis ſubſequens eſt, ſed etiam iis dedit naturam minime dependentem ab alio ita licet aliud cum ipſis vnitur, perperat nihil eis præterea metuendum cum non pendeat ab eo res tali natura præditæ immortales, ideſt, morte immunes, æternæ nuncupantur, eiuſmodi naturam habent ſubſtantiæ ſpirituales & immateriales, quales ſunt Angeli & anima humana, vt ſupra vidimus: ibi videlicet vbi poſt confutatos ſuper natura animæ errores veram eius definitionem vidimus & datam explicuimus.

Itaque cum anima humana non habet in ſeſe mortis principium, id eſt, neque per

ex pugna

compositionem,& quæ eam sequi iam vidimus, neque per dependentiã omnimodã,& quæ eam sequi diximus, mortalis esse non potest, sed à morte immunis & immortalis omnino erit nihil contra hanc veritatem facit quod anima humana receptaculum contrariis oppositis præbeat dum ea cognoscens in se recipit secundum suæ ipsius naturæ modum, quando ea quæ alioqui suapte natura pugnantia sunt, statim atque in intellectum ingressa sunt pacem inter sese ineunt, vnamque scientiam rationes & similia eorum constituunt, siquidem contrariorum eadem est scientia, nequicquã facit contra hanc ipsam veritatem quod anima nostra in plerisque operationibus vtatur ope corporis ac ita tantisper ab eo dependeat, cum id faciat certa tantum de ratione nimirum propter commodum corporis, non autem necessario vt faciunt ea qui dependent omnino per omnimodam dependentiam à corpore, à qua dependentia omnimoda animam nostram esse liberam & immunem toties iam docuimus.

Secundo loco, argumenta ab origine animæ humanæ pro eius ἀθανασίᾳ sumemus & sic procedimus, quæ caduca & morti obnoxia esse decreuit summus rerum opifex ea ex aliquo præexistente principio fieri, oriri vel saltem emergere voluit, prout constat ex historia sublunarium omnium

in quod rursus reuerti, ac ita mori possunt, è contrario quæ æterna & à morte esse libera ordinauit ex immediata & sola operatione ipsius Omnipotentis conditoris sine vllo principio præexistente, id est, ex nihilo fieri vel esse voluit: ita vt nullum habeant principium in quod redeant, ac proinde nec mori possunt: animam autem humanam esse ex nihilo à solo Deo sine interuentu vllius creaturæ productam abunde in superioribus ostendimus, vbi originem eius fuse explicauimus, neque prorsus alienum est quod dicunt Philosophi iuxta naturæ cursum ordinarium ex nihilo fieri aliquid nequit: ergo, inquam, neque iuxta eundem cursum naturæ ordinarium aliquid in nihilum reduci potest, quum æque sit difficile vt aliquid deueniat nihil quam vt de nihilo fiat aliquid.

Itaque cum anima humana est aliquid non potest in nihilum reduci, iuxta cursum naturæ ordinarium nec resolui potest in principia quæ non habet, vt satis iam ostendimus: quare æterna & à morte immunis erit.

Deinde pro immortalitate animæ nostræ sic argumẽtamur, quæ sunt caduca & θνητὰ imperio temporis omnino subdita sunt, tunc in fieri, tunc in operari: nam vt fiunt in tempore vel temporis parte, ita operari non possunt nisi per successionem temporis: hoc enim prius tempore faciunt quam

illud, ſed anima humana qua talis, id eſt, vt eſt ſubſtantia ſpiritualis, prout intelligentia, ſiue Angelus qualem eam eſſe ſuo loco demonſtrauimus, nec eſt in tempore nec temporis terminis ſiue partibus nobiliſſimis puta τῷ prius & τῷ poſterius ſubiicitur, imo ne inſtanti ſubiacet proprie & genuine loquendo: nam nec aduenit nec diſcedit nec operatur in inſtanti magis quam in tempore, licet vulgo eam ἐν τῷ νῦν ſiue inſtanti aduenire, & operari ac diſcedere ob inopiam propriarum vocum dicamus, tantum autem abeſt, inquam, vt anima noſtra vel intellectus humanus ſubiaceat tempori vel eius partibus, vt ipſa regina & domina temporis ſit coniungens pro imperio ſuo præteritum & futurum tempus & eius partes induſtria ſua mira metiens.

Item ſine vlla temporis diſtinctione aſcendit ad cælos, deſcendit ad ima terræ totumque orbem percurrit, quare non poteſt fieri vt anima humana ſit caduca & mortalis, ac conſequenter ἀθάνατος & à morte libera erit: cæterum quod hic dico animam noſtram citius quam in inſtanti ad loca quam maxime diſſita adire, quod intellige cogitatione vel meditatione: nam cum mouetur anima motu locali è loco ad locum procul omni dubio licet forte tempus non diſtinguatur, ad ſenſum tamen in ſeſe & ratione diſtinguendum eſt: alioqui idem foret in plurimis locis eodem mo-

mento temporis, quod eſt abſurdum, ad vim vero argumenti prædicti ſatis eſt animam noſtram poſſe eodem temporis momento vel cogitatione plura loca adire, quod nullis niſi æternis conuenit, atque hoc ſatis demonſtrat animam noſtram in motibus ſuis non ſubiici temporis legibus.

Quarto propter defenſionem ἀθανασίας animæ noſtræ ſic diſputamus quodcumque moritur vel perit, id vel ex accidenti interit (aliquid ex accidenti perire dicitur quod aliquo ſublato perit) vel per ſe interit inte rire per ſe aliquid dicitur quod propriæ naturæ defectu interit) ſed ab vtroque incommodo eſt immunis anima humana quod de vtroque probamus, primo eam eſſe immunem à priori incommodo ſic demonſtramus, quæ res alterius iactura pereunt, ea ſubſiſtunt in altero, & per alterum omnino, ita vt ſine altero nec poſſunt eſſe nec operari, & huius farinæ ſunt non ſolum accidentia quorum eſſe omnino eſt ineſſe ſubiectis ſuis, ſed etiam formæ ſubſtantiales mere naturales, nec non animæ plantarum & belluarum: nam ita ſubſiſtunt in corporibus ſuis, & per corpora ſua quæ informant vt nullo modo poſſint operari niſi in iis & per ea adeo ſint iis immerſæ, prout conſtat ex earum operationibus: argumenta autem deſumpta ab operari ad eſſe ſunt firmiſſimæ demon-

ſtrationes licet à poſteriori: quodque enim operatur vt eſt ſicut iam non infrequenter inculcauimus: huiuſmodi ergo animæ, puta plantæ & belluæ æque ac formæ mere naturales, prout ad generationem compoſiti ſuboriuntur emergentes è materia, ſic ad compoſiti internecionem abolentur prorſus redeuntes in materiam è qua demerſerant: aſt anima humana cum poſſit operari ſine ſuo corpore, immunis eſt ab omnimoda illa dependentia à corpore.

Itaque quoque erit inmunis ab omnibus incommodis, quæ euenire ſolent formis & animabus prorſus dependentibus à corporibus ſuis propter hanc omnimodam dependētiam, ideſt, immunis quoque erit ab interitu ex accidenti, hoc eſt non interibit ad interitum corporis, cum nihil poſſit operari ſine ope corporis niſi quod per ſe ſubſiſtere poteſt ſine corpore: anima autem humana vel per ſolam facultatem intellectiuam ſe poſſe ſine ope corporis operari ſatis oſtendit cum corpora cūcta & res vniuerſas noſcit, &c. Si enim in his & huiuſmodi operationibus anima corpori affixa eſſet, ad paucula determinata foret, quemadmodum in ſenſatione fieri videmus, per quam rerum omnium cognitio haberi nequit quidquod anima humana in ſeſe rediens reflectit operationem ſuā, vt ſeſe cognoſcat, vel vt cognitionem ſuam

quam de rebus habet recognoſcat quod ſe corpori anima noſtra affixa omnino foret, facere nequiret: ſic enim operatione tantum directa operaretur, prout omnia quæ à corpore prorſus dependent operantur omnia prædicta opera agit anima ſine ope corporis, vt quod vel vt cauſa nón tantum principalis: aſt interdum, imo ſæpe vtitur corpore vt inſtrumento operationis ſuæ, & agit per corpus vt principium quo, nihil autem poteſt agere vt principium quod niſi quod per ſe ſubſiſtit ſine alio. T S:d A ſola

Itaque prout anima non pendet à corpore, neque quoad operari, neque quoad eſſe conſequenter, neque quoad durare pendebit: nam duratio ſequitur eſſentiam vel conditionem eſſentiæ, quare prorſus iniquum fuerit dicere animam noſtram eſſe eiuſdem durationis cum corpore.

Iam ſecundo loco dicimus animam humanam per ſe perire non poſſe, quod ſic demonſtramus nulla forma per ſe interit, ergo nec anima humana: formæ autem aliæ intereunt iactura corporum à quibus dependent omnino, & in quibus vis eorum tota eſt penitus immerſa: ratio vero cur nulla forma ex ſeſe interire poſſit eſt hæc eſſe, per ſe competit omni formæ cum ſit actus: quod autem per ſe alicui competit impoſſibile eſt ab eo ſeparari, cum ſemper, & vbique ei adſit.

Itaque nulla forma à seipsa corrumpi potest: quare vt in pauca hæc omnia contraham cum anima humana, nec ex accidenti, nec ex sese perire possit immortalis erit.

Item sic proponi potest hoc argumentum quartum quidquid interit vel interit quod deperitur à conseruante; vel quod dissoluitur in partes, vel quod oppugnatum euertitur à contrariis ab omnibus his incommodis libera est anima nostra: ergo non omnino interit ex supra traditis didicimus animam humanam esse puram & simplicem, nihil admixti: nihil concreti, nihil copulati, nihil coagmentati, nihil duplicis in sese habentem: quare nec diminui nec distrahi, nec discerpi potest.

Ita immunis erit ab incommodo quod sequitur dissolutionem, supra etiam vidimus animam nostram nihil habere sibi contrarium cum sit substantia pura & simplex, & non accidens: quare ab oppugnante non potest euerti, neque deseritur vnquam à conseruante Deo: nam Deus suam perpetuam adsistentiam animæ nostræ adfore semper docuit nos non solum concedendo illi talé naturæ conditionem, sed etiam in verbo suo inculcat sæpissime; vt suo loco videbimus animas nostras in perpetuum duraturas, quod non certe facere possunt sine numinis adsistentia: hic taceo eam cognitionem adsistentiæ numi-

nis quam experientia tot seculorum nobis præstat. Itaque rursus meritissimo concludes animam nostram ab interitu liberam esse.

Quintum argumentum pro animæ nostræ immortalitate sumimus à fine, cui destinata est per summum opificem, anima humana ideo facta est adeo vt summum bonum, id est, Deum ipsum plene cognosceret, cognoscendo plene amaret, amando possideret, plene possidendo frueretur plene; & id non ad tempus & in perpetuum, alioqui non foret syncera & genuina summi boni fruitio, id est, propria felicitas: nam non in eo vt vltimo fine acquiesceret, sed vltra aliquid cuperet si ad tempus tantum esset: cum autem esse animæ humanæ finem manifeste demonstrat appetitus animæ innatus & connatus recta ratione directus, qui nullo modo frustraneus esse potest, iuxta illud principium apud omnes receptum Deus & natura nihil frustra faciunt, sed omnia ob certum finem: anima vero humana non potest adipisci finem in quem condita est, imo è contrario vt plurimùm à fine suo deturbatur in hac terrena vita, licet eum auide cupiat: quare necesse est vt post hanc vitam anima superstes fiet & alia vita eam maneat in qua optato fine frui & cupit à beatitudine potiri possit.

Insuper argumento est hominem in hac

vita vltra præsentia aliquid sperare cum nullus adhuc homo sanam habens mentem repertus sit, quamuis longe plurima, & huius generis optima maximeque varia possideret, qui nihil vltra hæc præsentia cupiuerit, quique sorte hac sua præsenti contentus fuerit.

Item voluntas humana naturaliter bonum quærit in quo nihil mali sit hoc non potest esse, nisi Deus quem hic in terris possidere plene nequit. Itaque alibi, id est, in cælis deo plena possessione fruatur necesse est: quod autem voluntas interdum à sensibus illecta, & quasi laqueata modo in hoc modo in illud inclinet, nihil contra hanc veritatem facit: nam nunquam ita deserit primum institutum suum, vt propterea alius, eius finis à summo bono censeri possit.

Sexto hac ratione immortalitatem animæ nostræ arguemus semina immortalitatis sunt innata animæ humanæ, hinc est quod cum anima nostra cogitat immortalia, fouetur admodum & recreatur: contra vero cum tantum caduca & transitoria meditatur male se habet, hinc etiam appetitus animæ hominum insitus perpetuandi nomen & famam suam quod affectat non tantum propagatione liberorum, sed etiam operibus certe difficillimis: in primis autem ingentibus factis, & litterarum monumentis quæ sunt quæ

maxime durant cum opera manuum tempori vel exiguo cedant, &c. in quibus perficiendis maximos labores ſubit libentiſſime anima, propter appetitum immortalitatis, imo ipſe Epicurus, qui quamuis præpoſtere ſuos docuit futurorum curam relinquere, & præſentia tantum curare, hoc ipſum cupide affectauit dum multa poſteris conſcripta reliquit, ac ita exemplo ſuo doctrinam propriam reprobauit & ſic ſe non eſſe reuera talem oſtendit qualem male, & inſulſe ſe eſſe profeſſus eſt, verum, licet, vt ingenue fatear, perpetuatio nominis hic in terris poſt mortem ſit tantum vmbra, eaque leuis admodum, veræ immortalitatis, interim tamen certiſſimum eius indicium & τεκμήριον, infallibile eſſe non deſinit: nam opera animæ, ſiue ea ſunt ingenii monumenta, ſiue ingentia facta æterna maneant.

Septimo ſic pro veritate ἀθανασίας animæ humanæ argumentamur ſi anima noſtra ſit mortalis, atque ſi nihil noſtri poſt hanc vitam ſuperſit, quorſum tantos hic labores ſuſcipimus, adeoque, vt ita dicam, ſe fatiget anima noſtra in cognoſcendo: verum & ſe ipſam exercendo in actionibus ſecundum virtutem pro quibus omnibus ſublata animæ humanæ immortalitate nullum præmium, nulla merces, ac ita nullus rerum humanarum certus finis erit.

Imo sine animæ nostræ immortalitate conditio hominis longe fuerit deterior conditione vllius creaturæ ob tot mala quæ hic patimur, quemadmodum argumentatur Paulus Epistola ad Corinth. cap. 15. Item nisi anima humana sit corpori superstes vitam post hanc terrenã possidens, summus vniuersi gubernator æquissimus, iniustitiæ & iniquitatis argui non iniuria possit, qui, ordinationibus suis reluctantes, easque violantes & contemnentes impunitos relinquat, imo plurimos iis non solum impunitos in hac vita videmus, sed etiam delitiis effluentes, at è contrario Dei mandato maxime obedientes videas in summa miseria, & multis malis affligi: quare necesse est, vt alia post hanc, vita sit in qua præmium singulis debitum reddatur, & iusta merces tribuatur. Pessime hic à nonnullis veritatis aduersariis obiicitur virtutem ipsam sibi esse præmium, sufficiens vitium sibi ipsi esse supplicium sufficiens, pessime, inquam, eritur hoc ab aduersariis, quia si in virtute ipsa ad compensationem sui & in vitio ipso ad pœnam sui abunde sit, certè Deus de nouo vltra prædictam rationem merito iniustus, censeri possit (qui alias ipsissima est iustitia) nam in vitiosis temporis futuri metus, vt in virtute prædictis temporis futuri spes, cogitationem autem futuri esse in ambobus vel manifestũ est, quod hac futuri cogitatione

maxime ſuſtentant in malis boni, & ex aduerſo torquent in bonis mali, ipſi vtrique ſibi intra ſe teſtes ſunt, quæ cogitatio ſi hos fœliciter vel illos infœliciter deciperet, nulla capitalior à Deo iuſtiſſimo iniuſtitia eſſe poſſit, quid quod ſi virtus eſt ſeſe ſola contenta, & vitium ſe ipſo ſolo infœlix ipſa tollendæ ſunt è medio hominum, quæ quinque ſunt de mercede, aut de pœna legis & vnicuique ſuo arbitratu permittenda viuendi licentia: ergo aut agnoſcendum animæ noſtræ immortalitatem, aut Deo ſumme ſapienti ac æquiſſimo rerum moderatori eripiendum eſſe ſuam æquitatem, ac ſapientiam, & vſum omnium legum abrogandum eſſe, neceſſe omnino fuerit, quæ omnia eſſe abſurdiſſima nullus non videat itaque vt hæc prorſus abſurda euitentur, omnino ſeptimo hoc argumento concludimus animam noſtram eſſe immortalem & æternam.

Octauo tali vtor dilemmate pro animæ noſtræ humanæ ἀθανασίᾳ, vel eſt nihil, vel eſt aliquid nihil eſſe non poteſt anima hominis ob rationes ſupra traditas in eo loco vbi confutauimus primum errorem ſuper natura animæ noſtræ, quas inde petas licet eas hic repetere fruſtraneum eſſe ducimus, præſertim cum quærenti locus ſupra dictus ad manum ſit: quare cum anima noſtra non poteſt eſſe, reſtat neceſſario vt ſit aliquid ac conſequenter prorſus vt ſit

incorruptibile quid siue æternum. quod sic demonstro, quod à nullo patitur id corrumpi non potest, at anima nostra est talis, ergo immortalis erit: ideo autem animam à nullo pati, in hoc argumento, posse dicimus, quia omnes formas saltem earum ideas in sese continet, & ad eas indifferenter se habet: quod autem se indifferenter ad omnia habet à nullo pati potest. Itaque à primo ad vltimum cum anima humana non sit nihil, sed aliquid incorruptibilis & immortalis omnino erit.

Nono immortalitatem animæ humanæ sic doceo, quod ab æterno profluit siue emanat, si est substantia est æternum: si enim lumen prout profluit à sole esset substantia prout est accidens, procul omni dubio foret æternum, cum à sole (qui est æternus vel ex sententia Philosophorum,) procedat & pereat tantum, quia non est substantia, intellectum siue animam humanam esse substantiam ex supradictis vidimus, quibus nunc super adde quodcumque per se agit & mouet non tanquam instrumentum est substantia, si enim calor per se ageret vtique esset substantia: calor autem non agit per se, nam est calidum quod agit vtens calore tanquam instrumento: quare cum intellectus siue ὄνυς sit agens per se, omnino substantia erit, atque quum emanat & profluit immediate ab æterno iuxta placita ipsorum saltem seniorum Philosophorum,

qui eam vocant profluuium siue effluxum essentiæ diuinæ, ergo omnino immortalis erit anima.

Decimo sic pro animæ nostræ immortalitate pugnamus, anima humana mouetur motu Metaphysico à seipsa dum intelligit, vult, &c. vnde αὐτοκίνητος Græce dicitur: à nullo enim externo motore post Deum mouetur, ne dum à corpore, & nihil est dicere animam moueri ab obiecto, circa quod operatur: nam à quo obiecto mouetur dum se ipsam intelligit, & vult, quod vero potest moueri sine altero alteri non ita vnitum est vt ab eo prorsus pendeat, vt omnino cum eo viuat, vel moriatur: quare anima humana cum potest moueri sine ~~eo~~ corpore etiam potest viuere sine eo, ac ita morti corporis non subdita, sed ab ea immunis merito censeri debet.

Porro quod à seipso mouetur, vel quod seipsum mouet est immortale, quia quod à seipsa mouetur, semper mouetur: nunquam enim se deserit. Item quinetiam quod se mouet est principium, & desinere non potest quod à se ipso mouetur, facit vt perpetuo moueatur: abesse enim à causa sui motus non potest ac consequẽter tale est immortale ac æternum, atque cũ anima nostra sit αὐτοκίνητος immortalis & æterna erit.

Vndecimo hac ratione stabilire ἀθανασίαν animæ nostræ conamur, si anima humana non esset spiritualis & immunis à materia,

ac consequenter immortalis non haberet libertatem voluntatis, quam eam habere in confesso apud omnes est quod & nos supra suo loco demonstrauimus. Ratio huius est, quia moueretur prorsus ab obiecto impetu vehementi prout anima belluina, mouetur, quæ non potest suspendere actionem suam, vel agere aliter ac aliter deliberare. Vtrum debeat amplecti nec ne obiectum, contra quam fieri ab anima humana videmus, quæ suspendit actionem & deliberat vtrum debeat amplecti obiectum nec ne, taceo hic opinionem τȣ̃ δεῖνα statuentis animam humanam si sit mortalis pendere prorsus à cœlo vt sublunaria omnia ac ita stellis esse subditam, ac consequenter non esse liberam, sed cum sit libera, vt apud omnes constat necesse est vt sit alius conditionis ab iis quæ cœlo subiiciuntur, quæ sunt omnia caduca: quare immortalis erit etiam hac de ratione anima nostra.

Duodecimo hoc modo immortalitatem animæ nostræ probamus. anima humana quo magis abstrahitur ab hoc corpore infirmo & caduco, eo nobilius agit, sicut certo constat ex operationibus quæ sicut per abstractionem à corpore, & per reditum animæ nostræ in seipsum atque nominatim in ἐκστάσει & ardua cogitatione aliqua, cuiusmodi sunt operationes illæ sublimiores circa Deum, circa Angelos, circa seipsam, quæ satis demonstrant animam abstractam

à corpore

à corpore hoc infirmo, non solum agere, sed multo nobilius agere: quare non solum esse posse, sed multo melius esse quam in hoc corpore infirmo: hæ autem operationes sublimiores non possunt dici esse in corpore nisi ex accidenti, nimirum quatenus sunt ab anima quæ est in corpore. Itaque cum non sint dicendæ esse in corpore non debent dici esse in subiecto corruptibili, neque pendere ab eo, vel ab vlla actione præcedenti, quæ pendeat ab ea: nam corpus ad eas operationes nihil contribuit, neque immediate neque mediate, & cum vis & perfectio animæ nostræ non est à corpore, licet modo illustrius, modo obscurius se habeat: animæ nostræ vis etiam dum in corpore manet anima nostra quod euenit sine vlla permutatione causata per corpus, tantum enim abest vt vitio corporis labefactetur vel debilitetur anima nostra, vt etiam tunc maxime bene agat cum corpus se pessime habet in quod videre est, moribundis in quibus anima diuinius sese exerit quam in cætero vitæ ex immortalium genere prorsus, & omnino concludendum est, insuper vt arguimus animam belluinam esse interituram, quia tota eius vis est corpori interituro communis, sic animam humanam ab interitu esse immunem dicimus, cum operetur sine communione corporis: nam quod potest agere sine alio & id bene, potest etiam esse atque

bene esse : sine eo ergo à primo ad vltimũ anima humana non est mortę corporis obnoxia, sed à morte omnino immunis & libera censeri debet.

Denique immortalitatem animæ nostræ arguit ea cognitio quam anima humana habet de seipsa sine vlla specie interueniente, vel phantasmate: intelligit enim se non per imaginale figmentũ sicut, cogitantur absentia siue omnino ipsa siue eiusdẽ generis aliqua, cuiusmodi sunt ea quæ sub sensum cadunt, sed quadam interiori non simulata, sed vera præsentia, non enim quidquam ibi se ipsa est præsentius. Item sine vllo instrumento quæ cognitio animæ suipsius sit per intuitum, vel sese ipsum intuendo, hinc intuitiua in scholis dicitur vt distinguatur ab altera cognitione, quæ dicitur abstractiua, quæ fit per abstractionem specierum siue phantasmatum ab obiectis, hæc, inquam, cognitio sui ipsius intuitiua, cum sit actus separatus ab omni materiæ consortio, inuicte demonstrat animam ipsam esse separabilem à corpore, alioqui modus operandi superaret modum essendi, quod est falsissimum: talem autem intuitiuam sui ipsius cognitionem competere animæ humanæ omnino necesse est, cum sit immaterialis, & spiritus vt in superioribus docuimus.

In iis autem quæ sunt sine materia idem est intelligens, & id quod intelligitur, hoc

est, sicut ex se habent actum quo possunt intelligere, sic etiam in sese habent actum quo possint intelligi, ac proinde speciem impressam non requirunt cuius interuentu intellectio fiat: materialia vero ex aduerso egent intermedia specie qua veniant sub aspectum intelligentis.

Igitur cum anima humana, licet sit pars naturalis ac essentialis hominis, stat in sese sine materia, vt testatur operatio intelligendi eam viuere posse extra materiam, vel sine materia, omnino ratio euincit, ac ita paucis, sed inuictis demonstrationibus animæ humanæ ἀθανασίαν firmiter probatam habes: plura argumenta huc adduci à me potuerunt, sed diutius in his morari cum veritas ex huc allatis satis constet, verum hic video nonnullos ita obloquentes cum credere animam esse immortalem sit articulus fidei nostræ, id non debet probari rationibus, vel argumentis humanis, sed tantum plena persuasione pie apprehendendum. Ad quod respondeo, verum est credere animam humanam immortalem esse ex articulis fidei: interim tamen nihil vetat quo minus id argumentis è Philosophia desumptis probetur cum vera Philosophia subseruit fidei vt ancilla dominæ, atque author fidei nostræ nihil nobis proposuit credendum quod non sit rationi consentaneum: nam licet in religione sint plurima quę hom o in puris naturalibus nunquã

Obiectio.

Responsio.

cogitasset, tamen iis auditis per rationem rectificatam facile assensum præbet, inde dici solet Deum nos velle credere multa quæ sunt supra rationẽ, sed nihil contra rationem: non enim destruit opus suum Deus quidquod vt est hodiernus miser rerum status, nunc habemus negotium cum multis nequam hominibus qui parum aut nihil fi dei nostræ capitibus fidunt nisi ratio euincat. Porro quamuis scriptura sacra iubeat Dei cultum, nihil tamen male inde sequetur si eum ratione sancias, atque quamuis fides doceat esse cœlum & terram, propterea id ostendere experientia non prohibetur.

SECTIO IV.

In qua consensus populorum & testimonia virorum illustrium pro ἀθανασία animæ humanæ asseruntur.

SEquitur ad veritatis de animæ nostræ immortalitate cumulatius firmamentũ, vt testimonia omni exceptione maiora in medium adducamus, eaque non tantum vnius aut alterius hominis, imo neque vnius aut alterius nationis, sed omnium populorum cum omnes gentes quotquot fuerunt aut sunt in hanc vnam & veram

vnanimi conſenſu abierunt ſententiam: ſiquidem animas hominum corporibus ſupereſſe & degere vitam ἐν ᾅδῃ, vel fœlicem vel miſeram prorſus ſibi perſuadent: ſi enim omnium retro ſeculorum hiſtorias omnes recolas, & præſentium temporum annales cunctos inſpicias hãc de immortalitate animæ humanæ receptã apud omnes non ſolum plebeios, eorum enim ſententiam forte quis non immerito negligat ſed etiam apud ſapientiores & magis intelligentes diſcere facile eſt, quod nos hic breuiter & pro inſtituto præſenti quaſi per tranſennam omnium hiſtorias percurrentes digito monſtrabimus, vt incipiamus ab omnium antiquiſſima gente, ideſt, Iſraelitica: cuius hiſtoriam deſcripſit Moſes Hiſtoriographus longe ante alios primus & vetuſtiſſimus, apud quem videre eſt animæ noſtræ immortalitatem non ſolum à poſteris Iſraelis agnitam, ſed & à primordio omnium rerum creditam, & ab omnibus iis qui ante Iſraelem fuerunt pro certo habitam ſicuti vitæ primorum patrum à Moſe deſcriptæ ſatis aperte demonſtrant.

Secundo ſeſe offerunt filij Aſſur ſiue Aſſyrii, qui pariter animam noſtram eſſe immortalem firmiter crediderunt, hi ex eodẽ cõmuni patre cum Iſraelitis puta ex Semo prognati ſunt, è quibus Aſſyriis egreſſus eſt Abrahamus pater Iſraëlis, Aſſyrii inſiſtẽtes veſtigiis progenitoris ſui Semi retinuerunt

cultum diuinum aliquandiu purum putum & illibatum, ſed paulatim aſtutia hoſtis generis humani, partim etiam imbecillitate ipſorum hominum cum fœde deturpatum habuerunt, quod diſcere potes ex hiſtoria vocationis Abrahami, vbi vides Abrahamum iuſſum fuiſſe relinquere ſpuriũ Dei cultum patris ſui Thare hoc in loco non prorſus à re noſtra alienum fuerit, obiter digito quaſi indicare craſſum, & à vulgo ignaro receptum errorem, qui falſo putat ante legem ſcriptam per manum Moſis genus humanum tranſegiſſe æuum ſine Dei cognitione, ſeu cultu diuino, quod nemo non videat eſſe falſiſſimum, qui hiſtoriam primorum hominum nominatim progenitorum Abrahami, necnon hiſtoriã Iobi in ſacra pagina deſcriptas legit cui ſuffragantur antiquiſſimæ hiſtoriæ profanæ: lex autem per Moſem ſcripta nihil aliud erat quam lex tradita genitoribus ad certos titulos, & in compendium redacta, & cultus diuinus per Moſem deſcriptus erat idem cum cultu antiquo, ſed inſtauratus ac reformatus vbi labente tempore aſtutia Sathanæ, & infirmitate humana corruptus, & deprauatus erat: iam rogo cui bono credere Deum, habere certam legem non ſolum humanam, ſed & diuinam: atque ſequi certum modum cultus diuini ſine ſpe futuræ vitæ, ac pro indicio certo habeto Aſſyrios credidiſſe animam eſſe

immortalem (basim omnis religionis) cum euocatus fuit Abraham à laribus paternis, & postea cum Moses reformasset religionem, quo tempore omnes religionis articuli, qui iam corrupti erant, emendati sunt, idque speciali Dei mandato nominatim immutati sunt, sed de immutatione huius articuli de immortalitate animæ nulla mentio est, quia nimirum licet cætera fere omnia maxima ex parte quæ spectant ad religionem deprauata fuerant, hoc tamen apud omnes inuiolatum mansit animam esse immortalem, alioqui pessum prorsus omnis religio iret.

Sequuntur filij Cham maledicti, id est, Babylonij & Chaldæi idem de duratione animæ nostræ, cum vicinis suis Assyriis sentientes, vt vel ex eo manifestum est, quod non solum inter sese cultus diuini fuerunt religiosissimi obseruatores, sed & alios in sacris erudiebant: ad hos enim Chaldæos & Babylonios remotissimæ gentes cultum diuinum discendi gratia commeare solebant, Iobus & eius amici ex Chaldæis fuerunt, à quibus solis discere potes quæ fuit tunc temporis Chaldæorum super animæ duratione sententia.

Post hos Persæ, Parthi, Bactri, Medi & omnes circumcirca populi suos homines habebant, qui non solum ipsis rebus diuinis vacabant, sed & alios eas edocebant eiusmodi homines, apud illos Magi voca-

Quæ fuerit Persarum de immortalitate animæ humanæ sententia vel

ex solo Cyro apud Xenophontem alloquentes filios discas.

ti sunt, quasi sapientes: dicas pari ratione Indi tum cis tum vltra Gangem suos habebant homines, qui non tantum ipsi sacra faciebant, verum etiam aliis mysteria religionis declarabant, hi nominati erant Brachmanes gymnosophistæ &c.

Ex quorum Brachmanum numero fuit Mandaces, ille qui ad Alexandrum magnum adductus ad hanc fere mentem loquutus est, non opus est mihi muneribus illius qui satiari nequit, neque eius comminationes pertimesco, quandiu hanc vitam caducam traho, India mihi abunde suppeditabit victum, cum vero per mortem exoneratus fuero hac carne, ibo ad meliorem & puriorem vitam, inter hos etiam Brachmanes erat calanus ille qui ascendens in Pyram hæc protulit verba, pulcher ex hac vita egressus: cum enim corpus meum hoc igne consumptum erit, anima ad claritatem euolabit; hi doctores quotidie inculcare solebant mortem hanc corporis esse ingressum ad meliorem & fæliciorem vitam, provt post Megisthanem testatur Strabo lib. 15. Albani.

Itidem vt & omnes alij populi accolentes maria, Caspium & Ponticum pro certissimo habuerunt animam humanam etiam separatam à corpore superstitem manere hinc est, provt testatur prædictus Strabo lib. XI. quod solebant imponere cophino vna cum mortuo nummum argen-

teum in vſum defuncti, animæ corpori ſuo ſuperſtitis.

In alia mundi parte Ægyptij quoque animam eſſe immortalem crediderunt, & ſuper hac re omnes qui ad ipſas frequentabant inſtruere ſolebant, provt teſtantur omnes antiqui hiſtorici, nominatim Herodotus libro 2. atqui, vt teſtatur idem celebris author, ideſt, ad Æ yptum tanquam ad ſcholam publicã φυιτᾷν ἔθιξον omnes Europei, vt illi diſcerent, quæ religionem & cultum diuinum ſpectarent inter alios nobiliſſimus Pythagoras quod fieri nequibat ſine doctrina de animæ noſtræ immortalitate, ſine qua nulla credi, nulla doceri poteſt religio: inter Ægyptios antiquos, maxime eximius fuit celeberrimus ille Triſmegiſtus, cuius etiamnum extant ſcripta, quæ aperte veritatem de animæ noſtræ immortalitate quam hic defendimus, docent, Ægyptios ſequuntur vt diſcipuli doctores ſuos Græci non ſolum ij qui continentem incoluerunt, tum in Europa, tum in Aſia, ſed etiam qui in inſulis habitabant, hi (inquam) Græci omnino perſuaſi erant animam noſtram eſſe immortalem; atqui non ſunt contenti id viua tantum voce præſentes & ſui æui homines docere, ſed & ſcriptis egregijs abſentibus & poſteris id notum facere voluerunt, vt teſtantur plurima monimenta literarum à celebrioribus conſcripta, quæ etiam hodie

extant, de quibus ſpeciatim nihil hoc in loco dicere decreuimus: cum res in ſeſe adeo manifeſta ſit, vt nulli ſint, qui quid boni authores ſint, ſciant, qui id ignorent.

Quin etiam Thraces eorumque vicini cætera non ita culti hoc in negotio præfatis populis non inferiores fuerunt: habebant enim quoque doctores ſuos qui in myſterijs omnibus religionis rudiores inſtruebant, & nominatim animæ humanæ immortalitatem edocebant: hinc morem ~~ſuum~~ ſibi ipſis inſtituerunt, quo natalem ſiue ingreſſum in hunc mundum pueri recens nati, quod multa pericula in vita hac ſubiturus, multoſque labores paſſurus eſſet, deflere conſueuerant: è contrario non ſine ſumma lætitia & gaudio exequias mortuorum curabant, non tantum quod malis huius vitæ defuncti eſſent, ſed etiam quod tunc ad meliorem vitam commigraſſent, provt docet Herodotus, libro 4. Solinus cap. 6. Mela lib. 2. cap. 2. Valerius Maximus libro 2. cap. 6.

Neque Sarmatæ & Scythæ hac in parte aliis nationibus cedebant, licet cultu & humanitate reliquis longe inferiores fuerunt, ſuos ſiquidem habebant ſapientes, qui eos in rebus diuinis & in doctrina vitæ futuræ inſtruebant, quemadmodum omnes teſtantur hiſtorici, qui de illis ſcripſerunt, denique ad progenitores noſtros & vicinorũ noſtrorũ veniamus, id eſt, Italos,

Hispanos, Gallos, Germanos, Britannos, &c. de quibus omnibus legere passim est, suos etiam habuisse sacerdotes, qui sacra darent, & sapientes qui discrimina futura post hanc vitam inter bonos & malos docebant. Huius generis fuerunt apud Gallos venerandi illi Druidæ sic dicti, quod ἐν δρυέσι, id est, per quercus degebant maioris venerationis causa scilicet, nam antiquitus syluæ pro templis & loca edita pro altaribus erant hæc omnia, ita se habere testantur historici omnes, nominatim Strabo, Diodorus Siculus, Iulius Cæsar, Pomponius Mela, Marcellinus, & alii; ac ita paucis vides consensum vnanimem omnium populorum, nationum & gentium de spe vitæ futuræ post hanc vitam, ac consequenter de animæ nostræ immortalitate, qui antiquis historicis noti fuerunt, aut de quibus apud illos vlla mentio fit, sequens vt videamus quid de hac re crediderint populi illi, de quibus antiqui scriptores parum aut nihil prorsus tradiderunt, & vt ab Oriente incipiamus Chinenses, Iapponenses insularum Molucarum incolæ, nec non omnes ii qui accolant mare Indicum & in insulis vicinis habitant quotquot sunt, suos habere Magos siue sapientes quos alicubi apud illos Bouzas vocant (si recte scriptum est) qui eos in sacris instituunt, & in spem vitæ futuræ instruunt, nos docent omnes scriptores qui historias

horum populorum scripserunt, nominatim Saberius & Bortomanus, nec non alii.

Nunc si libet adire interiora & remotiora Africæ etiam vbi verus Deus prorsus fere ignoratur, inuenies ibi incolas suam habere religionem, quæ promittit mercedem bonis, & pœnam malis interminatur etiam post hanc vitam, atque si hoc non est agnoscere animam humanam esse immortalem nihil esse in mundo audacitet affirmare possum, quo probari possit animam nostram corpori suo superstitem manere ab vllis agnosci, etiam crassissimi idololatræ qui incolunt regiones Europæ proximas Septentrioni talem habent religionem, qua fouentur in spem præmii, post hanc vitam, bene actorum in hac vita & qua expectare docentur pœnas ob ea quæ male commiserunt in hac vita; porro miseri illi noui orbis, id est, vtriusque Americæ incolæ, cætera penitùs Barbari & inculti hoc cum humanioribus & cultioribus populis commune habent: quod nimirum vnanimi consensu animam humanam corpori suo superstitem frui bonis aut malis post hanc vitam pro meritis vel demeritis in hac vita persuasũ omnino habent: denique vt omnia concludam nullus est angelus in toto orbe habitabili vbi numen aliquod non colatur, & anima humana esse immortalis non agnosca-

tur, prout omnes omnium gentiũ historici, qui extant, vel, inquam, extiterunt aperte testantur: hic prætereo sciens tot terrarum spatia vbi discipuli Mahometis sua sacra nefanda celebrãt, vbi Iudæi suas neñas exercẽt vbi Christiani Deum rite colunt: nam his omnibus in locis ab incunabulis, vel infantes animam humanam esse immortalem sciunt; verum contra hunc populorum omnium consensum vnanimem nunc ψυχόκτονυς, instare, & dicere in hunc fere modum: ideo rerum publicarum moderatrices excogitarunt Deorum cultum & spẽ vitæ futuræ adinuenerunt vti hoc pacto facilius populos quibus præsunt in officio continerent, & ad obsequium legum adducerent: nam, inquiunt, licet pessimi & infimi subditorum abstinent à sceleribus & rebellionibus contra moderatores metu pœnæ præsentis, tamen cum multi sunt eo ingenio in omni republica, qui à malis actionibus deterreri, & ad bonas incitari spe melioris vitæ, vel metu peioris multo commodius possunt, quam vlla præsenti mercede, vel pœna. Obiectio.

Itaque astutissimo consilio hanc technam adinuentam proposuerunt rectores gentiũ: non autem quod res ita se habeat. Ad quod respondeo negando prorsus cultum numinis esse inuentum gubernatorum πολιτειῶν: nam pro certissimo affirmo religionem siue Dei cultum eundem cum ipso ho- Responsio.

mine primo habuisse natalem, prout ex omnium antiquissimo scriptore puta Mose plane constat: deinde perleges omnes historias & homines huc illuc palantes, antequã in vnum coirent vel ciuitates conderent, eos non fuisse destitutos religione reperias: interim tamen ceremonias, & quæ spectant exteriora religionis maximũ accepisse incrementum à moderatoribus populorum post iam respublicas constitutas ingenue agnosco, sed moderatores ipsam religionem & cultum numinis inuenisse constans pernego.

Quin etiã ex Animicidis insigniores sententiam de animæ nostræ immortalitatẽ parum aut nihil conferre ad tranquillitatẽ rerum publicarum asserunt, imo eam paci πολυτείας officere asseuerant: namq́, inquiunt, reperias homines qui animam nostrã corpori suo commori statuunt esse probiores iis qui eam esse immortalem volunt, & si vis exemplum aiunt id vel in vnico Plinio videas licet qui quamuis putaret animam humanam mortalem, neque superstitem morti corporis permanere longe probior fuit hypocrita Seneca, qui pro immortalitate animæ nostræ multa dixit, multa scripsit: quare in hac obiectione nulli sunt ij, qui, aiunt, cultum numinis & spem immortalitatis inuentam esse à moderatoribus populorum, vt eos hac arte in officio facilius continerent, & ad meliorem

frugem adducerent cum sine cultu numinis & spe immortalitatis id fieri posse vt posteriores ἀθανασία animæ humanæ oppugnatores docent. Præterea nonnulli eorum qui animam humanam morti adiudicant, sic contra vnanimem gentium consensum super animæ humanæ immortalitate, disputantes, aiunt, non ab vno aut altero homuncione in hoc vel illo seculo, in hac vel illa regione animam nostram esse mortalē dictum fuit, sed etiam ab integris societatibus permulta secula in natione vbi numen maxima cum veneratione colebatur, nempe Iudæa, puta à Saducæis: ad quod respondeo, verum est Saduceos Zadok discipulos non bene de animæ nostræ duratione censuisse perperam interpretantes verba doctoris sui Zadoc, qui iis inculcare solebat non differendum esse, bene facere post mortem: nam tunc nullus erit beneficiis locus quibus verbis doctor discipulis persuadere volebat mature beneficium fieri, & non differri debere in tempus, in quo non iis opus erit, illi vero hinc male intulerunt: ergo anima nostra non manet superstes corpori cum post hanc vitam quam viuit anima vna cum corpore nullis beneficiis locus sit, sed Saducæi hi numero admodum pauci erant homines inter Iudæos, & nullius momenti, qui nihil poterant, neque in πολιτεία, neque in Ecclesia: zizanion autem eorum primitus pullulare cœpit mi-

Quæstio.

Responsio.

ſerrimis Iudæorum temporibus, puta cum Iudææ eſſet ſub iugo Græcorum intimauit etiam ſub Romanis qui quid Iudæi de religionis myſteriis ſentirent ſuſque deque habebant modo tributa vectigalia, & id genus alia debito tempore ipſis ſolūerentur, atque ita tota reliqua gens Iudæa, alioquin de animæ immortalitate optime ſentiens, & plene perſuaſa vt eorum hiſtoriæ teſtantur, horum nebulonum inſaniam diſsimulanter ferre coacta fuit.

Poſtquam vidimus vnanimem conſenſum omnium populorum ſuper animæ noſtræ immortalitate, videndum nobis eſt quid ſapientiores inter Ethnicos, ideſt, inter eos qui verum Deum ignorarunt ſuper hac re ab omni tempore, vel crediderunt ipſi, vel alios docuerunt, ſed hic in primis notare oportet ex omnibus Ethnicis, qui certe plurimi olim fuerunt, nullos extitiſſe, quorum literarum monumenta ad nos vſque peruenerunt preterquam Græcorũ & Latinorum, inter quos tria authorum genera habemus, puta Hiſtoricos, Poëtas & Philoſophos. Ita pro re præſenti eos diuidemus, ex hiſtoriis diſcimus inſtituta & leges populorum, quæ numquam propoſitę fuerunt ſine ſpe præmii poſt hanc vitam & metu pœnæ poſt hanc vitam, ac conſequenter nunquam ſine plena perſuaſione immortalitatis animæ.

Poëtætũ Gręci tum Latini quæ eſſet homi-

num

num non solum seris, sed & prioribus temporibus viuentium de animæ humanæ immortalitate sententia satis manifeste docent, iis nimirum quæ de campis Eliseis loco lætitiæ & gaudij scilicet animarum proborum hominum, & de inferno siue tartaro loco supplicij animarum malorum hominum post separationem à corpore ad nauseam inculcant, quod videre est nominatim apud Homerum, Hesiodum, Sophoclem, Euripidem, Pindarū & Virgilium, Ouidium, Senecam Tragicum, Lucanum, &c. Verum forte quis hic dicat prædictos Poëtas, & id genus alios siue Græcos, siue Latinos, esse tantum fabularum contextores, minime vero germanæ sapientiæ alumnos: quare non multi faciendnm quid ii super hac re dicant, vel scribant: ad quod respondens fateor prædictos Poëtas more scribendi illis peculiari multa præclara sub fabularum inuolucris scripsisse: Interim tamen semota cortice fabulæ inuenias apud eos multa, quæ non solum sunt verissima, sed quæ intimam sapiunt Philosophiam: interim vt plenius lectori hoc in negotio satisfiat in firmamentum huiusce veritatis de ἀθανασίᾳ τῆς ἀνθρωπίνης ψυχῆς, vnum aut alterum testimonium Poëtarum maxime illustrium, & antiquissimorum tum Græcorum, tum Latinorum, qui fabulas nunquam scripserunt in medium adferre possum, vtique

Antiphanem, μάγικα λόγικα Zoroastri; Phicilidem, oracula quædam Apollinis ad Politem versus Sibillinos.

Quoad Poetas Latinos attinet, qui à fabularum vanitate in suis scriptis abstinuerunt, & magis seria tractare professi sunt ex iis vnum aut alterum citare contenti erimus, & primum incipiemus ab eo qui victus veritate, veritatem contra genium suum proferre impulsus fuit: is autem erat Lucretius, qui destinato scripserat animas hominum commori corporibus suis. Is, inquam, Lucretius veritati vel imprudens interdum dare manus coactus fuit, itaque post Empedoclem ita de anima humana canit.

Cedit enim retro de terra quod fuit ante
In terram: sed quod mistum est ex ætheris oris,
Id rursus cœli fulgentia templa receptat.

Secundus Poeta Latinus quem hoc in loco laudabimus est eximius ille Poeta Manilius, qui libro quarto diuini sui operis, sub finem libri sic loquitur.

An dubium est habitare Deum sub pectore nostro,
In cœlumque redire animas cœloque,

Et paulo post,

——— *Quid mirum, noſcere mundum*
Si poſſunt homines, quibus eſt & mundus in ipſis,
Exemplumque Dei quiſqu'eſt in imagine parua.

Nunc relictis Poetis ad Philoſophos properemus à quibus omnibus ab vltima antiquitate imo ab initio rerum humanarum animam hominis immortalem habitam eſſe reperimus. Itaque vt ab omnium vetuſtiſſimo incipiamus, de quo ſupra meminimus Trimegiſto qui ſic alicubi loquitur de homine ἄνθρωπος διπλοῦς διὰ τὸ σῶμα θνητὸς ἀθάνατος δὲ διὰ ψυχὴν τὴν οὐσιώδη τῶν ἀνθρώπω: & alibi, ὁ νοῦς ſiue intellectus humanus, οὐκ ἐστὶ ἀποτετμημένος οὐσία τῆς τοῦ θεοῦ ἀλλὰ ὥσπερ ἡπλωμένος καθάπερ τὸ τοῦ ἡλίου φῶς: ad hanc ~~autem~~ cecinit Pythagoras, θεῖον γένος ἐστὶ βροτοῖσι. Poſt Pythagoram Ἀναξάγορας, de quo ſic loquitur Ariſtoteles primo de anima, μόνον οὗτος φησὶ ſupple Ἀναξάγορας αὐτόν, intellige νοῦν: nam de intellectu immediate ante loquebatur quem eundem cum τῇ ψυχῇ ſiue anima eſſe dicebat τῶν ὄντων ἁπλοῦν εἶναι καὶ ἀμιγῆ, καὶ καθαρὸν &c. ac conſequenter eam aſſerit à morte immunem, purum enim & ſimplex omne à corruptione & morte liberum eſt Ἀναξάγορα: coætaneus fuit Syrus Phericides qui ſublimes ob meditationes diuinus habitus eſt. hic primus argumenta

Philoſophica in medium produxit ad demonſtrandam publicam vniuerſorum de animæ noſtræ immortalitate aſſertionẽ ſine vllis argumentis Philoſophicis, hactenus receptam. Poſt hunc homines nonnulli hanc de animæ noſtræ immortalitate ſententiam quæſtionibus agitare cœperunt.

His paulo inferior Democritus, quia in eadem ſententia cum iam nominatis Philoſophis fuit, vt teſtatur idem Ariſtoteles in libris de anima quam eandem prorſus, cum τῷ νῷ ſtatuit Democritus, ſuperioribus ſucceſſit Alcmæon explicatius de animæ noſtræ immortalitate, quam ſupra nominati, loquens ita, inquit, Philoſophis φήσι ἀυτὴν, ſupple ψυχὴν ἀθάνατον εἶναι διατὶ ἐοικέναι τοῖς ἀθανατοῖς τοῦτο δὲ ὑπάρχειν ἀυτῇ ὡς ἀεὶ, κινουμένῃ κινεῖσθαι τὰ θεῖα ἁπαντα συνεχῶς ἀεὶ σηλήνην ἥλιον ἀστέρας καὶ τὸν οὐρανον ὁλόν. Deinde Socrates pro perſuaſo habebat animã eſſe immortalem, prout aperte clareque demonſtrat Plato eius diſcipulus in ſcriptis ſuis vbi introducit Socratem philoſophantem de animæ immortalitate cum Cebete, Alcibiade &c. quid vero cenſet ipſe Plato ſuper animæ noſtræ immortalitate, nemini eſt ignotum qui de diuini viri ſcriptis quicquam inaudiuit, non dicam Vidit; verum, vt amplius lectori hac in re ſatisfaciam textum Platonis, pro omnibus in medium afferam vnicum qui eius ſenten-

tiam dilucide demonſtrat, & eſt eiuſmodi εἰς τὸ ὅμοιον αὐτῇ τὸ θεῖον ἀπέρχεται τὸ θεῖόν τε, καὶ ἀθάνατον, καὶ φρόνιμον, id eſt, in ſimile quod diuinum eſt abit immortale ac ſapiens exiſtens, dum nimirum recedit animus, item ex plurimis rationibus quibus vtitur Plato ad demonſtrandam animæ noſtræ immortalitatem vnam aut alteram in lectoris gratiam huc adferemus, reliquis ob prolixitatem omiſſis ne longi inmium ſimus: ſic ergo argumentatur Plato quod mouet ſeipſum, quia nunquam deſerit ſeipſum, nunquam ceſſat moueri eſt immortale, at anima eſt talis, ergo immortalis, ſecundo veritas & ſcientia ſunt æternæ & in anima: res autem æternæ non poſſunt eſſe in ſubiecto niſi æterno.:.Entia digniora & vndequaque abſoluta ſunt magis diuturna quod vel ex cæleſtibus conſtat: anima vero eſt dignior corpore, non enim eſt in fluxu perpetuo, vt corpus, ſed inuariabilis permanet. Item corpori imperat, quare & corpore diuturnior, ac proinde non commoritur corpori, ſed ei ſuperſtes viuit, atque conſequenter immortalis, &c. quanti ponderis ſunt hæc Platonis & reliquæ eius pro animæ noſtræ immortalitate rationes nolo in præſentia examinare, cum nos eas in medium nunc attulimus tantum, vt oſtenderemus Platonem non ſolum animam noſtram eſſe immortalem exiſtimaſſe, ſed pro eius immortalitate multum diſputaſſe

Platonem ſequuti ſunt multi Philoſophi præſtantes hac in re: hinc Plotinus τὸ ἐν ἐμοὶ θεῖον πρὸς τὸ ἐν τῷ καθόλου θεῖον ἀναγάγειν ἐπιχειρῶ, hinc etiam Pſellus magnus ille Philoſophus Platonicus ſic loquitur ἐπεὶ δὲ οὐκ ἀπὸ σπερμάτων ἡ ψυχὴ τὴν ὑπόστασιν ἔλαβεν οὐδὲν σωματικαῖς ἐφειστήκει κράσεσι, ἀλλὰ ἄνωθεν ἀπὸ θεοῦ ὑπάρξειν ἔχει πρὸς ἐκεῖνον, καὶ ἐπιστρέφεσθω,: hinc quoque Pletogemiſto vir Platonis ſtudioſiſſimus affirmat cũ animæ humanæ operationibus nominatim γνωσεῖ καὶ θεωρείᾳ ipſiſſimis eius verbis vtar ἄχει καὶ αὐτοῦ τοῦ ἀνωτάτου θεοῦ, affirmat, inquã, διὰ τοῦτο hoc ipſo eam eſſe ἀνόλεθρον, id eſt, mortis immunem: denique omnes quotquot ſunt philoſophi Platonici vnanimi conſenſu aſſerunt animam humanam eſſe diuinam & immortalem, ſingulorum verba quæ libris quæ adhuc extant hic recitare ob inutilem laborem non libuit, nec opus eſt cum ex prædictis res ſatis manifeſta ſit.

Nunc veniamus ad Ariſtotelem magnum illum naturæ genium, de cuius ſententia ſuper animæ noſtræ duratione variantes ſunt hominum etiam eius interpretum opiniones, cum alii dicant eum credidiſſe animã eſſe mortalem, alii affirmant eum hac in re admodum inconſtantem fuiſſe: verumtamen nemo philoſophorum firmior in aſſerenda animæ noſtræ immortalitate, nemoque cautior in ſcriptis ſuis extitit: mortalitatem vero adeo in hac

causa, vt ita dicam, exhorruit, vt ne vnquam in scriptis suis vel minimum eius vestigium reliquerit quum Aristoteles νοῦν, vel animam intellectiuam ex omnibus animabus solam vocauit diuinam, quod non cæteræ animæ è materia educatur, sed ἔξωθεν, id est, extrinsecus corpori adueniat, quippe quæ à solo Deo creatur sine interuentu vllius creaturæ, & etiam quod sit naturæ excellentis longe supra aliarum animarum naturas, atque longe eminentissimas edat operationes.

Quare audacter & vere affirmare palamque profiteri possum eos, qui secus de Philosopho senserint, vel scripserunt quicumque illi sint non intellexisse mentem Philosophi, si eius verba legerunt, vel si textum eius legerunt, & lectum intellexerunt, eos plane contra mentem suam iuisse ambitione & vanitate abreptos, dum tantum Philosophum adeò seipso indigna credidisse volunt: hinc Ioannes Duns Scotus maximum Scotiæ nostræ decus mero studio contradicendi Thomæ Aquinati asseruit contra ipsam veritatem, prout mox videbimus, Aristotelem censuisse animam humanam esse mortalem, & iuxta Aristotelis & scholæ Peripateticæ cuius Aristoteles author fuit, principia omnino ita esse pro certo affirmat.

Hinc Alexander Aphrodiseus, qui licet in exquirenda veritate laborem insumpse-

rit, tamen gloriæ cupiditate impulſus, vt cum Plato dixiſſet animam immortalem, Theophraſtus etiam ex Ariſtotelis præceptoris ſentẽtia idem affirmaſſet vt melius præceptorem diſcipulo intelligere videretur, & vt certamen inter Platonicos & Peripateticos committeret animam ex mente Ariſtotelis mortalem eſſe dixit.

Patrum noſtrorum ætate ſurrexit Perretius vulgo Pomponatius dictus, magni certe nominis Philoſophus, ſed eadem vanitate abreptus, qui maluit cum paucis de gloria certare, quam poſt maximos Philoſophos Theophraſtum, Themiſtium, Simplicium, Ioannem Grammaticum, Auerroem, Auicennam, Algaretem, Thomam Aquinatem, Albertum Michaelem Epheſium &c. pro veritate ſtare.

Sunt præterea nonnulli qui prorſus inepte Ariſtotelem de anima humana ſentirẽ faciunt, qui nunquam ipſi Ariſtotelis membranas vel è longinquo vidiſſe videntur, teſtis eſt magnus ille Auguſtinus Eccleſiæ Chriſtianæ lumen maximum hic, inquam, extulit Ariſtotelem credidiſſe animam humanam eſſe corpus quod eſſe falſiſſimum nullus qui libros Ariſtotelis phyſicos vbi ſcripſit, de anima legerit, dubitat.

Sunt quoque alii, qui, licet Ariſtotelem legerint, adeo tamen obeſæ naris ſunt, vt mentem Ariſtotelis nullo modo olfecerint.

Tertio eſt vnicus Plinius, qui, licet non dicat quid hac in re ſenſerit, Philoſophus tamen ipſe animam humanam poſt lectionem Ariſtotelis mortalem eſſe pronuntiauit, nec mirum videri debet Plinium ita in cauſa quæ eſt à ſenſibus remotior, ac proinde difficilis adeo turpiter erraſſe, cum in re longe faciliori prorſus delirauerit, quippe qui ſolem & ſtellas alias eſſe tantum ignes à terra eleuatas putauit, ſed tempus eſt aliquos textus ex multis producamus quibus Ariſtoteles quid de animæ noſtræ duratione ſentiret manifeſte declarauit, ergo.

In libro 2. de anima textu 21. ſic loquitur Philoſophus περὶ τοῦ νοῦ &c. ἔοικε ἕτερον γένος ψυχῆς εἶναι καὶ τοῦτο μόνον ἐνδέχεται χωρίζεσθαι καθάπερ τὸ ἀΐδιον τοῦ φθαρτοῦ, &c. Item in tertio de anima, cap. 4. τὸ μὲν αἰσθητικὸν οὐκ ἄνευ σώματος, ὁ δὲ νοῦς χωριστός, rurſus capite 5. eiuſdem libri χωρισθεὶς ἐστὶ μόνον, ſupple νοῦς τοῦθ' ὅπερ ἐστὶ καὶ τοῦτο μόνον ἀθάνατον ἀΐδιον. Item libro 3. textu 4. dicit τὸν νοῦν εἶναι ἀπλον, Metaphyſic. 10. textu 15. ait τὸν νοῦν εἶναι ἀμέριστον χωρισθένθα ἀπὸ τοῦ σώματος etiam 7. Ethicorum ad Eudemium, ὥσπερ ἐν τῷ ὅλῳ θεὸς καὶ πᾶν ἐκεῖνος κινεῖ πῶς πάντα τὸ ἐν ἡμῖν θεῖον.

Libr 3. de generatione animalium, cum alias animas docuiſſet procedere de materia, λείπεται, inquit, ὅτι ὁ νοῦς μόνον ἔξωθεν ἔρχεται καὶ θεῖον ἐστι.

Libro 2. de generatione & corruptione ὁ νοῦς ἔξωθεν ἔλθει καὶ θείου φύσεως, libro 1. textibus 65. 66. docet τὸν νοῦν esse οὐσίαν ἄλλην ἀπὸ τοῦ σώματος καὶ ἔξωθὲν ἔλθειν μηδὲ φθείρεσθαι θειὸν εἶναι, καὶ ἐλευθερον ἀπὸ παθοῦς. Neque quis obiiciat Philosophum in istis textibus per νοῦν intelligere accidens vel operationem cum ~~verbis~~ aperto quid per νοῦν intelligat his verbis satis declarat ὁδε νοῦς ἐφίκεο ἐγγίνεσθαι οὐσία τις οὖσα: ergo ex mēte Philosophi substantia est intellectus, nolo plura testimonia ex Philosophi scriptis huc afferre; quibus sententiam eius ob oculos notam faciam eamque à calumnia vindicem cum hi laudati textus satis superque rem præstant, præterquam quod sit nimii laboris omnia loca adferre, quæ vel ipsissimis verbis, vel per bonam consequentiam aperte docent Philosophum pro certissimo habuisse animam humanam vel intellectualem esse immortalem, aliusque prorsus naturæ ab his inferioribus in præsentia hæc satis sint.

Ex his Philosophi verbis quid sentiendum sit vides de iis hominibus, qui dicere ausi sunt tā longe abesse à mente Aristotelis asserere animam humanam esse immortalem, vt cum eius doctrinæ principiis animæ humanæ immortalitas stare non possit, quinetiam vltra textus ipsius à nobis laudatos etiam rationes fere omnes pro animæ nostræ immortalitate à nobis supra

adductæ ex doctrina eius ſcholæ deſumptæ ſunt, & nominatim ratio illa quam loco nono poſuimus ab ipſo Piloſopho multoties in ſuis ſcriptis repetita eſt, hinc Theophraſtus, Themiſtius, Simplicius, Auerroes, tota denique ſchola Peripatetica agnoſcentes magni præceptoris ſuper animæ noſtræ duratione ſententiam, conſenſu vnanimi illum animam noſtram immortalem eſſe cenſuiſſe pronunciauerunt.

Iam quod attinet ad reliquorum Philoſophorum turmam hac in parte ſicut in aliis Philoſophiæ capitibus ſequuti ſunt vel Platonis decreta ἄῤῥεστα, vel Ariſtotelis rationes, ac ἀποδείξεις, interim ſuper hac re ſententiam vnius aut alterius inſuper audire non inutile fuerit, maximus Tyrius ~~qui~~ ſic ait ἡ ἀνθρώπου ψυχὴ δὲ ἴς ἐγγοτατον καὶ ἐμφερέστατον ἔσται. Epictetus ſcripſit animam humanam εἶναι μοεῖον καὶ ἀπόσπασμα τοῦ θεοῦ, inquit, inde venimus eo licet nobis redire vnde venimus. Plutarchus in libro de Iſide ſic loquitur iuxta verſionem animæ quandiu poſſidentur à corpore & plenis paſſionibus nullam habent cum Deo communicationem niſi ope Philoſophiæ, vt per ſomnium: tangunt enim Deum intelligentiæ, liberatæ autem à corpore abeunt in locum purum inuiſibilem, & non ſubditum corruptioni: ibi Deus eſt eorum gubernator & rex earum, quæ ab ipſo

dependent, &c. Denique ex Philoſophis alicuius nominis ſoli reſtant Epicurus & Pyrrho qui hanc ab omnibus aliis doctrinam receptam non admittunt, quod ad priorem attinet, Epicurus licet docuerit ſuos præſentibus ſolum frui delitioſam vitam agere, nihilque in poſterum cogitare, tamen exemplo ſuo doctrinam ſuam reprobat dum multa conſcribit, quæ poſteritatis cogitationem teſtantur.


Itaque non talis fuit qualem malo & inſulſo inſtituto ſe doctrina ſua diſcipulis eſſe declarauit, quid quod nihil tale ipſe cogitauit Epicurus, vt teſtatur pro eo Apologia nuperrime à præſide Vario eleganter conſcripta, ſed nequam eius diſcipuli præpoſtere mentem præceptoris ſui interpretati ſunt, prout antea à Zadoci diſcipulis perperam factum in ſuperioribus vidimus: quod alterum attinet Pyrrhoneum intelligo ab eo peto cum ſe nihil ſcire profiteretur, num ſolus ſapiens ſit, & cum nihil ſciat quis eum docuit animam humanam non eſſe immortalem. Itaque pro inſtituto præſenti contra deliramentum vtrorumque tum Epicureorum, tum Pyrrhoniſtarum ſic veritatem aſſero, argumentans ab ἀδυνάτῳ niſi anima humana ſit immortalis nullus finis erat rerum humanarum, imo ne ipſius vniuerſi quidem: nam cui bono in futurum proſpicientes tot labores totque pericula ſubimus ac præcipue

cur tot ingenii mouumenta literis consignamus sublata melioris partis nostri, id est, animæ immortalitate, quidquod ratio ipsa in nobis & diuinitas, quæ est in mentibus nostris nos abunde docet animam nostram esse mortis expertem sicut supra suo loco luculenter demonstrabimus: vnicum hoc in negotio nobis adhuc superest, scilicet vt excutiamus sententias duorum maximorum virorum, puta Hippocratis & Galeni super hac causa animæ nostræ, istum priorem scilicet Hippocratem deliramenta plurima super anima nostra protulisse lubens agnosco, vt & hunc, idest, Galenum non sibi ipsi constitisse in hac Philosophiæ parte plane profiteor quod & ipse confiteri non erubescit, dum dicit se non persuasum habere, quid anima nostra fiet siquidem alias facit eam esse accidens, puta temperiem qualitatum primarum, alias substantiam, sed corpoream eamque æthream & cœlestem, alias denique eã substantiam incorpoream facit. Hinc videns Galenum in historia animæ nostræ non magis fuisse versatum quam præceptorem suum Hippocratem: quare dicit aperte alicubi exquisitam animæ nostræ tractationem non pertinere ad medicum cuius opus est corporis sanitatis satagere: Interim vterque vi veritatis (quæ pluribus ipsam non quærentibus obuium se dat eximere à morte & mutationibus in nonnul-

lis scriptorum suorum locis coactus fuit: hinc Hippocrates in libro περὶ σαρκῶν, siue περὶ ἀρχῶν, post quam dixisset non opus esse medico loqui de rebus cœlestibus, & postquam iuxta propositum medici vocasset animam nostram θερμότητα ad hunc fere modum loquitur: iam meam ipsius volo proferre sententiam, id quod appellamus θερμότητα, vt mihi videtur, est immortale, omnia intelligit, videt, audit & sentit res omnes præsentes & futuras. Item libro primo de diæta, ait animam nostram esse omni tempore sibi similem sine mutatione per naturam vt et per necessitatem, & sub extremo eiusdem libri postquam probasset diæta omnia mutari in homine dicit τὸ πνεῦμα, vel animam non posse mutari diæta, ac ita vides ex his pauculis veritatē ipsam extorsisse Hippocrati alias admodum sensuali, & Crasso Philosopho consensum receptæ verissimæque sententiæ de immortalitate, immutabilitate & Diuinitate animæ nostræ, sed relicto præceptore ad discipulum, id est ad Galenum veniamus, qui in libro de conceptione dicit animam nostram esse defluxum animæ vniuersi, & descendere ex cœlo ac esse substantiam scientiæ capacem semper ad vnicum iter aspirantem, & ad substantiam sibi ipsi similem, ac etiam relinquere res inferiores, vt inquirat res summas. Item esse participem diuinitatis, ac contemplari sæ-

ſpenumero id quod eſt ſupra cœlos, ac ſe præſertim ſiſtere coram eo qui cuncta gubernat, quod alibi vacillans & ignorans dixerit, ſuſque deque habeo. Itaque vt verbo concludamus de his duobus viris alioqui maximis proferre poſſumus id quod Iamblicus de ſe & nonnullis dixit, interdũ, inquit, rapimur extra corpus, & eleuamur ſpiritu vſque ad Deos ſempiternos, & noſmet ipſos eleuamus ſupra cœlos, interdum alligati ſumus corpori terreſtri & corporei ſumus cum ſcilicet in materia detinemur in priori ſtatu: duo prædicti viri digne loquuti ſunt de anima noſtra; in poſteriori autem prorſus delirarunt.

Denique cum animæ noſtræ duratio, ita vt ex hactenus dictis vidimus, ſe habeat, nunc dicere poſſumus de animæ noſtræ immortalitate, dubitare eſſe magnam inſaniam cum eam eſſe immortalem ratio confirmet, mundus vniuerſus teſtetur, ſapientum voces reſonant, & doctrina Philoſophorum clamet, ſed ita viuere, ac ſi de eius interitu non dubites maiorem longe eſſe inſaniam omnino iudico.



CAPVT VII.

SECTIO I.

IN QVA DE STATV animæ humanæ separatæ multa dicuntur in genere, atque etiam docetur, num absque peccato, homo fuisset mortuus, nec ne explicatur vtrum separatio animæ nostræ à corpore sit, contra naturam nec ne.



PEruenimus tandem ad extremum & vltimum caput quod in opere hoc tractare instituimus: id autem est de statu animæ nostræ à corpo e suo separatæ, verum hic antequam vlterius procedas, in initio scias velim, licet animam nostram iuxta veritatem & proprie & stricte sumpta morte (quæ est mutatio rei quoad ipsum esse, vel est substantiæ destructio) eximi luculenter & certissimo demonstrauimus.

Interim

Interim tamen [illegible]m ab omni mutatione liberam minime docuimus, ac consequenter non à morte late sumpta: per mortem autem late sumptam intelligi, mutationem rei quoad taliter esse, quæcumque demum mutatio illa sit à qua solus Deus est immunis cum sit mutationis vel minimæ expers: hinc dicitur Deus solus immortalis & immutabilis: in omni autem creatura mutatio quædam est, ac ita nonnulla mors, quę facit aliquid in ea non esse quod erat, vnde anima humana quamuis nunquam desinat viuere optimam ac purissimam vitam, ac ita immortalis sit, pati tamen mortem aliquo modo dici poterit, v. g. cum ex bona fit peccatrix anima dicitur mori iustitiæ, vice versa, cum ex mala iustificatur, dicitur mori peccato, ac ita de aliis animæ mutationibus.

Item vt corpus dicitur mori cum ab anima derelinquitur, sic anima dicitur mori cum à Deo relinquitur, & vt corpus separatum ab anima, cadauer dici solet, sic anima à Deo separata potius cadauer animæ quam anima dici debeat, quia quemadmodum corpus non habet vitam nisi per animam, eámque sibi vnitam, ita anima non habet vitam nisi à Deo quam vt habeat vniri cum eo debet.

Porro anima vt omnis creatura intelligens recipit accidentia in accidentibus, est cor-

ruptio & profectus, ac consequẽter mutatio modo in melius, modo in peius ex hac posteriori mors late sũpta aduenire diciturvt ex illa dici potest aduenire vita quodãmodo, hinc vides cũ compositũ homo dissoluitur, idest, cum anima hominis & corpus eius separantur, vt sit in morte corporis, animam non sine mutatione esse: quare à morte non prorsus eam eximi non iniuria dixeris, nam tunc anima desinit esse quod erat, idest, forma corpus infirmans.

Itaque meritissimo dicere possumus animam humanam, licet cum dissoluitur compositum superstes corpori maneat, vereque suo modo, idest, spirituali, viuat tamen aliquatenus esse mortuum, atque hoc dictum intellige, non tantum de animabus malorum virorum qui priuationem omnium fere bonorum patiuntur, quippe quæ à Deo separatissimæ sint, sed etiam hoc intelligi potest dici non incommode de animabus beatis in quarum vita est defectus quidam donec rursus vniãtur corporibus suis absque quibus nec volunt nec quærunt consummatam possidere beatitudinem, hinc est quod pii homines moribundi, licet certo sibi persuadeant se ad sedes beatas migraturos, tamen ægre ferunt separationem animæ à corpore, vnde Apostolus ait, nollemus exui, idest, animam à corpore separari, hinc est ardens illud desiderium anima-

rum etiam in cœlis, iterum vniri corporibus ad consummandam fœlicitatem: in Apocalypsi Ioannis vides hoc, *Iugens desiderium animarum clamantium sub altari & vindictam expectantium &c.* Cum anima quæ est forma corporis actuans naturaliter habeat perfectius esse & operari vnita corpori suo quam separata ab eo, modo omnia in corpore sint sana. non sine causa separationem ab eo auersatur & reunionem cum eo exoptat. Itaque dicimus animas sanctorum in cœlis degentes ligari corporibus suis naturali affectu: hinc non incommode dicere posses animas beatorum etiam à corporibus suis separatas ludere & pensare aliquid, nimirum mora reunionis cum corporibus suis: quare in primitiua Ecclesia Christiana pro animabus etiam beatorum defunctorum orare solebant, vt Deus iis daret fœlicem & tempestatiuam reunionem cum corporibus suis, quod & alibi supra docuimus: hoc in loco prius quam porro procedamus vni aut alteri quæstioni satisfaciendum est, quarum prior est hæc, qua quæri solet num homo absque peccato fuisset, & integritate originali permansisset, morti obnoxius fuisset, talemque rudem separationem animæ & corporis passus esset. Obiectio.

Ad quæstionem respondeo negando, non enim sine peccato solutionem hanc Responsio.

naturæ contrariam eiusque destructionem passus fuisset, ratio est, quia mors est stipendium peccati, & per peccatum mors in mundum introit, prout in oraculo veritatis docemur. Interim tamen caue putes dũ eximo hominem absque peccato à morte me velle dicere hominem absque peccato in perpetuum in hac valle terrestri vel superficie terræ mansurum fuisse quod constans respuo, nam sic non fuisset particeps illius beatitudinis, quæ ipsi ante mundi iacta fundamenta ordinata fuit in cœlis quidquod totus terrarum orbis non sufficere queat continere simul & vnico tempore singulos & quosuis homines qui ab initio rerum hactenus fuerunt, & qui ad consummationem seculorum futuri sunt: quare sapientissimus & optimus rerum Gubernator procul omni dubio post statutum ab ipso tempus, licet nos non vt nunc, vita exiuisset, tamen mortalitatem hanc absorbuisset, vel nos integros ad sese in cœlos & corpore & anima subleuando, prout Enochum, Eliam, & ipsum τὸν κύριον Ἰησοῦν sustulit vel momento nos mutasset, prout omnes in extremo mutatum iri credimus, qui tunc temporis in terris viui reperientur, sicut docemur in sacra pagina, vel denique post certum tempus naturæ præscriptum anima corpus ad tempus relinquens ob defectum organon sine lucta & agonia placide & tranquille versus conditorem

ſuum relicto corpore emigraſſet, rurſus ad finem ſeculorum id reſũptura: dico autem poſt certum tempus in partibus corporis defectum euenire ob mutuam illam actionem humidi in calidum, & contra quæ cum ſint fluentis naturæ, neceſſe eſt aliquid ſibi inuicem deferant, ac ita tandẽ finiantur cum ſint finitæ conditionis, atque hinc eſt quod Deus ante lapſum homini dedit fructum arborum horti in alimentum, quo partes corporis mutua illa actione humidi & calidi naturalis fluentis inſtaurarentur: in vita vero futura vbi humidum illud radicale erit omnino fixum non amplius egebit alimento, ſed inſtar angeli deget in cœlo, nec mirum videri poſſit ſi author naturæ ſiſtit fluxum humidi radicalis in vita futura, ac ita corpus non habebit opus alimento, præſertim cum eiuſmodi fluxus humidi in corpore etiam hic interdũ vt ita dicam ſiſtentiam eſſe facilem ei qui omnia poteſt vno aut altero exemplo ſenſibus obuio ad id credendum quaſi manu ducit primum ſtitit hunc fluxum humidi in corpore per 40. dies quibus ieiunabat Moſes in monte Synai præter curſum naturæ ordinarium in cuius fluxus humidi ſiſtẽtia & in cuius Ieſu ieiunio habemus ideam, vt ita dicam, ſempiternæ illius ſiſtentiæ, fluxus eſt, ac abſtinentiæ à cibo in cœlo. Deinde ipſe Dominus in deſerto de nouo nos ſuo ieiunio etiam quadrageſimario corpus

humanum poſſe ſine alimento durare inſtruit cum rerum gubernatori ſummo libuerit.

Secundo quæri ſolet, num hæc ſeparatio animæ à corpore ſuo ſit κατὰ φύσιν, an vero aliter ad quæſtionẽ ſic repono, anima humana debet conſiderari duobus modis; primo anima humana conſideranda eſt vt forma informans corpus humanum, & ſub hac cõſideratione dico, dũ ſeparatut anima à corpore ſuo tantum abeſſe, vt hæc ſepa-paratio κατὰ φύσιν dici poſſit vt plane eam fieri non tantum παρὰ φύσιν, ſiue præter naturam, ſeu ἀντιφύσεως, ſiue contra naturam aſſerere non verear: nam cum naturale ſit cuique formæ eſſentiali vniri materię ſuæ, ad quam informandam deſtinata eſt contra naturam eius erit ab ea ſeparari: hinc eſt illud deſiderium ſiue appetitus, quo anima ſeparata adeo inſtanter optat corpori ſuo iterum vniri: igitur dico ſeparationem Phyſicam ſiue realem animæ à corpore ſuo dum anima conſideratur ſub reſpectu formæ informantis corpus eſſe ἀντιφύσεως, ſiue contra naturam non ſimpliciter & ἁπλῶς: nam per hanc ſeparationem non ſubit anima noſtra mutationem οὐσίαν ſiue in eſſentia, vt aliæ formæ corrumpuntur: ante enim & poſt ſeparationem animæ à corpore, eſſentia animæ eſt eadem & immutata manet cum ſit forma incorruptibilis, prout ſuo loco demon-

ſtrauimus : mutationem ergo patitur, vt ita dicam, reſpectiuam ſiue σχετικὴν (ſiquidem aliam ſeparata induit σχέσιν & reſpectum) eamque priuatiuam : tunc enim ceſſant eius actus ſecundi plurimi, vt ſunt informatio, corporis vnio cum eo, & quæ hanc ſequuntur relatio & præſentia, tum ad corpus, tum ad cætera quibus reſpectu corporis fuit præſens, tunc etiam ceſſat concurſus cum organis quem vnita corpori exhibere ſolebat per proprias facultates ad edendum operationes, nominatim eas omnes quę procedunt à facultatibus, vegetatiua & ſenſitiua.

Cæterum hæc ſeparatio dicetur cõtra naturam, quia nunquam in hoc rerum ſtatu fit ſine violentia minori quidem in his puta qui ſenio confecti vel febri hetica conſumpti è viuis excedunt, quam in illis qui integris viribus, febri ardenti, vel gladio moriuntur. Quare non indicta cauſa quiuis homo niſi ſit amens exhorreſcit hanc ſeparationem tanquam totius compoſiti demolitionem, contra quiſque noſtrûm naturaliter amat fouetque vnionem animę cum corpore vt ſui ipſius conſeruatricem, verum ſi conſideres animam humanam, vt eſt ſubſtantia ſpiritualis per ſe ſubſiſtens, qualis eſt, prout ex ſuperiori doctrina didicimus, non erit contra eius naturam ſeparari à corpore hoc, præſertim infirmo: non enim ei nocet ab illo male ſano ſepa-

rari, imo liberius se habet multo soluta, vt ita dicam, vinclis corporis, præsertim intemperati & morbidi cuiusmodi sunt omnia corpora nostra in hac miseria.

Item anima humana sep rata si consideratur vt forma informationi corporis sui destinata ei de nouo secundum naturam reunietur sed dum consi. eratur vt substantia spiritualis per se subsistens hæc reunio eius cum corpore potius dici queat præter naturam quam secundum naturam nimirum, quia sine corpore persistere potuit imo & perstitit, interim tamen separata degens anima instar Angel vtcumque consideratur, non est adeo completa omnibusque numeris absolute perfe ta quoad esse, neque quoad operari, vt est ea substantia spiritualis, quæ non est vnioni cum altero ordinata, v. g. Angelus cum sit pars tantum totius integri puta hominis.

Itaque pars tenetur desiderio naturali: iterum niti cum comparte sua puta corpore, vti rursus ex duobus τὸ ὅλον homo constituatur, ac i a melius se habeat tum respectu esse, tum respectu operari: cum autem dico animam humanam se melius habituram vnita n corpori suo, quam cum separata est intellige cum corpore in statu integritatis restituto, ac ἐπικεχρυνιω facto, vt voce Apostoli vtar, non vero si rursus vniatur cum corpore χ[illegible] debili, infirmo & parum sano, qualia sunt omnia corpora hu-

mana in hac vita præsẽti: nam absque hoc melius se habet anima, & melius edit operationes nobiliores cum à tali corpore prægrauetur anima separata propendet naturaliter ad reunionem cum corpore suo, neque hæc propensio animæ ad corpus suum impedit animã eas edere operationes, quæ separatæ substantiæ conuenire debent: curat autem anima corpus vt partem compositi comparem ac sociam.

Item curat anima separata compositum quod resultat ex corpore & anima vnitis, cum anima sit pars compositi, eaque nobilior iuxta regulam receptam bonum totius compositi non est alienum ab vlla partium, imo earum interest maxime: non ergo mirum si pars aliqua inclinat & incumbit ad compositi constitutionem, anima ideo incumbit & inclinat ad reunionem corpori suo, vt ita obtineat maiorem perfectionem saltem respectiuam & σχέτικην, eamque auctiorem quam eam quam per separationem amiserat: nam corpus cum revnietur animæ, instaurabitur de nouo in statum integrum, licet anima separata à corpore habeat absque corpore perfectionem essentialem, ad quam nihil accidere posse per reunionem corpori affirmamus, cum eius essẽtia sit immutabilis, vt diximus, tamen certo quodam respectu melius se habitura sit: nam est pars compositi.

Porro ſeparatio animæ à corpore conſideratur vel in fieri, id eſt, dum fit, & tunc quia non fit ſine violentia ἀντιφύσεως, dici poteſt vel in facto, id eſt, vt iam facta eſt, & quia per eam natura animæ non eſt euerſa præter naturam dici poteſt, imo quia à naturali cauſa proceſſit ſecundum naturam quodammodo dici queat non ſum neſcius hanc animæ humanæ à corpore ſuo ſeparationem ſub quocumque reſpectu ſumptam à quibuſdam late ſumpto nomine dici naturalem, quia à principio naturali procedit, nempe extinctione humidi & calidi radicalis, & cum non euertat naturam, licet eam mutet, vt iam diximus, ſed qui cautiores ſunt in vtendis terminis ad ſententiæ ſuæ expreſſionem, dicunt hanc animæ noſtræ a corpore ſeparationem realem eſſe, neque ἀντιφύσεως, ſiue contra naturam, neque κατὰ φύσιν, ſiue ſecundum naturam, vt re vera non eſt ἁπλῶς, ſiue ſimpliciter: nam nec prorſus euertit naturam, nec eam auctiorem facit, ſed eſſe παρὰ φύσιν præter naturam ſiue ὑπὲρ φύσιν ſupra naturam, nam naturam mutat, licet eam non euertat.

SECTIO II.

In qua contra παννυχίτας *paucis, ſed ſolidis diſputatur. Item contra* μετοίκιστας *animatum humanarum. Tertio hic docetur locus quo migrant animæ egredientes corpore.*

His ita enucleatis ad alia accedamus, primo ergo dico apud omnes conſtare animam humanam cum diſſoluitur compoſitum, puta homo conſtans ex corpore & anima ire εἰς ἅδου, id eſt, ad vbi ſiue locum, in quo nobis adhuc vitam præſentem degentibus non amplius videtur, ac proinde minus noſcitur: nam ἅδης eſt quaſi ἀΐδης α ſteretico, & ’ειδομαι video: cum vero dico poſt mortem corporis animam humanam non amplius à nobis hic in hac terra verſantibus videri, caue putes me velle innuere animam ante corporis mortem eſſe viſibilem, vel ſub ſenſum viſus, cadere: hoc enim penitus & toto animo reſpuo, cum anima noſtra ſit ſpiritus ſubſtantia libera ab omni materia & accidentibus, quæ materiæ inſunt, qualia ſunt ea quæ ſubiiciuntur ſenſibus, & nominatim iis quæ viſui percipiuntur, ſed anima

nostra vnita corpori suo, tunc dicitur videri, vbi exerit operationes nobis perceptibiles per sensum, sicut facit quandiu informat corpus, ac sic dicimus eam se videndam exhibere, nempe per operationes visui obuias, & non aliter: quomodo autem εἰς ἅδε, quo anima corpus relinquens migrat, interpretari debemus: magna est controuersia etiam inter eos qui in rebus abditioribus & maximis aliquid præ cæteris scire videri volunt, primo sese offerunt ij qui stulte prorsus autumant morte compositi animam humanā non relinquere corpus suum contra persuasionem apud omnes receptam, sed cum eo vel in cineres conuerso semper vna manere, ac ita cum corpore otiosam quasi παννυχίαν in somnis degere, hinc opinionis huiusce authores & patroni παννυχίται merito audierunt, & cum homines fuerint ratione vtentes, non sine apparenti saltem ratione ita opinari in animum induxisse videri possunt: quare quam rationem ad ita opinandū habuerunt nunc nobis inspiciendum est, sed mihi eorum mentem perpendenti & rationes sentētiæ inquirendi hoc esse mihi obtulit tanquam Palmarium & Achileum argumētum quo ad sententiam hanc παννυχίας adducti videntur, & quod sententiæ suæ aduersantibus pro clipeo opponunt, & est hoc, omnis forma

Obiectio.

quandiu est necesse est sit in materia sua,

alioqui non foret firma, quare cum anima humana sit corporis sui forma, quandiu existit corpus suum non deserit in quacumque conditione sit corpus, ac ita in morte compositi anima non corpus relinquit, sed cum eo manet. Ad quod argumentum sic respondeo, confitendo ingenue priorem huius syllogismi partem esse verissimam: nam omnis forma semper adest materiæ suæ quandiu est, alioqui non foret forma, verum hac cum limitatione illud admitto, nimirum quandiu est, puta forma actu, quandiu enim est forma actu informat & actuat materiam suam, & cum ea est, sed si desinit materiam informare & actuare, desinit esse forma materiæ, ac ita non necesse est cum ea esse: dari autem formam quæ materiam deserere possit, imo quæ eam deserat, vel anima humana te doceat: hinc nos dicimus animam humanam quandiu est corporis sui forma actu, id est, corpus informans semper cum eo esse, idque actuare & informare: verum cum deserit corpus & alio se confert desinit esse corporis humani forma actu in superioribus inuicte & luculenter demonstrauimus, animam hominis superstitem morti compositi manere, iam dico cum maneat post solutionem compositi, & corpus non actuet vel informet, necesse est eam e corpore migrare, alioque proficisci: nam si vna cum corpore mane- Responsio.

ret & semper, procul dubio id informaret & actuaret, ac ita semper corpus fieret actuatum, & informatum, ac proinde totum compositum ex ambobus vnitis, puta homo semper viueret immunis mortis, quod esse falsissimum nemo non videt, cum anima humana desinit actuare corpus & cõditionem formæ exuit: ideo autẽ anima humana necessario actuat corpus, quandiu cum eo est, quia est purus putus actus qui non potest vniri vel vna cum materia esse nisi eam actuet: somniare autem animam humanam otiosam, & nihil agentem, qualem eam παννυχίται faciunt, est eam omnino nihil facere contra genium ipsius cum sit actus purus, omnes aliæ formæ quæcumque illæ sint præter animam humanam, materiam suam nunquam deserunt, & conditionem formæ nunquam amittunt, provt enim emergunt è materia, & post emersionem ad certum tempus à natura præscriptum actuant illam materiam vnde emerserant: tempore autem illo finito redeunt rursus in materiam sine qua nihil possunt nec sunt, quod ad animam humanam attinet res longe aliter se habet, primo anima humana immediate prorsus ex nihilo ope sũmi Creatoris producitur, ac ita nõ debet materiæ originem suam, vt aliæ formæ quemadmodum in superioribus demonstrauimus: deinde operari potest & operatur quotidie sine auxilio corporis, si-

cut etiam ſuperius docuimus, quod nequeunt vllæ formæ aliæ. Denique anima humana exiſtit ſine corpore, provt oritur ſine ope eius, & operatur ſine eius ope, quæ omnia ſuis locis plane & plene docuimus, quid quod ſæpenumero accidit, vt partes corporis mortui in multa abeant loca diuerſa, v. g. cum corpus aliquod igne combuſtum, & in cineres redactum exponitur vento.

Item cum inteſtina inhumantur in vna regione reliquum corpus alio transfertur ad patrum puta tumulum, &c. vbi tunc erit anima quæſo inuiſibiliter nec ſeſe mõſtrans eritne in omnibus illis locis concomitans ſingulas corporis partes, an vnã tantum & quam, ſi vnam rogo, dicere animam eſſe cum omnibus & ſingulis partibus eſt facere tot partes animæ, quot corporis, animam vero eſſe ἀμέριστον & indiuiſibilem ſuo loco demonſtrauimus, dicere eam manere cum vna parte corporis, puta cum corde, eſt ineptire: nam reliquas partes derelinquit. Imo ſæpiſſime ipſum cor in plures partiunculas diuiditur cum qua harum peto manebit tanquam animæ magis germana, anima cum ſit res vna ſimplex in vnico ποῦ erit omnino, idque definitiue cum ſit res finita: ergo cum hæc ita ſe habeant meritiſſimo aſſerimus animam humanam cum compoſitum homo diſſoluitur, & mori dicitur relinquere

partem ſuam comparem, puta corpus & alio diſcedere, ac ſic paucis primum hunc errorem ſuper ſtatu animæ poſt mortem corporis conſuratum habes.

Deinde nonnulli, perſpicientes incommoda, ex nunc refutato delirio prouenientia vltra progrediũtur & dicunt verum eſſe animã humanam poſt mortem corporis ſui per diſſolutionem totius compoſiti non ſolum ſuperſtitem manere, ſed & relinquere corpus ſuum alioquí ſe conferre contra quam inſulſi volunt παννύχοται at inquiunt, cum anima humana ſit informationi corporis humani deſtinata & non informet corpus iam mortuum, neceſſe eſt ad corpus nouum accedat vt id informet ac ita anima ſtatim atque emigrat ab illo corpore, ad hoc meatt & ſic mutat tantũ coloniam ſuam morte corporis, quæ mutatio ſedis, vulgo dici ſolet μετ μσωματώσις, quaſi dicas trans incorporatio, qua nimirum anima derelicto vno corpore quod informauit aliquandiu ad aliud tranſit, vt id informet vel μετεμψύκωσι, ideſt, trans animatio per quam nimirum anima relinquens vnũ corpus quod aliquandiu animauit ad aliud, & vt id animet, commeat hæc tranſmigratio animarum non ſolum à Poëtis plurimum decantata, ſed à Philoſophis iiſque primi nominis palam promulgata fuit, prout ſcripta nonnullorum, quæ etiam nũc extant aperte teſtantur, ac ſic ab vtriſque doctoribus

doctoribus, ita propagata est, vt à vulgo credita pro certo fuerit, atque quod magis mireris non solum animã humanam emigrare ex vno corpore humano & ad aliud humanum commeare statuerunt, sed etiã si diis placet eam emigrare à corpore humano, & ad corpus belluinũ se conferre vt id informet & demum à corpore belluino cum aliquandiu id informauerit ad nouum corpus humanum ire, vt id informet volunt, atque eo ineptiarum hoc in negotio progressi sunt nonnulli vt post multas trãsmigrationes animæ à corpore humano vno ad corpus aliud atque aliud tandem reciprocare gradum suum ad primum & pristinum suum corpus autumant ab hac vltima dementia cautiores inter Philosophos abstinuerunt tanquam à fabella homine sapientiæ studioso indigna, sunt, & ab ea stultitia qua putarunt aliqui animam humanam à corpore humano migrare, & ad corpus belluinum commeare ac eo relicto ad nouum corpus humanum cõmeare, sed quam fide digna sint hæc omnia quæcumque veritati consentanea supra vidimus, vbi nimirum ea verba definitionis animæ humanæ explicaremus, per quam corpori humano vnitam; interim quia præsens negotium exigit hoc loco supra dictis aliquid addere omnino vtile, imo & necessarium esse duximus, quare quid huic opinioni occasionem dederit, quod a-

que eius ſit fundamentum declarare, & primo, vt dicunt, ouo commodum fuerit.

Prima occaſio autem, & prima baſis huius procul à vero aberrantis ſententiæ eiuſmodi ſine omni dubio fuit ſcilicet nonnulli ex iis qui etiam perſpicatiores aliis videri volunt cum perſpicerent ex natura animæ humanæ eam non inſtar aliarum formarum morte corporis ſui perire, ſiue in principia ſua redire, ſed ſuperſtitem permanere in eſſentiæ ſuæ integritate.

Cæterum cum ſit forma corporis corporique ſuo eſſentialiter informando deſtinata, oportet cum exiſtat, corpus informet, iuxta illud tritum, δεῖ τὴν τεχνὴν χρῆσθαι τοῖς ὀργανοῖς, τὴν ψύχην τῷ σώματι. Corpus autē vnum & idem, quippe quod defectu calidi naturalis & humidi radicalis poſt debitum tempus mortem patitur, informare nequit. Itaque id neceſſario tanquam vlteriori informationi minus idoneum relinquit, & ad corpus nouum quod informari poſſit aptum migrat.

Secunda occaſio & ſecūda baſis huius μετοικίας animarū fuit, vt iudico, eiuſmodi quod putauerunt, nonnulli animarum intellectiuarum eſſe exiguum admodum numerum præ numero corporum humanorum quare cum non aliter ſatisfieri continuæ ſucceſſioni & ingenti hominū numero exiſtimarent in huius incommodi medelā, hanc tranſmigrationem animę vnius, & eiuſdem

à corpore vno in aliud eius in suum pristinum corpus regressionem somniarunt, ac ita exemplo orbium cœlestium æternitati œui breuibus tẽporum spatiis satisfacere.

Tertio loco autumo ego famam de resurrectione corporum humanorum & animarum, cum iis reunione licet multis fabularum vanitatibus (quam fortunam subierunt multæ aliæ veritates) implicatam partim astutia hostis generis humani, partim stultitia hominum ipsorum ab antiquissimis retro patribus ad ipsos delatam: nam vel ipsi legerunt apud vetustissimos historiæ sacræ scriptores, vel ab aliis lecta inaudiueruut, de resurrectione corporis ad vitam aliã. Item de translatione Enochi & Eliæ de mutatione Nebucadeneseris in belluam, occasionem dedisse, huic de transmigratione animarum opinioni, sed in omnibus hisce nulli sunt: nam vt supra non semel docuimus anima humana licet informationi corporis sit destinata, non ideo vt id semper informet condita est: quare non semper forma dicenda est nec existimari debet, sed substantia spiritualis extra corpus per se subsistens, vt Angelus nimirum post solutionem compositi separata viuens vsque ad eius statuto die cum illo reunionem: anima autem vna vni corpori ordinata est, nec plura nec successiue potest informare, alioqui compositum constans ex hoc corpore & anima non esset

homo, sed pars tantum hominis: ratio est quia hoc corpus non foret adęquatum subiectum & proprium corpus ac vnicum animæ, si plura corpora informaret quod esse absurdissimum nemo non videt: vt igitur vnum corpus vni animæ tantum vnitur, & nō pluribus sic vna anima vni corpori tantū vniri potest nō pluribus: ergo opinio paucitatis numeri animarū pro numero corporum est vana & impossibilis, quum quæque anima habeat adæquatum subiectum id est propriū vnicum quo vnitur, alioqui cōpositum constans ex vtroque non erit homo: quod autem male cauti didicerunt ex deprauata primorum patrum traditione, vel ex lectione siue auditione historiæ sacræ non intellectæ, vel in peruersum sensum malitia Sathanæ & vanitate hominum detortæ, parum ponderis habet ad stabiliendum aliquid: quare hæc licet pauca vna cum iis quæ super hoc negotio alibi diximus ad demonstrationem vanitatis huius delitij eiusque impossibilitatem abunde sufficere arbitramur. Itaque nolentes lectionem diutius in hisce ineptiis immorari ad alia properamus.

Iam post euentilatos crassiores errores eosque discussos super abitum animæ nostræ post mortem corporis εἰς ᾅδου, sequitur vt veram sententiam proponamus ea autem est hæc anima humana cum dissoluitur compositum, puta homo relinquit

compartem ſuam corpus & aliò migrat vbi manet vſque ad conſummationem ſeculorum, & illud vbi in quo ita degit, quia à ſenſibus noſtris nominatim viſu non percipitur, dicitur ἄδης, vel τόπος ἀόρατος, & hæc eſt vera ac genuina, nec non apud omnes ſeniores, recepta ſententia, ſuper diſceſſu animæ humanæ, εἰς ᾅδου. Cæterum ὁ ἄδης, vel τὸ ἄδου, ſiue τὰ ἄδου ſub ſe duo loca diuerſa comprehendit, videlicet hunc locum fœlicitatis quem poſſident animæ beatæ vna cum bonis Angelis, qui locus vulgo creditur eſſe in cælo ſupremo, vbi Deum habere thronum legimus quod cælum vocatur tertium ab Apoſtolo Paulo: hinc etiam dicitur cælum beatorum, æquum enim eſt, eos qui habent Deum amicum, vt propiores ei ſint, ac ita arctius eo fruantur, cumque eo ſint, & hinc animæ beatæ cum relinquentes corpora ſua cælos aſcenderint, dicuntur eſſe vna cum Deo, non quod poſſint eſſe in vllo vbi in quo Deus non ſit qui vbique eſt, ſed cum Deus eſſe eminenter in cœlo dicatur vbi habere thronum perhibetur animæ, quæ in cœlis degunt cum Deo eſſe peculiariter dicuntur, locus beatorum adumbratus fuit olim primitus, & ab initio rerum per hortum Edem ſiue paradiſum, vnde etiam lapſu temporis ipſe beatarum animarum locus, paradiſus vocari conſueuit.

Secundo ὁ ᾅδης comprehendit ſub ſe locum pœnæ, in quo torquentur miſeræ improborum animæ, vt locus fœlicitatis eſſe in alto dicitur, puta in cælis: hinc animæ quæ eò tendunt aſcendere dicuntur, ſic locus miſeriæ dicitur eſſe in imo vel infimo mundi, puta in viſceribus terræ, hinc animæ quæ eò migrant deſcendere dicuntur: locus pœnæ miſerarum animarum ſtatuitur eſſe quam remotiſſimus à throno Dei vt locus beatarum animarũ in cœlis Dei throno quam proximus, ſicut enim eſt ſumma creaturæ fœlicitas, Deo propius frui, ſic miſeria creaturæ eſt maxima procul à Deo remoueri, & quia partes imæ terræ ſunt remotiores à cœlo ſupremo, vbi thronus Dei eſſe perhibetur meritiſſimo in loco ſecretiſſimo animas malas ibi puniri creditur, & hic locus ob ſitum vulgo inferus vel infernus nuncupatur ob tormenta, & pœnas quibus affliguntur animæ illic degentes, dicitur tartarus à ταράσσω torqueo, à τάρταρος habemus verbum ταρταρόω quo vtitur Diuus Petrus dum docet κακοδαίμονας deiectos eſſe è cœlo in locum ſupplicij.

Cæterum infernus ſiue tartarus olim apud Iſraelitas figurabatur valle Himon, ſiue voce detorta Paulum gehenna vbi miſerandum in modum tempore Idolomaniæ in Iudæa torquebantur illi qui immolabantur idolo Moloch, hinc lapſu temporis

gehenna sumi cœpit pro inferno ipso.

Non sum nescius vulgo credi τὸν ᾅδου denotare tantum alterum locum, puta infernum, quo scilicet migrant animæ miseræ, sed frustra & nulli sunt qui ita autumant, cum genuina & vera τοῦ ᾅδος acceptio est, provt diximus vtrumque locum cõprehendens puta fœlicitatis & miseriæ, quod vel ex vnico Homero discas, vt alios antiquos authores nunc sileam textus Iliados Homeri hîc adferre nolo ne longius sim, eum cuiuis sunt obuiam qui Homeri vel primã paginã legerit interim tamẽ vlterioribus temporibus non diffitemur τὸ ᾅδης sæpius sumi pro loco pœnæ siue miseriæ, quam pro loco fœlicitatis siue cœlo, hinc euenit, vt animæ quæ migrant eo quo omnes animæ vadunt dicuntur descendere siue κατέλθειν εἰς ᾅδου.

Itaque secundum vsitatam tunc loquendi consuetudinem in Symbolo Apostolico cum dictum esset Christum Iesum τὸν κύριον ἡμῶν mortuum esse & sepultum dictum est eum εἰς ᾅδου κατέλθειν secundum animam, id est, eius animam eò migrasse puta ad locum ἀόρατον quo omnes migrant animæ: porro ὁ ᾅδης vt diximus, iam duo denotat loca, nunc addo tantum duo puta inferum & cœlum, prout ex sacra pagina certissimum est, nec quicquam de tertio loco reperire est: deinde ex historiis Ethnicorum etiam constat:

nam apud Ethnicos de duobus tantum locis legimus quò migrant animæ defunctorum, de tertio loco nulla mentio: hinc Clemens Alexandrinus refert antiquissimos Poetas Epicharmum & Phocillidem, ita censuisse, verba Clementis hæc sunt εὐσεβὴς πεφυκὼς ὐδὲν κακὸν καταθανὼν, ἄνω τὸ πνεῦμα διάμενον κατ' ὄρανον ψυχαὶ δὲ ἀσεβῶν ὑπουράνιοι ἐπίγαια πέτονται ἄλεσι πονοῖσι ὑπὸ ζαγλαῖς ἀφυκτοῖς κακῶν, ἐυσεβῶν δὲ ἐπουράνιοι νέμοι κάλποις μάκαρον μέγαν ἀείδασιν ἐν ὕμνοις: Item Socrates apud Platonem docet duas esse vias animarum è corpore excedentium: nam qui se vitiis contaminari deuium quendam nec & seclusum à concilio deorum; qui vero se integros & castos seruant hi ad illos à quibus sunt profecti facilem reditum habent.

Locus beatarum animarum a Socrate apud Platonē vocatur πέδιον ἀληθείας alicubi, & locus miserarum vocatur τάρταρος.

Itaque cum duo tantum sunt τὰ ἄδε ad quæ migrant animæ humanæ quam primum euolant è corporibus, puta locum pœnæ siue inferum, & locum gaudii siue paradisum facessere iubeamus conuentu eorum hominum, qui nobis nescio quæ alia loca producunt in quorum vno tanquam in καθαρταρίῳ animas proborū aliquandiu permanere, & καθαρίζεσθαι antequam cælo fruantur volunt: alterum locum commentitium esse receptaculum nonnullarum animarum donec ad cœlum deferantur. Statuunt hunc locum posteriorem lumbum dictitant vbi nimirum animæ de-

gentes ſecundum horum virorum ſententiam ſunt expertes omnis boni vel mali ~~ſunt~~ in expectatione mandati quo illuc emigrare iubeantur.

Verum enim vero nouanti qui horum locorũ excuſores incauti non animaduertunt ſe, hiſce ſuis figmentis ſummo rerum arbitro & æquiſſimo iudici in iuſtitiæ notam imputare: iniquum enim maxime foret detinere animas proborum defunctorum, in adeo obſcuro carcere ſquallentes, ac eſt fictitius ille patrum limbus, provt ipſi hi boni viri decernunt, vel animas proborum mortuorum, igni adeo ardenti miſere torreri ac eſt commentitius hic καθαρτηεῖν ignis iuxta ipſorum egregiorum doctorum doctrinam per tot ſecula antequam vllo bono potiantur præſertim cum boni, dum adhuc in terris hic degerent etiam multa mala paſſi ſunt, inſuper qui conſtare poteſt cum æquitate Dei vt ſtatim poſt mortem mali puniantur; interim boni per tot annos præmiis fruſtrentur, imo & pœnis extremis affligantur, puta in fictitio illo purgatorio, æquum omnino eſt vt probi exeuntes ex hac vita fruantur hoc bono, quod dum eſſent hic in terra ſe habituros, ſtatim atque hinc deſiderent, ſperabant, & propter ſpem cuius tot incommoda in hac valle miſeriæ paſſi ſunt, provt iuſtum eſt mali puniantur ſtatim atque è viuis diſcedunt.

Præterea quid lucretur probus in hac vita cum vitiis conflictans, & virtutes exercens si hic mala patitur atque etiam in futura vita tot secula torrebitur, aut saltem speratis bonis frustrabitur, anne potior est conditio mali qui hic præsentibus affluit deliciis ex animi sententia viuens & in vita futura eius pœna vix grauior dici possit, si figmenta horũ hominũ locum habent. Sed

Quæstio. hic quæres si non datur tertius locus ἐν ἅδῃ vltra locum præmij pœnæ, quo ituræ sunt animæ infantium, qui nihil hic boni fecerunt, vt præmiis donarentur in vita futura, nec male hic quicquam commiserunt, vt pœnis in vita futura afficerentur.

Responsio. Ad quod respondeo summum sapientissimum opificem & supremum omnium æquissimum iudicem facere de suo quod sibi optimum videtur, & ex eo variis modis pro libito nominis sui gloriam trahere: hinc dico Deum animas aliorum infantium defunctorum mittere ad cœlos pro bene placito suo, vt illic fœlicitate fruantur: aliorũ vero animas ad tartara secreto suo iudicio demittere, neque propterea vas figlinum surget contra figulum suum, vel ei dicit: quare me ita tractas cum figulo vtitur suo, vti ei bonum videtur hæc ὑπέρτη ἅδη quo animæ humanæ relictis corporibus suis migrant, in præsens dicta sufficiant qui plura de his scire volunt, opera destinata Theologorum con-

ſulant, in quibus inuenturi ſunt vnde deſiderium expleant: interim ſupra dictis vnũ aut alterum verbum ſuperaddere libuit, cum dicimus animam in cœlo gaudio ſiue voluptate frui, ſcias velim voluptatem hanc animæ eſſe conuenientem naturæ ipſius animæ, ideſt, ſpiritualem cum anima ſit ſpiritus, caue ergo cum ſenſualibus corporalem voluptatem in paradiſo eſſe ſomnies.

Item cum dicimus in inferno animas malorum puniri, hoc pariter intelligi volo modo ſpirituali, ideſt, conuenienter naturæ animæ humanæ licet interdum ob inopiam vocabulorum hæc pœna animæ inferno exprimatur verbis punitionem corpoream denotantibus.

SECTIO III.

In qua de modo agendi nominatim, de modo cognoſcendi animæ humanæ ſeparatæ.

NVnc anima humana à corpore ſuo ſeparata, & in loco ſiue in vbi ſibi deſtinato degens, vt habet modum exiſtendi diuerſum ab eo quem habebat dum coexiſterit corpori ſuo: ita habet modum agendi nominatim, cognoſcendi ab eo quem

habebat cum in corpore existeret modus: siquidem agendi sequitur modum existendi animam separatam deserunt facultates vegetatiua & sensitiua quo ad actum secundum: nam cum respiciunt tantum hominem constantem ex corpore & anima quãdiu anima est separata à corpore, nullus erit earum vsus vel finis, neque exercere possunt munia sua hæ facultates ob defectum obiecti & organon, idest, materiæ animalis sine quibus nulla operatio harum facultatum: ergo vacabunt quo ad vsum, hæ facultates & anima alioqui actuosa cessabit ab iis omnibus operationibus, quæ fiunt causa corporis, & per corpus tantum cum corpus iam dissolutum est: cuiusmodi sunt omnes operationes facultatum vegetatiuæ & sensitiuæ, nec non minorum potestatum, quæ iis duabus ancillatur, iam licet anima separata cesset ab operationibus facultatum vegetatiuæ & sensitiuæ, nec non minorum potentiarum, his duabus administrantium, & ipsæ facultates dicantur animam deserere quo ad actum secundum, vt loquuntur in scholis: interim tamen quoad esse, siue quoad actum primum immotæ manent vna cum anima, cui sunt essentiales, quippe ab eius essentia fluentes: quod autem essentiale rei cuique, id est, ei proprium & quod perpetuũ nemini mirum videri debet vna cum anima hæ potestates quo ad actum primum manent sine opera-

tione cum quiuis videat statim atque corpus humanum ad ἀκμὴν peruenit facultatem auctricem cessare ab operatione sua, etiam si anima vna cum corpore tum existat, quia tunc nullus est vsus operationis per facultatem eam cum finem quem per eam intenderat natura, iam enim adepta est.

Superius paulo dicebamus, animam separatam habere modum agendi nominatim cognoscendi diuersum ab eo quem habebat dum existeret iuncta corpori, quod sic verum esse ostendo anima vnita corpori cognoscit per sensum res multas quod non facit separata, tunc enim cessat sensus vt iam iam dicebamus deinde vnita corpori cognoscit per intellectum siue intelligit etiam res crassiores, quæ quod sub sensum cadunt & per eum percipiuntur dici solent sensibiles, quamuis intellectus eas quoque cognoscebat id eo intelligibiles sunt, intelligit, inquam, intellectus res eiusmodi non sine phantasmatis iisque crassis à sensibus sibi oblatis, quæ phantasmata intellectus intuetur vt oculus, colores dum has res cognoscit, sed soluta corpore anima non amplius phantasmata talia speculatur, verum τὰ νοητὰ, omnia suspicit, vel ἁπλῶς, vt in essentia sua sunt, vel per species subtiliores, alias longe à phantasmatis illis crassis atque eas vel sibi cognatas vel influentes à Deo, vel abstractas à rebus ipsis νοητοῖς, vel denique adhuc re-

liquas ex statu prioris vitæ, sed multum de. puratas: species autem nonnullas reliquas ex statu prioris vitæ manere in anima separata, omnino certum est: nam anima separata meminit, & quid quæso meminerit nisi rerum præteritarum in hac vita, non vero nouarum specierum recens aduenientium.

Cæterum hæ species reliquæ sunt subtiles admodum, & fiunt ab intellectu sine ope sensuum, à quo etiam conseruantur, quare aliæ sunt à phantasmatis illis αἰσθητοῖς de quibus iam & distinctionis gratia νοητα & intelligibiles supple κατ' ἐξοχὴν dicũtur, & illa phãtasmata crassa αἰσθητα vocitari solẽt.

Itaque illud, illæ species intelligibiles non possunt conseruari sine phantasmatis αἰσθητ ις non est adeo verum, vt ex dictis vides

Porro habitus mentis si sunt perfecti vt sunt ij qui multo labore sunt acquisiti, cuiusmodi sunt habitus scientiæ, &c. nec non virtutes morales, &c manebunt vna cum anima separata quoad entitatem, eamque nobiliorem quam antea, quo pertinet illud. Hic discamus in terris quorum scientia nobiscum mansura sit in cœlis, sic habitus nonnulli à Deo infusi vt habitus extraordinarius prophetiæ, &c.

Item caritas erga pauperes, &c. vacabunt in quam omnes hi habitus tum acquisiti, tum infusi quoad vsum ob defectum obiecti: habitus autem imperfecti siue ta-

les fuerint comparatiue, vt fides, siue tales fuerint absolute, vt error, non manebunt, sed tollentur, vel per magis perfectum actum, vel per contrarium actum, in statu gloriæ, ita actus ille hominis animalis, imo moralis compensabitur per actum spiritalem & supernaturalem, fides cessabit in vita futura quo ad ineuidentiam vi visionis beatificæ, sed fiducia semper ibi manebit, certitudo fidei quæ vix est sine vacillatione cessabit, & in eius vicem succedet certitudo visionis: fides vero dicitur ineuidens (vt hoc obiter) non in sese, nam est demonstratio eorum quæ fugiunt sensum, sed respectu visionis beatificæ: hic enim videmus per vmbram, illic autem plane & coram intuebimur quod iam audis de fide, idem de spe intelligendum.

Cæterum animæ humanæ in sua ipsius creatione vt & Angelo imprimuntur species quædam: postulat enim conditio spiritus beati vt non producatur cum prorsus negatiua ignorantia omnium rerum. Item nouæ species imprimuntur animæ humanæ dum à corpore suo separatur, quia tunc quasi nouam conditionem sumit anima humana intelligit multa quæ per reuelationem diuinam ei innotescunt, deinde in vita futura necesse habebit anima separata species ab obiectis abstrahere, non per phantasmata ἀἰσθητά, vt plerumque facit in hac vita cum scilicet intelligit res sensiles:

ſed immediate per naturam ſuam ſine phantaſmatis eiuſmodi, neque requiritur vt eas à Deo accipiat, anima iam ſeparata exercet operationes longe abſolutiores quam cum in hoc corpore infirmo eſſet intellectus agens more excellentiori, agit nimirum applicatione ſui ipſius ad obiecta externa ipſa, ſiue ad eorum imagines νοήτας, & vt intellectus operationes modo excellentiori operatur, ita voluntas ardentius appetit potentia ſe citiſſime exerit & memoria: intellectualis firmius longe meminit.

Anima ſeparata in cœlis videt Deum immediate à facie ſiue coram non per ſpeciem, obſcuram vt hic in terris corpori ſuo vnita, ſed in ſua eſſentia: quare etiã multo melius intelligit anima ſeparata quid officij ſit erga Deum, erga ſeipſam & erga ſocias creaturas cum anima humana non cognoſcit res omnes per ſeipſam, ſciendum eſt ſpecies intelligibiles non fluere ab ipſa anima vt à Deo fluũt qui omnia per ſeipſum intelligit, ſed ſpecies intelligit anima ſeparata, quæ ſed extrinſecus adueniunt intellectui puta vel ab obiectis externis, vel à Deo infunduntur: ex dictis diſcas animam humanam etiam à corpore ſeparatam non otioſam tranſigere vitam ſed vitam omnino actuoſam degere: cum enim ſit purus actus nunquam poteſt non agere hic reuocare in mentem, oportet duplicem naturalitatis,

vt,

vt ita dicam, in anima gradum quorum prior est vnionis siue informationis, secundus vero separationis siue solutionis in priori gradu totus homo est principium *quo* operationum quæ fiunt per corpus & animam simul; anima vero est principium tantum *quo*, in secundo gradu anima est omnino principium *quod*; vt etiam dum manet in corpore quando operationes plurimas facultatis intellectiuæ exercet vt supra vidimus. Anima separata plurima intelligit cognitione supernaturali sine discursu rudi, qui est cum defectu, qualis est hic in terris noster discursus: nam tunc lux siue lumen supernaturale irradiat mentem, eamque capacem reddit, vt actu simplici complectatur & eliciat visionem beatificam, interim naturali cognitione per discursum, licet longe exquisitiorē, separata anima intelligit nonnulla, nimirum ea quæ concludit ex quibusdam principiis. Principia autē ipsa cognoscit sine discursu actus supernaturalis beatificæ visionis, in cœlis nunquam interrumpitur, quia actus summæ fœlicitatis ne ad momentum quidem cessare potest: iactus autem naturalis visionis non potest ita continuari, quia ibi dantur varia obiecta, nec mens sistit in vno: interim tamen anima actioni continuæ vacat, v g. puta cognitioni, licet non semper hoc vel illud agat, v g. cognoscat, quū modus quo anima separata existit extra corpus

 infirmum

licet παρὰ φύσιν, non diminuat, ſed euehat naturam: ideo modus quo agit erit præſtantior extra corpus quam in corpore, nominatim modus cognoſcendi, cognitio enim animæ ſeparatæ eſt ſtata, nec ita ſubiecta accremento & decremento vt in hac vita, atque hæc de potentia & actu cognoſcendi in præſens ſufficiant, ſequitur vt de obiecto cognitionis vnum aut alterum verbum dicamus, & nihil aliud eſt quam res ipſa quæ cognoſci poteſt ab anima: res autem quæ cognoſcitur, vel eſt naturalis, vel ſupernaturalis, vel ex ambabus mixta rurſus eſt talis vel quoad eſſentiam, vel quoad exiſtentiam, vel quoad conſeruationem, vel quoad productionem, res naturales quoad eſſentiam, productionem & exiſtentiam ſunt plurimæ, nempe eæ omnes quæ fiunt ſimul & exiſtũt per curſum naturæ ordinarium, aliæ ſunt res mere ſupernaturales vt dona gratiæ & gloriæ, deinde ſunt res quædam quarum eſſentia & exiſtentia ſunt naturalis ordinis: productio vero non v. g. reſtitutus cæco viſus per τὸν κύριον. Item ſunt res cætera naturales quarum conſeruatio eſt ſupernaturalis, vt vita Moyſis 40. dies ſine cibo in monte Sina, & vita Domini in deſerto.

Anima ſeparata cognoſcit cuncta multo diſtinctius in altera vita quam in hac, quia non impeditur maſſa corporea impura, vt hic in terris, quare falſum eſt quod dicunt

nonnulli intellectum purum nõ intelligere singularia, anima separata cognoscit tum sese, tum actus suos, & potentias suas per seipsum, non per aliquam notionalem similitudinem, quia potest intra se ipsam flecti, tum sui, tum omnium quæ intra se sunt cognoscendi causa: alias vero animas & Angelos cognoscit naturali quidem cognitione, non vero per seipsam, sed per species eorum si absunt ab illa, vel per substantias eorum si adsunt: necesse est autem vt anima sit præsens, vel cum obiecto ipso, vel cum imagine obiecti: si illud intelligere vult, vnde illud tritum, cognitio tantum pręsentiũ intellige reipsa, vel repręsentatione quod & supra alibi docuimus in re alia.

Anima licet perfecte & clare cognoscat alias animas & Angelos: eorum tamen cogitationes non nouit, nam perinde sunt ac si essent absentes, & quia occultę sunt nullã speciem ex sese emittunt, atque intellectus finit⁹ nõ potest in eas illabi: solus ergo DEUS infinitus & νοημάτων γνώστης est cui omnia sunt præsentia, & quẽ nihil latet anima humana separata cognoscere potest in quibus euentis lateat, vel non lateat repugnantia, vti vocãt, Logica, res supernaturales quæ sunt eminentissimæ, v. g. mysterium sanctissimæ Trinitatis cognoscuntur ab anima per reuelationem, non per rationem: anima separata cum sit finita Deum tantum apprehensiue intelligit: quare non

omnia videt in Deo vt in ſpeculo, ſolus enim Deus infinitus nouit omnia in ſe, & hæc de obiecto cognitionis animæ humanæ ſeparatæ in præſens ſatis ſunto.

Anima ſeparata cum ſit finita neceſſe eſt ſit mobilis, quia quidquid eſt loco vel vbi deſignatum, eſt diſtantiæ ac propinquitatis capax, ac proinde lationis quæ non fit ſine motu ſolus Deus ob immenſitatem loco moueri nequit. Itaque anima ſeparata mobilis localiter, idque ex ſe ipſa cum ſit viuens, prout ex finitudine concluditur mobilitas, ſic ex vita concluditur mobilitas ex ſeſe vel ſuiipſius, deinde cum à nullo vbi pendet in ſui conſeruatione vel in vlla perfectione quam alibi aſſequi nequeat, ideo ei non repugnat mutare locum, vis motrix animę diſtinguitur ab intellectu & voluntate formaliter: ſi enim ab illis realiter diſtingueretur eodem modo, omnes aliæ potentiæ in anima diſtinguerentur à ſe inuicem, ac ita anima foret magis compoſita quam corpus, quod eſt abſurdum, vt voluntas eſt intellectus extenſus, ſic potentia eſt voluntas extenſa, voluntas & intellectus dirigunt & præſcribunt longe aliter in anima ſiue in Angelo quam in Deo, in quo potentia executrix eſt ipſa Dei volũtas cum actu efficaci operandi ad extra, ita vt velle Dei ſit ſimpliciter executiuum, quod de voluntate vllius creaturæ dici non poteſt anima cum ſie[illegible]rem aliquam prius

rei motæ impulſoriam qualitatem imprimit, quæ eſt neceſſarium inſtrumentum motus: ergo non ſolo motu mouet vt Deus qui in inſtanti aliquid mouet contactus requiſitus ad motionem, non eſt ſemper contactus molis qui eſt inter duo corpora, ſed ſufficit contactus virtutis & eſſentiæ, ac ita anima tangit corpus, alio loco declarauimus.

Qualis eſt eſſentia rei, talis eſt eius modus eſſendi, vt loco vel vbi: ergo quum animæ eſſentia ſit indiuidua, modus quo eſt in loco erit indiuiduus & punctualis, vt ita dicam.

Vna anima ſeparata non habet in aliam imperiũ naturaliter cum ſint pares natura & efficacitate bonæ ad bonum, malæ ad malum: anima bona eſt beata, anima mala eſt miſera, anima beata degens in cœlo, & ſupra docuimus, Deum laudat & amat bonos Angelos amat & imitatur. Item alias animas bonas amat, malas vero animas & malos Angelos odit & deteſtatur, vt Dei hoſtes, anima beata nunquam contriſtatur ſiue reſpiciat malos Angelos & malas animas dum puniuntur, quia id vult Deus ſumme bonus, cuius voluntati ſe ſubmittit magna cum alacritate quando intelligit iuſtitiam Dei ſic exigere vt mali debito affigantur ſupplicio.

Deinde licet anima beata propendeat naturaliter ad reunionem cum corpore, ta-

men patienter expectat restitutionem corporis, quia nouit Deum pro sua sapientia infinita, constituisse terminum certum resurrectioni vniuersali, neque animæ beatæ graue est quod inferiorem locum tenet respectu Angeli in regno cœlesti cum coronatur gloria sempiterna, & gaudio ineffabili perfunditur æque ac Angelus beatitudo, animæ separatæ est actus omnium potentiarum animæ, isque continuus alioqui non foret vera fœlicitas: Deus enim est intellectui plenitudo lucis, voluntati plenitudo pacis, memoriæ continuatio omnium bonorum: denique anima comprehendit de Deo quod de Deo comprehendi expedit ad summam suam fœlicitatem, quæ certe est summa tũ intensiue, tum extensiue: è contrario anima misera degens in inferno respicit Deum quem odit & auersatur, vt seuerum iudicem, Angelos bonos & animas beatas vidit, quibus inuidet, quod sint in meliori statu quam ipsæ sint κακοδαίμονος & malos Angelos detestatur, quia augent miseriam suam, anima misera moritur semper, numquam emoritur, mors eius consistit in priuatione gratiæ & gloriæ æternæ, nõ vero in dissolutione & destructione subiecti, &c. vt mors corporis, cumulus earum miseriæ accedit quod æternitati pœnarum nullus sit finis. Item in inferno nihil potest inueniri quod desideretur in cœlo, nihil desiderari potest quin

inueniatur: anima mala propendet naturaliter ad reunionem cum corpore: tamen triſtatur cum de ea cogitat, quia tũc pœna eius erit exquiſitior pœna miſerarũ animarum, licet ſit ſumma, & conſiſtens ſeparatione à Dei fauore quæ poteſt dici pœna damni, ac proinde ęqualis: interim inæqualitas poteſt habere locum in cruciatu animæ & corporis quem dicas pœnam ſenſus, atque ita ſeruatur proportio peccatis imparibus impares pœnas tribuendo, eſt ignis in inferno & agit in animas & Angelos obiectiue, quatenus nimirum concipiunt dolorem ex eo, ſic locus quiuis horridus dici poteſt agere obiectiue in locatum, ſed ignis non agit effectiue in animas & Angelos cum non ſint corpora.

Anima ſeparata à corpore ſuo & in vbi ſibi deſtinato degens, quamuis per ſe ſubſiſtat Angelus, non tamen ita completa & perfecta eſt pari gradu cum Angelis: non enim dicere potes animam ſeorſim exiſtentem eſſe perſonam vel hypoſtaſim abſolutam, vt potes dicere de Angelo, ratio eſt, quia vtcumque anima ſeorſim per ſe ſubſiſtat in tempus, vtique tamen eſt pars alterius: fuit enim actu pars quandiu erat corpori vnita, & erit denuo actu cum corpori reunietur: tempore autem ſeparationis eſt poteſtate tantum pars, ſed magnum appetitum habens iterum vna eſſe cum corpore ſuo, ac ita actu eſſe pars vt olim erat & erit.

licet vero anima ſeparata non ſit adeo abſolute integra perſona, vt Angelus interim eſt quaſi perſona, & non amplius ſemiperſona debet d ci, cum ſit ſeorſim à corpore: quare fruſtra ſunt qui hunc ſtatum animæ ſeparatæ ſemiperſonalitatem ! nuncupare auſi ſunt : ergo anima humana ſeparata cum non ſit adeo abſolute nec perfecte vt Angelus non poteſt adeo abſolute, & adeo perfecte agere vt Angelus.

Item cum anima ſeorſim à corpore non eſt adeo complete & abſolute, ac erat vnita corpori: quare non adeo complete aget ac tum agebat, nempe cum vnita erat corpori integro & iterum actura eſt cum rurſus corpori vnietur, licet purius & ſimplicius, & modo propiori ei quo Angeli agunt, iam ſeparata agat quam cum corpore hoc infirmo. Dico autem animam ſeparatam non adeo complete agere . ac agebat vnita corpori : ceſſat enim à multis operationibus quas edebat vnita corpori, vt ſunt non ſolum operationes quæ fiunt per facultates vegetatiuam & ſenſitiuam, vt iam iam ſupra diximus : ſed etiam à multis ceſſet anima ſeparata operationibus quæ fiunt per facultatem intellectualem, nimirum ab iis quæ fiunt propter corpus per organa corporea, vt ſunt ridere, flere, loqui, &c. eiuſmodi enim operationes ab intellectuali facultate procedere in ſuperioribus demonſtrauimus.

Interim licet anima ſeparata nec rideat, nec fleat, neque loquatur, non deſinit tamẽ declarare gaudium & dolorem ſuum, & communicare ſenſa animi alijs, ſed via & modo longe excellentiori quam prius fecerat dum vniretur corpori, puta modo Angelico, & prorſus ſpirituali, qui licet nobis non ita notus ſit: interim tamen eſt admodum certus, prout experientia comprobatur: ſi quidem certiſſimo conſtat Angelos non ſolum ſibi mutuo cogitationes animi communicare, ſed etiam nobis hominibus in hac terra degentibus res notas facere bonos nimirum Angelos Dei iuſſu, vt nobis bene fiat; malos vero Dei permiſſu vt nobis male fiat, neque hæc ſpiritualis cogitationum communicatio, quæ fit inter ſpiritus puta angelos, & animas ſeparatas mira videatur ei qui nouit Deum ſpirituali hoc modo voluntatem ſuam non ſolum Angelis & animabus ſeparatis declarare, ſed etiam mentibus noſtris dum in hac valle verſamur notam facere.

Item is qui conſiderat intellectum noſtrum etiam dum hic ſumus communicare voluntati & vtrumque communicare memoriæ, hanc ſpiritualem animarum ſeparatarum communicationem, vt nimis miram habebit, ſed vt verum fateor hæc ſunt à ſenſu noſtro paulo remotiora. Interim veriſſima ſunt provt ratio euincit, & experientia oſtendit, vt anima deſcendens

à corpore cessat ab operationibus vegetatiuæ & sensitiuæ facultatum, sic phantasmata crassiora rerum quæ erant in sensu communi, provt in receptaculo communi omnium imaginum sensilium extrinsecus aduenientium. Item in phantasia siue imaginatione, necnon in memoria sensitiua discessu animæ à corpore euanescunt: sed imagines & species subtiliores rerum, quæ erant intellectu & voluntate & memoria intellectiua etiam post separationem manebunt., cum post separationem anima operatur per facultatem intellectualem, sed modo longe puriori & à materia remotiori, vt iam sæpius inculcauimus: ex dictis inferimus animam separatam non cognoscere interuentu sensuum per apprehensionem imaginum, quod faciebat sensibilia cognoscens dum huic corpori vnita esset; sed via longe subtiliori instar angelorum, verum nobis in hac ignorantiæ valle non ita nota. Interim omnino constat via qua cognoscunt tum anima separata, tum Angeli fieri per progressum à notiori ad minus notum: nam Deus est solus, qui cuncta vnico intuitu cognoscit sine distinctione prioris & posterioris, & est solus Deus qui omnia nouit, creaturarum cognitio, vt earum essentia est finita & limitata Angelus & anima separata, tantum cognoscunt ea quæ ipsis objiciuntur vt sunt ea quæ sunt vel fiunt vbi ipsi sunt,

hinc concludimus animas & Angelos degentes in cœlo ſupremo non poſſe cognoſcere ea quæ in hoc inferiori mundo ſunt, vel hic geruntur nihil facit contra hanc veritatem, quod anima ſeparata & Angeli in cœlo videant Deum coram: nam licet Deus clare ipſis ſe videndum exhibeat, non tamen omnia prorſus quæ ſunt in mente Dei comprehendunt, alioqui fierent ipſi Dei: nemo autem omnia nouit niſi ſolus Deus, quare nulli & fruſtra ſunt qui ad animam & Angelum ignorantes vota faciunt.

Item cum anima & Angelus non ſciant omnia quæ iam ſunt præſentia, pura ea quæ ſunt vel fiunt in locis à ſuo vbi diſſitis, quomodo? futura cognoſcere poſſunt quorum certam cognitionem Deus ſibi vni reſeruauit, quare ſtultiſſimum eſt petere cognitionem futurorum ab vlla creatura, & qui ita facit creaturam loco Creatoris locat quo nihil peius poteſt fieri, ſed inſtes, Angelus puta κακοδαιμῶν multa prædixit, quæ pro veris comperta ſunt: ad quod reſpondeo κακοδαίμονα eſſe creaturam ſua natura excellentem, ſubtilique facultate cognoſcendi præditam, ac magnam tum præteritorum, tum præſentium notitiam habere: vnde pro ſua ſagacitate colligit coniecturam de futuris non adeo infallibilem: non autem quod ea certo proferat, prout homo quilibet experientia longa

Inſtantia.

Reſponſio.

doctus & sagax in ijs quæ sunt artis suæ, coniecturas non ita incertas de futuris colligit, sic medicus & politicus præuident & prædicant euenta futura in arte sua, nemo tamen audet dicere vllum horum habere cognitionem futurorum, vt præsentium, interim agnosco angelum & præsentium & futurorum habere cognitionem maiorem, eamque certiorem quam vllus homo habet, ita posse certius de futuris pronuntiare, quippe ingenio longe subtiliori præditum experientia longiori ac meliori instructum quam homo queat.

SECTIO IV.

In qua querũtur varia & ijs respondetur, nec non de resurrectione agitur.

PAulo superius dicebamus animam discedentem à corpore solutione compositi cessare ab omnibus iis operationibus quæ fiunt per & propter corpus. Item dicebamus imagines quæ sunt in sensu communi & phantasia & memoria sensitiua tunc euanescere: hinc quæri solet vtrum anima humana iam seorsim existens meminerit se aliquando vnitam fuisse corpori, nec ne. Ad quod repono animam separatam à corpore, licet non amplius

Quæstio.

Responsio.

vtatur memoria sensitiua, tamen se vnitam fuisse corpori meminisse per memoriam intellectiuam certissimum est: nam per intellectiuam sciebat se esse vna cum corpore, ita per memoriam intellectualem se corpori vnitam fuisse omnino meminit quid quod animæ beatæ in cœlo cognoscant misericordiam Creatoris, qui eis gratis condonauit peccata à se & corpore simul commissa, beatasque reddidit.

Item animæ miserorum in inferno agnoscunt se iuste quamuis seuere à Deo puniri ob scelera dum cum corpore essent perpetrata. Itaque asserimus animam beatam meminisse omnium rerum quarum species in intellectu habebant dum hic in terris essent, id est, quas in hoc mundo intellexerunt quarum memoria non officit earum beatitudini: Deus enim dum animam beatificat vel beatam reddit, non solum ei dat bona, sed etiam ei aufert mala, & vult eam bonorum meminisse quæ ad incrementum beatitudinis conferunt, sic vult eam mala obliuioni tradere quæ beatitudinem eius turbare possunt, è contrario animæ miserorum in inferno non solum priuantur bonis, sed etiam malis afficiuntur & perdunt memoriam omnium nisi eorum quorum recordatio poterit augere miseriam & pœnam ipsarum.

Nuper à nobis dictum fuit animam discedentem à corpore, licet seorsim subsistat

& operetur, eam tamen non ita complete subsistere, vt nec operari cum sit forma informationi corporis destinata, quare etiam licet procul remota sit à corpore, conseruat tamen non solum sufficientem aptitudinẽ informãdi corpus, sed etiam appetitũ ingẽitam & propensionẽ insitam habet, Iterum vniri corpori suo vt id informet, ac ita ex vtroque simul fiat compositum homo quo aptitudo animæ innata, et hæc propensio insita cum fluant à natura non possunt esse frustra, si quidem Deus & natura nihil faciunt frustra: hæc autem propensio animæ separatæ rursus vniri corpori suo sic demonstratur, anima cum sit pars licet seorsim & per se subsistens, tamen non ita complete seorsim subsistit, vt in toto subsistit: quare appetit & propendet ad potiorem sui statum, idest, ad subsistendum in toto suo quod non potest adipisci nisi vniatur corpori suo, idcirco appetit vniri materiæ vel corpori quod informet.

Supra vidimus separationem animæ à corpore esse aliquatenus contra naturam, cum per eam dissoluitur totum compositũ, atque vnionem animæ cum corpore esse secundum naturam. cum per eam totum compositum conseruatur hinc est, quod quisque naturali desiderio tenetur conseruare hanc corporis & animæ vnionem tanquam naturæ amicam vice versa auersari separationem animæ & corporis vt

naturæ hoſtem, & quialiter facit mentis ſanæ exors eſt ac non ſui compos.

Interim cum ſeparatio hæc animæ non euertit ipſius animæ naturam, non dicimus abſolute eam eſſe contra naturam, præſertim ſi conſideres animam vt ſubſtantiam ſpiritualem per ſe ſubſiſtentem, prout re vera eſt ſicut ſæpius demonſtrauimus: non enim eſt anima hominis inſtar animarum aliorum viuentium, quæ pro vnico & ſolo fine habent informationem corporis ſui eiuſque actuationem ſine corpore nullo modo eſſe poſſunt: hinc quidam homines conſiderantes animas ſuas vt ſubſtantias ſpirituales per ſe, & ſeorſim ſubſiſtere valentes, atque perſpicientes animas ſuas prægrauari à corporibus infirmis & male affectis, nihil mali fecerunt cum optarent animas ſuas liberari hoc præponderante corporis infirmi pondere, hinc etiam dico vnionem animæ noſtræ conſideratæ vt ſubſtantiæ ſpiritualis per ſe ſubſiſtentis, non eſſe adeo ſecundum naturam, vt nec eius ſeparationem ita contra naturam ſub eodem reſpectu: ad hæc pro revnione corporis et animæ ſimul ac conſequenter pro mortuorum corporum reſurrectione ſic diſputo, conuenit æquitati ſummi Iudicis iuſtiſſimi vt totus homo conſtãs corpore & anima ſi bonus fuit tandem habeat præmium bene actorum ab anima & corpore cum eſſent ſimul. Item ſi malus fuit vt luat pœnas in

corpore & anima ob mala opera quæ per vtrumque commiſit.

Deinde ordo naturæ non poſſe ſaltem in hac parte ſtare videtur, ſi anima humana puſillo tempore nihil fere ſupra momentum maneret corpori vnita: infinito vero tempore ſeparata degeret infiniti ad finitum nulla proportio cum ordinata ſit præcipue ad corpus informandum, quare cum morti compoſiti ſuperſtes ſit in æternum duratura, vti ſuo loco demonſtrauimus, neceſſe eſt vt iterum vniatur corpori ſuo in perpetuum cum eo victura, ac ita ἐν τούτῳ τῷ μέρει ordo vniuerſi ſeruabitur.

Ex his concludimus reunionem corporis humani & animæ ſuæ ſeparatæ ab eo aliquando fieri, poſt certum ſcilicet tempus à ſummo rerum moderatore præſtitutum: verum vt hæc vnio fiat neceſſe eſt, vt corpus denuo è puluere ſuſcitetur & reſurgat,

Quæſtio. ſed dicas quî fieri poteſt vt corpus diſſolutum in tot partes, imo in cineres redactum, totieſque mutatum, interim in vnum colligatur, & collectum reſuſcitetur, vt reuniatur animæ ſuæ.

Reſponſio. Reſpondeo rem ſi in ſe conſideres eſſe admodum arduam, & inter difficillimas prorſus habendam, verum ſi conſideres poteſtatem eius à quo hæc res præſtanda eſt, facile animæ difficultas tolletur, ſi quidem is qui cuncta ex nihilo produxit, facile non difficulter res diſperſas & longiſſime diſſi-

tas

tas vnum colliget collectasque suscitabit quidquod habemus vmbram vel ideam leuem huius resurrectionis corporum in semine puta frumento, quod terræ mandatur, ibique aliquandiu retentum prius quadantenus putrescit, deinde germinat.

Hic diligenter notes velim corpus non posse de nouo vniri cum anima sua, nisi per eum qui primitus ipsam corpori coniunxerat, idest, non nisi per solum Deum, cum hæc reunio sit regressus à priuatione totali ad habitum, quippe à non esse compositi ad eius esse qui regressus est opus solius authoris naturæ, non vero vllius creaturæ.

Itaque dicimus opera Sathanæ esse delusoria & illusoria in hoc negotio: non enim potest Sathan vnire rursus animam corpori mortuo, sed dum hoc ostentat & præstare præ se fert prorsus decipit, siquidem ipse tantum mutat corpus mortuum vel aliquod phantasma sibi assumit loco veri corporis quod sæpe accidebat sæculis patrum & auorum nostrorum: minime vero animam egressam iterum corpori suo reunit: hinc vides non Samuelem ipsum resuscitatum fuisse habentem corpus reunitum animæ suæ, sed fuisse phantasma opera diaboli repræsentatum permissu Dei ad decipiendum malum Saülem, vel mancipium quoddam Sathanæ, quoad manum suam habebat paratum in eiusmodi opera:

nam in ipſum Samuelem virum ſanctum, impoſſibile eſt tantum potuiſſe Sathanam vt in eius corpus mortuum ingredi potuerit.

Denique cum corpora noſtra ſuſcitata reunita fuerint animabus ſuis, quæri ſolet num tunc nos agnituri ſimus nos mutuo. Reſpondeo id fore, apparens eſt cum ſint eadem numero corpora eadem prorſus animæ reunitæ, quare iuxta omnem veriſimilitudinem noſmet inuicem agnituri ſumus, verum cognitio hæc erit omnino ſine vlla carnali affectione quali laboramus cum hic in terris ſumus: tunc enim corpora noſtra erunt glorioſa & depurata, quippe ἐκ χοϊκῶν ἐπουράνια facta. Itaque licet illic agnoſcamus carnis parentes & conſanguineos non magis eos charos habebimus quam maxime extraneum & prorſus ignotum, modo ille ſit Deo charus: nam omnes in Deo diligemus illic vt Angeli ſine vllis corporis paſſionibus erimus, hinc firmiſſime aſſerere non verebor, ſi quis in vita futura propinquum conſanguineum ſuum agnoſcit, & eum pœnis affligi videt vera lætitia gauiſurum propter iuſtiſſimam executionem voluntatis diuinæ, cui ille tanquam omnino optimæ acquieſcit proſequens odio conſanguineum vel propinquum tanquam Dei hoſtem quem iuſte puniendum Deus cenſuit.

Nec reunio corporis & animæ hominis

ac ita ipſa reſurrectio mortuorum fugit ethnicos magis quam alia hiſtoriæ animæ humanæ capita, quippe qui non ſunt magis deſtituti hac in parte argumentis validis è natura rei ſumptis quam in aliis huius hiſtoriæ partibus quid quod Ethnici qui propiores populo Dei eſſent ab iis hanc veritatem vt alias acceperunt & reliquis remotioribus tradiderunt, licet in multis mutatam & fabularum inuolucris nubilatam: Ethnicos vero vnionem animæ & corporis ac ita corporis reſurrectionem poſſibilem cenſuiſſe, vel hinc diſcas, licet quod putarunt animam relicto primo corpore tandem poſt aliorum nonnullorum informationem reciprocare curſum ad priſtinam ſedem, id eſt, primum corpus atque hoc accidere poſt magnum annum quod nos interpretamur poſt conſummationem ſeculorum quidquod Plato 1 lib Reipublicæ ſcripſit quendã παν'φιλον è mortuis reſurrexiſſe quæ vere ipſe viderit, hinc tamen vides reſurrectionẽ corporis nõ fuiſſe Ethnicis prorſus inauditam Plato ipſe in Phædone ait τοὺς ἀνθρώπους ἀναβιώσκεσθαι, καὶ ἐκ τῶν τεθνεώτων ζῶντας γίγνεσθαι.

Chryſippus Stoicus celeberrimus ſic de reſurrectione mortuorum ſcripſit in libro de prouidentia, τούτου δ' οὕτως, ἔχοντος δῆλον ὡς οὐδὲν ἀδύνατον καὶ ἡμᾶς μετὰ τὸ τελευτῆσαι, πάλιν περιόδων τινῶν εἰλημμένων χρόνου εἰς ὃ νῦν ἐσμεν, ἀποκαταστήσεσθαι σχῆμα, hæc faciunt etiam

versus Sybillani.

Καὶ τοτ᾽ ἀναστήσω νέκροις μοῖραν ἀναλύσας
Καὶ θάνατου κέντρον καὶ ὕστερον εἰς κρίσιν ἕξω
Κρίνων εὐσέβειαν, καὶ δυσσέβειαν βίον ἀνδρων.

Democritus etiam antiquissimus & acutissimus ille Philosophus non solum ipse credidit resurrectionem corporis, sed & palam docuit ac scriptis mandauit, quin etiam ex scriptis præcipuis Ethnicorū imaginem resurrectionis videas, ita cōsentanea est philosophia sana religioni nostræ, & quam prope ad eam Philosophi lumine naturali accesserunt, huc pertinet illud Poëtæ.

Rursus & incipient in corpora velle reuerti.

Apud Plutarchum in libro de Iside refert, Theopompus è magorum Theologia post vi. cIↃ. annos quo temporis spatio perpetuum sit futurum dissidium inter Deum & dæmonē τέλος ἀπολείπεσθαι τὸν ἅδην καὶ τοὺς μὲν ἀνθρώπους εὐδαίμονας ἔσεσθαι, μήτε τροφῆς δεομένους μήτε σκιὰν ποιοῦντας, hæc rogo quam longe absunt à vera Religione: vulgata autē apud nostros opinio est fore Sabbatum &c. post ea ἕνα βίον καὶ μίαν πολιτείαν ἀνθρώπων μακάρων καὶ ὁμογλώσσων πάντων ἔσεσθαι. Diogenes Laertius in prooemio ait eundem Theopompum ex Theologia magorum docuisse ἀναβιώσεσθαι τοὺς ἀνθρώπους καὶ ἔσεσθαι ἀθανάτους καὶ τὰ ὄντα τῶν αὐτῶν ἐπικλήσεσι διαμένειν.

SECTIO V.

In qua præcedens tota doctrina hoc in opere ex principiis Philosophiæ proposita & probata esse Dei verbo Consona ostenditur.

EX hactenus in hoc opere adductis & probatis vides philoſophiam veram & ſynceram, quam proxime accedere πρὸς τὴν ἀσύλοτον πίστεος ἕξιν, cui inſeruit vera philoſophia vt ancilla Dominę cui dũ inſeruit maximũ habet vsũ, imo aliquãdo euenire poteſt vt hic ratione aſſequatur rẽ eandẽ quã alter fide amplectitur, inde dico genuinã philoſophiam differre à vera fide tantum, vt ille qui procul & obtuſe videt, differt ab eo qui prope & acute rem intuetur: qui autem procul abeſt non alia videt quam qui prope eſt, ſed eadem videns non diſtincte videt vmbraſque quaſdam fingit, in quibuſdam dubitat: vna igitur genuinæ philoſophiæ & religionis veræ de anima humana ferme ſententia eſt differens ſolũ vt perfectum & imperfectũ, vel vt delineatio rudior ab exquiſitiori, picturaconueniunt, ſiquidem in variis animæ noſtræ appellationibus in naturæ animæ humanæ deſcriptione, in diuinitate originis animæ

humanæ, in facultatum animæ noſtræ declaratione, in ſedis animæ noſtræ in corpore, deſignatione, nec non in capitibus de animæ noſtræ immortalitate, de ſtatu beato poſt mortem bonarum animarum, vt de ſtatu miſero malarum animarum: denique quod ſummum eſt in quodam reſurrectionis genere, procul ſuis locis declarauimus.

Ita clare perſpicis religionem veram potius acutius videre hiſtoriam animæ humanæ, quam ſentire de anima noſtra alia vel diuerſa à vera philoſophia: porro quia huc vſque toti fuimus in enucleanda & enarranda hiſtoria animæ noſtræ iuxta principia ſynceræ philoſophiæ, tempus eſt nunc vt paucis videamus quid ſacra pagina de præcipuis huius doctrinæ πέριτης animæ capitibus proponat & edoceat, atqui ſic arctior erit in omnibus conuenientia & conſenſus religionis & philoſophiæ ſuper animæ noſtræ hiſtoria; igitur primo loco ex ſcriptura nos diſcimus varias animæ noſtræ acceptiones. v g. libro Geneſ. 12. v. 5. anima ſumitur pro integro homine, id eſt, cōſtāte ex anima & corpore, his verbis: *Abrahamus cœpit Saram vxorem ſuam, & Lotum filium fratris ſui, & omnem cenſum quem acquiſiuerat & animas quas habuerat in Caran,* ideſt, homines. Item lib. Sam. cap. 19. v. 17. *Micol dicit Dauidi marito ſuo niſi ſeruas animā tuam,* ideſt, teipſum *hac nocte morieris.* Et

Psal. 57. *Anima mea est in medio leonum*, id est, ego ipse sum. Esaias, cap. 46 v. 2. *anima eorum iuit in captiuitatem*, idest, ipsis Matth. 16. *Qui volet seruare animam suam*, id est, seipsum, sciens omitto plura alia loca, in quibus anima sumitur pro toto homine apud sacros scriptores.

Deinde anima sumitur in sacra pagina pro sanguine, quia sanguis vulgo perhibetur esse vehiculum animæ, sed acceptio hæc animæ admodum est rara: habes autem eius exemplum Deuteronom. cap. 12. v. . vbi hæc sunt verba, *Non comedes animam cum carne*, idest, sanguinem, iuxta illud Poetæ.

Purpuream vomit ille animam.

Tertio anima sumitur pro actu secundo animæ, id est, pro vita Genes. 9. v. 5. *A manu hominis requiram animam hominis*, idest, vitam, 1. Samuel 21. 1. Dauid alloquens Ionathanem dicit de Saule, *pater tuus quærit animam meam*, idest, vitam meam. Psal. 49. v. 9. λύτρον animæ eorum est nimis Carum, idest, vitæ, Esai. cap 38 67 *Tibi placuit liberare animam meam e fouea*, id est, vitam. Matth. cap. 2. v. 20. *Illi qui quærebant animam pueruli sunt mortui*, idest, vitam. Ioan. cap. v. 11. *Bonus pastor ponet animam pro ouibus*, id est, vitam, &, vt verbo dicam, nihil frequentius apud sacros authores quam ponerem animam pro vita.

Quarto quod mireris, anima sumitur

pro comparte ſua, puta corpore, imo iam anima ſua deſtituta, quia ei vnita fuit, ergo lib. Num. cap. 5. v. 2. *Omne pollutum ſuper anima*, ideſt, ſuper cadauere vel corpore anima ſua priuato pariter eodem libro cap. 6. v. 6. tempore ſeparationis ſuæ ne accedat ad vllam animam, ideſt, ad vllum mortuum. Ita eſt in fonte Hebræo ratio huius acceptionis animæ hæc eſt: primo anima cœpit ſumi pro toto homine, deinde cum ordinarie & frequenter anima denotaſſet hominem & vulgus in homine, nihil videret præter corpus, vſurparunt vocem animæ pro corpore, qua prius vſi ſunt pro homine, denique ſine diſcrimine ſũpſerunt τὸ anima pro corpore habente animam, & anima priuato.

Quinto anima in ſcriptura ſumitur pro deſiderio vel appetitu in Pſal. 27. v. 17. *Domine ne me derelinquas animæ*, ideſt, appetitui aduerſariorũ meorũ. Item Eſai. c. 43. v. 4. *dedi homines populos animæ tuæ*, ideſt, appetitui tuo &c. omnes prædictæ ſignificationes τῆς animæ impropriæ & mutuatitiæ ſunt ſumptæ, nimirum mutuo ab aliqua occaſione, vt iam vidimus, verum propria & genuina animæ noſtræ in ſcriptura ſancta acceptio eſt ea qua accipitur pro ſubſtantia ſpirituali actuante corpus humanum, & ab eo contra diſtincta, qualem nos eam eſſe ſecũdo capite huius tractatus definiuimus, vt hæc eſt acceptio animæ maxime pro-

pria, sic est maxime frequens apud sacros scriptores, sicut docemur locis sequentibus Genes. 2. vers. 2. *Deus formauit hominem*, id est, corpus ex puluere terræ, *& inspirauit ei spiritum viuentem*, vel vitæ, id est, substantia diuersum à corpore ad corpus viuificandum. Esai. cap 10. vers. 18. *Deus consumet gloriam siluæ*, id est, robustos & ex territorio suo fertili, tum animam, tum corpus Ecclesiast. 12. 7. Puluis id est corpus redit ad terram, prout erat, sicut constat ex versu 19. cap. 3. Genes. *Puluis es & in puluerem redibis, sed spiritus redit ad Deum qui eum dedit.* Matth. cap. 10. vers. 28. *Ne metuite eos qui occidunt corpus & non possunt occidere animã, sed potius metuite eum qui potest destruere animam & corpus in gehenna* Luc 23. 46. *Pater in manus tuas remitto animam meam* Rom. 8. 16. *Spiritus sanctus testimonium reddit spiritui nostro.* Esaiæ, cap. 51. vers. 23. *Sed ponam* supple *calicem furoris mei, inquit Dominus, in manus affligentium te*, supple, ô Israel, qui dixerunt animæ tuæ inclinato vt transeamus, & posuisti corpus tuum vt terram & viam stratam transeuntibus: ex his vltimis scripturæ locis licet paucis vides sacram paginam nos docere animam humanam esse aliquid, non autem non ens contra primum errorem super natura animæ nostræ & esse aliquid finitum, non vero infinitum contra secundum errorem puta substantiam, non ergo accidens contra

tertium errorem atque substantiam spiritualem, non corpus, contra quartum errorem: denique esse naturæ differentis ab anima belluina contra quintum errorem, quæ omnia vel vnicus Eccles. supra allegatus locus te doceat, licet cætera Sileam.

Quare post explicatas varias τῆς animæ acceptiones apud sacros scriptores, & post comprobatam veram de animæ essentia sententiam quid eadem sacra pagina nos super origine animæ nostræ doceat, videndum Genes. 24. hæc verba legimus, *Postquam Deus formasset corpus hominis, et inspirauit spiritum vitæ*, id est, animam, Eccles. 12. 7. *Spiritus redit ad Deum qui eum dedit.* Zach. 12. 1. *Deus qui formauit spiritum hominis in eo dicit.* Esai. 57. 13 sub finem versiculi *& animas quas feci.* Iob 10. 9. *Tu dedisti mihi vitam*, id est, animam, *per quam viuo.* Item 33 5. *Spiritus omnipotentis dedit mihi vitam*, id est animam, Hebræor. 12 9. *Habuimus castigatores patres carnis nostræ & eos reueriti sumus, nonne multo magis subiti erimus patri spirituum & viuemus, ergo & animarum humanarum cum sint spiritus*, 1. Pet. cap. 4. 19. *Petrus nobis suadet commendare animas nostras Deo tanquam fideli earum κτίσῃ & conditori*: ex his locis satis manifeste perspicis Deum esse conditorem & patrem animarum, non ergo à parentibus propagantur vel ab vlla alia creatura producuntur: at ita vides

corruere errorem super authore originis animarum veritatemque confirmari iuxta quam docuimus Deum creare animam hominis, idque in ipso corpore, non extra corpus, vel ante corporis formationem, vt ait Zacharias in laudato loco, *Deus formauit spiritum hominis in eo.* Iam post explicatas varias animæ in scriptura acceptiones & declaratam eius naturam atque enarratam originem per scripturas, sequens est vt per easdem litteras sacras quæ de facultatibus animæ nostræ dissetuimus, conformemus: sed quia nimis longum foret, atque non ita necessarium ea cuncta per scripturas declarare, quæ de facultatibus animæ diximus, licet id facile fieri possit, ab eo consulte abstinemus. Interim tamen super hac parte historiæ animæ nostræ ex scriptura sacra hoc dicere decreuimus: scriptura sacra docet animam humanam vel spiritum in homine esse viuificantem, dum eum vocat spiritum vitæ, ac ita esse præditum facultate vegetatiua siue vitali. Item docet scriptura hominem sentire, siue cognoscere per sensum, quare ac consequenter eius animam esse præditam etiam facultate sensitiua: denique sæpius inculcat scriptura hominem habere intelligentiam, ergo eius anima est prædita facultatibus intellectuali, sensitiua, & vegetatiua: & cum anima hominis, vt per scripturam patet, habet tres principes fa-

cultates, docente eadem ſacra pagina, habebit etiam minores poteſtates iis principibus ancillantes, de his plura dicere ſuperuacanei foret laboris.

Itaque ad illud caput venianus vbi de ſede animæ noſtræ corpori ſuo vnitæ loquuti ſumus, atque ex ſacra ſcriptura dicimus animam noſtram eſſe in corpore noſtro, non vero extra illud, nominatim in illo Iobi cap. 33. *Quandiu anima in me erit*, deinde ſcriptura nos docet animam eſſe in toto corpore, non vero in parte corporis tantum: legimus enim cap. 20. Geneſ. animam inſpiratam corpori, non autem corporis parti. Item 1. Reg. cap. 17. ver. 21. 22. legimus animam pueri rediiſſe in ipſum, id eſt, in corpus ipſius, non vero in partem corporis. Interim tamen non negamus etiam ſecundum ſacram paginam animam dici eſſe eminentius in vna parte corporis quam in alia nominatim in capite, & certe hinc Eccleſiaſt. t. 15. Salomon ait, *oculi ſapientis ſunt in capite eius*, &c. quia illic ἡγεμόνικον animæ hoſpitari dicitur, in corde habitare animam originaliter, vel principaliter; ſacri ſcriptores certo demonſtrant cum ordinaria ſcriptura phraſi ipſum cor pro anima ponatur. Geneſ. 65. *Deus nouit cogitationes cordis*, id eſt animæ habitantis originaliter in corde. Deutero. 65. *Iubemur amare Deum toto corde*. Prou. 22. *Iubemur applicare cor ad ſapientiam*. Item 3. 5.

eiusdem libri. *Fidere in Deum toto corde.* Prouerb 25. *Fili da mihi cor tuum,* Luc 6.45. *Ex abundantia cordis os loquitur.* Ad Eph. 3.14. *Christus habitat in corde fide.* Prouerb. 17. 16. *Stultus non habet cor*, id est, animam intelligentem. 1. Reg. cap. 29. *Sapientia Salomonis dicitur amplitudo cordis.* Loca scripturæ hæc de quinto capite huius doctrinæ sufficiant, iam ad sextum caput properemus, & hîc etiam repetimus veritatem confirmatam testimoniis sacræ scripturæ aperte immortalitatem animæ humanæ demonstrantibus. Eccles 27. *Spiritus redit ad Deum qui eum dedit: quomodo redire posset spiritus ad Deum cum compositum dissoluitur nisi in dissolutione superstes maneret.* Exod. 32. *Dele potius nomen meum ex libro viuentium, exime nomen meum è catalogo eorum qui in æternum viuunt.* Psal. 69.29. *Deleatur è libro viuentium*, id est, ne vna sit cum iustis 1. Reg. 17. 22. *Anima pueri redit in ipsum & vixit puer, quod non posset anima si periisset dissolutione corporis.* Exod. 36. *Ego sum Deus patris tui, Deus Abrahami, Deus Iacobi*, sicut Dominus ipse explicat Matthæi 22. 32. *Deus non est Deus mortuorum, sed viuentium*, Psal. *Dabis mihi cognoscere viā vitæ, satietas gaudii est in facie tua & voluptates sunt ad dextram tuam in æternū cui bono rogo cognoscere viam vitæ, nisi ei qui viuit atque gaudia & voluptates an non sunt viuentibus.* 1. Sam. 28. Saga euocat Samuelem mandato Saulis, quod Saga nunquam fecisset & Sau-

lus nunquam mandasset nisi ibi & tunc fuisset communis persuasio animam superstitem manere dissolutioni compositi vel morti corporis, vt paucis agam receptam pro indubitato erat apud Israelem, animam alibi sæpe viuere vitæ huic præsenti vti idem faciunt historiæ Enochi Genes. 5. in cœlos sublati nec non Eliæ. 2. Reg. 2. Item historia resuscitatorum per Eliam 1. 17. & per Elizeum 2. Reg. 61. sed pro breuitate mihi hoc in opere proposita sciens, & volens omitto alia testimonia ex veteri fœdere & ad nonum me confero Luc 12. 15. *Timete eum qui postquam occidit potestatem habet mittere in gehennam*, non certe corpus, nam redit in cinerem, vt nos supra docuit scriptura: ergo animam eo mittat necesse est quum post occisionem corporis superstes maneat Math. 10. 28. *Ne timete eos qui possunt occidere corpus, sed non possunt occidere animam*. Luc 20. 36. *Non poterunt mori, nam erunt instar angelorum* Lucæ 16. vers. 9. *Vt excipient vos in tabernacula æterna*, quomodo potest anima accipi nisi viuat? Epist. 2. ad Corinth. cap 5. *Habemus ædificium à Deo domum æternam in cælis* rogo cui domus nisi *Domino*. Ad Philippenses cap. 1. vers. 13. *Cupio hinc discedere & esse cum Christo*. Epist. 1. Petri cap. 1. vers. 9. *Vt accipiatis finem fidei vestræ, salutem animarum vestrarum*. Ne nimius sim sciens prætereo infinita alia sacræ paginæ testimonia, quibus Spiritus sanctus

aperte ostendit animas nostras esse à morte immunes: hinc audacter asserere non verebor omnes rationes quotquot illę sint à quacumque sint, quæ contra ἀθανασίαν animarũ à dubitationibus hominum adferri solent esse mere falsas, & non nisi apparenter veras, cum prima lux primaque veritas clarę ostendat, manifesteque doceat animas nostras esse immortales quod ad illum textũ cap. 3 Ecclesiast. quem profani in defensionem suæ insaniæ adferre solent per prosopopeiam prolatus est ab Ecclesiaste sub persona tumulantis turbæ : non autem ex autoris sententia, nam quod ipse secundum veritatem de anima nostra senserit, habes paulo ante finem libri in his verbis: puluis redit in terram, vt erat prius, spiritus vero hominis redit ad eum qui eum dederat quidquod vers. 21. eiusdem capitis 3. manifestum ponit discrimen Ecclesiast. inter animam hominis & belluæ, his verbis, *Quis nouit spiritum hominis qui ascendit sursum, aut spiritum belluæ qui it deorsum ad terram*, prout hic locus vertitur optime iuxta veritatem Hebræam.

Nunc ad vltimum caput operis huius nostri accedamus, in quo de statu animæ vinculis corporis solutæ agitur, de quo quid nos doceat sacra pagina, itidem videndum est, primum ex scriptura discimus animas bonorum adire cœlos: hinc legimus Genes. 5. *Deum sumpsisse sibi Enochum.*

2. Reg. 2. *Deus sustulit Eliam.* Ecclesiast. 12. *spiritus redit ad Deum vbi possidebit satietatem gaudij,* &c. vt habetur Psal. 16 vers. 11. Lucæ 1 43. vbi Dominus alloquitur furem pœnitentem, *hodie mecum eris in paradiso* &c. 75. Stephanus ait, Domine accipe animã, 2. Corinth 5. 8. *magis cupimus esse extra corpus, & esse cum Christo.* Apocal. 15. 13. *Beati qui moriuntur in Domino, quiescunt à laboribus & opera eorum ipsos sequuntur:* quod ad locum attinet quo migrant malorum animæ vel ipsamet eorum appellatio satis indicat, nam in scriptura vocantur filij gehennæ Matthæi. 23. idest, tartari τῆ λίμνης τȣ̃ πυρός, vbi torquentur misere, prout testatur historia mali diuitis, Luc. cap 16. & ibi vermis eorum non morietur, nec ignis extinguetur, vt Esai cap. 66. v. 24. & Mar. 9. v. 43. & 44. Quod vero attinet ad tertium illum locum, quo iuxta nonnullorum Sophistarum doctrinam migrare dicuntur animæ, ibique ad certum tempus hospitari antequam cœlos ingrediantur nihil de eo sacræ litteræ habent, quid quid Sophistæ dicant: siquidem ex sacra pagina tum contra tertij loci fictitij excusores, tum aduersus παννυχίτας docemur animas bonorum statim, atque corpus moritur adire cœlos & beatitudine frui: hinc Dominus promittit furi pœnitenti, *hodie mecum eris in paradiso*, non longo post tempore, sed eo ipso die vertente, hinc 2. Corinth. 5. 8. *cupiunt esse à corpore &*

vna

vna esse Domino Philipp. 1. 25. *desiderium habeo migrare hinc, & cum Christo esse*, sciens alia plurima loca: sileo eandem veritatem demonstrantia, quæ à Theologis cumulari solent, cum ex his paucis veritas satis pateat.

Denique resurrectionem corporis etiam nos edocent sacri libri Iob. 19. 25. 26. *Noui redemptorem meum viuere, & statutum vltimo die super terra; & quamuis post pellem meam vermes destruxerunt corpus hoc, tamen in carne mea videbo Deum quem visurus sum mihi, & oculi mei aspicient, nullus vero alius* Esai. 26. 19. *Mortui viuent & vna cum corpore meo resurgent.* In eodem commate *& terra eyciet mortuos* Ezech. 27. 13. *Cognoscetis me esse Dominum cum apperuero sepulchra vestra omni populo & vos eduxero è sepulchris.* Daniel. 12. *Dormientes in puluere terræ expergescentur nonnulli ad vitam æternam, nonnulli vero ad ignominiam & æternum contemptum, assumptio Enochi raptus Eliæ in cælum puer resuscitatur per Elizeum* 2. Reg. 4. 31. *filia Iairi resuscitata per Dominum.* Matt. 9. 25. *filius viduæ Nahum resuscitatus per Dominum.* Luc. 7. 15. *Lazarus resuscitatus.* Iob 11. resuscitatio multorum è tumulis cùm moreretur Christus sunt præludia magnæ & vltimæ illius resurrectionis, denique Domini resurrectio, quæ primitia resurrectionis dici solet ex his scripturæ locis & resurrectionis exemplis mortuos posse, & olim resuscitatum iri omnino

constat. Interim auctarij vice, vt plenius lectori satisfiat vnum aut alterum locum insuper è sacra pagina afferemus ad hanc ipsã veritatem comprobandum. Ioan. 5.28. *Ne miremini, veniet tempus in quo omnes ij qui sunt in sepulchris audient vocem illius*, supple Domini &c. 24.15. Habens, supple ego Paulus, spem in Deum quam hi expectant resurrectionem futuram esse tum iustorum, tum iniustorum Philipp. cap. 3. 11. *Ne perueniant ad resurrectionem mortuorum.* Thess. 4. 14. *Credimus quod Christus mortuus est & resurrexit, sic adducet secum obdormientes in eo.* Ioan. 6 4. *qui credit in filium habet vitam æternam, & ego ipsum resuscitabo in vltimo die.* Apocalypsis 20. 3. *Mors & infernus reddiderunt mortuos suos* &c. sciens prætereo totum c. 15. Epistolæ prioris ad Corinth. vbi Apostolus validis demonstrationibus arguit resurrectionem mortuorum, & eius rationem modumque subiungit.

Cæterum ex hoc vnico Apocalypseos loco satis liquet animas separatas meminisse se aliquando fuisse vnitas corpori: Vsquequo Domine sancte non iudicas, & non vlcisceris sanguinem nostrum de iis qui inhabitant terram.

Atque in conformationem huius veritatis qua asseruimus nullum fore locum in vita futura affinitati, consanguinitati, aut propinquitati habemus Luc. 8.21. responsum Domini ad eos qui loquebantur illi de ma-

tre & fratribus; &c. hi, inquit Dominus, prædicto loco sunt mater & fratres mei qui audiunt verbum Dei; & id in praxim redigunt. Item ex responso Domini Luc. 9. 28. iis qui prædicarunt ventrem fœlicem, qui ipsum portauerat & mamillas fœlices quæ ipsi lac præbuerunt, ad quod ait: imo magis fœlices sunt hi qui verbum Dei audiunt, & obseruant; quare licet sese mutuo homines cognoscant in vita futura, tamen id fiet sine vllo affectu carnali, Iob. 14. 21. sui libri nos docet egressos ex hoc mundo non amplius curam rerum terrenarum habere, his verbis loquens de mortuo , filij eius, supple, hominis, mortui erunt in honore, & nihil noscet, & humiliabuntur, & non curabit ex his scripturæ locis: abunde vides veritatem historiæ animæ humanæ quam rationibus Philosophicis comprobauimus esse non solum scripturæ sacræ conformem, sed ab ea confirmatam vnum hic rogo te lector, vt in bonam partem accipias, si vnum eundemque scripturæ textum sæpius hic laudatum vides, quod ideo à nobis factum est: quia vnus & idem locus res plures demonstrat, quin etiam hæc omnia super anima nostra sunt inter se ita concatenata, vt vnum vix explicari vel intelligi possit sine altero.

Vt omnia concludamus, quæ ab initio huius operis huc vsque attulimus, vel docuimus; primum cum Philosopho illo dici,

mus nihil in terra esse magnum præter vnicum hominem, nihil magnum in homine præter animam siue mentem, huc si ascendis, cœlum transcendis, si ad corpus inclinas, & ad cœlum suspicis, muscam te vides, & musca aliquid minus pre cœlo nimirum: deinde dico tria esse quæ præcipue in vniuerso admirationem habẽt, natura diuina, mens humana, & mentis nostræ cum Deo coniunctio, quæ est beatitudo nostra, quo mature veniamus, faxis summe Deus tibi trinouni sit laus sempiterna. Amen.

FINIS.

Hæc inserenda sunt pag. 561. l. 1.

Antiphanes antiquissimus Poëta Græcus, ita de anima nostra cecinit.

Πενθεῖν δὲ μετρίως τοὺς προσήκοντας φίλους
Οὐκ γὰρ τεθνῶσι ἀλλὰ τὴν αὐτὴν ὁδὸν
Ἣ πᾶσιν ἐλθεῖν ἐς ἀναγκαίως ὡς ἔχων
Προεληλυθᾶσιν ἔτι χ' ἡμεῖς ὕστερον
Εἰς ταῦτο καταγώγιον αὐτοῖς ἥξομεν
Καὶ ἢ τὸν ἄλλον σὺν διατρίβοντες χρόνον.

id est,

Modice propinquos luge, amice tuos
Nam mortui non sunt, sed iter emersi prius.
Emetiendum cæteris, quod omnibus & in quod hi venere
Diuersorium, illud ipsum post modum aggregabimur.
Reliquum omne tempus commoraturi simul.

In Zoroastis antiquissimi opusculo quod μάγικα λόγικα inscribitur, hæc reperies.

χρήστε σπεύδειν πρὸς τὸ φάος, καὶ πρὸς πατρὸς αὐγάς
Ἔνθεν ἐπέμφθη σοὶ ψυχὴ πόλυν ἑσσάμενη νοῦς
Ψυχὴ ἡ μέροπων, θέον ἄξει πῶς ἐς ἑαυτήν
Οὐδὲν θνητὸν ἔχουσα, ὅλη, θεόθεν μεμέθυσται
Ἁρμονίαι αὐχεῖ γὰρ ἐφ' ἣ πελισῶμα βρότειον
Ὅ τι ψυχὴ πῦρ δύναμει πατρὸς οὖσα φάεινον
Ἀθάτος τε μένει ἡ ζωῆς δέσποτις ἐστιν

Respirandum tibi properandumque, ad limen & patris splendores,
Vnde immissa est tibi anima, plurima mente circumspecta
Anima hominũ Deum quadãtenus in se cogit.

Mortale nihil complexa, tota diuinitus inebriata est,
In Harmonia gloriatur sub qua corpus vitale sit.
Quoniam anima, cùm sit ignis patris lucidus
Et immortalis permanet & est vita domina.

Phicilides antiquiſſimus Poëta, qui omnia ſerio ſcripſit, cuiuſque ſcripta nihil fabuloſi continent ſequentibus verſibus receptam ab omnibus ſui temporis de anima ſententiam explicat.

ψυχὴ ἀθάνατος καὶ ἀγείρως ζῇ διὰ παντός.
Α᾽ εἶψαν ἀποιψυμένον ὀπίσογε θεοὶ τεδελόνται
ψυχαὶ γὰρ μίμνουσιν ἀκήριοι ἐν φθιμένοισι,
Καὶ τάχα δὲ κ γαίης ἐλπίζομεν ἐς φάος ἐλθεῖν
Πνεῦμα ἐστι θεοῦ χρῆσις θνητοῖσι καὶ εἰκών.

id eſt,

Anima quidem interitus & somni nescia viuit in perpetuum,
Et quidem reliquiæ defunctorum posthac dij euadunt;
Animæ enim permanẽt æternæ in demortuis.
Nec frustra speramus è terra in lucem regredi:
Spiritus enim Dei fruitio mortalibus est, atque imago.

Item verſus ex oraculo Apollinis ad Politem reſponſi circumferuntur.

ψυχὴ μὲν μεχεῖ δέσμοις πρὸς σῶμα κρατεῖται
Φθαρτὰ νοῦσοι πάθη θνητὰ καὶ ἀλγηδόσιν εἴκει
Ηνίκα δ᾽ ἀνάλυσιν βροτέτω μετὰ σῶμα μαρανθὲν

Ὠκίστην δ᾽ εὕρηται ἐς αἰθέρα πάλιν φορεῖται
Αἰὲν ἀγήραος οὖσα μένει δ᾽ εἰς παντὶ ἀτειρής
Πρωτογόνος γὰρ τοῦτο θεοῦ διέταξε προνοία.

id est,


Corporis donec vinculis animus cohibetur
Affectus sentit paruos ceditque dolori
Mortifero, sed cum celeris resolutio corpus
Prenderit exanimum tunc totus in altera
fertur,
Exors à senio manet indomitusque per æuum
Sic princeps statuit, iam olim diuina pronœa.

Item hic versiculus pro responso cuidam maxio datus.

Οὐχ ὅσιον ἐστὶν τῆς ψυχῆς καταγνῶναι θάνατον.
Nefas est animæ nosse interitum.

Huc pertinent versus Sybillini sequẽtes.

Ην δ᾽ ἀπολείψαι σῶμα ἐς αἴθερ ἐλεύθερον
ἔλθῃς
Ἔσσεαι ἀθάνατος θεὸς ἄμβροτος οὐκ ἔτι θνητός.
Quod si deposito corpore ad ætherem liberum
deueneris
Immortalis eris Deus, nec iam deinceps mor-
ti vel fato obnoxius.



ERRATA.

Crassiores errores in Typographia commissos, qui verborum sensum inuertere, authoris mentem mutare, vel Lectorem remorari poterunt, secus fieri non potuit, quin ignari Typographi, correctores minus diligentes authore absente, negotijs varijs distracto sæpe sæpius errarint. Sic corrigas obnixè rogo.

PRimus numerus paginam, secundus lineam notabit. In Epistola nuncupatoria, p. 4. l. 15. post nimirum intersere mea, p. 6. l. 9. post Dei intersere in, p. 7. l. vltima deuincis. In admonitione ad Lectorem, p. 1. l. 10. corrig. maxima, p. 14. l. 2. incenditur, l. 19. quia, l. 22. sese, l. 28. peregrinans, pag. 18. lin. 19. post, ipsius intersere se, p. 26. l. 4. remouere, l. 5. duximus, pag. 34. lin. 7. producerent, pag. 38. lin. 11. arguit, p. 39. l. 26. dele rebus ipsis atque, p. 44. l. 21. separantur, l. 29. tam, p. 51. l. 21. intelligens, p. 52. l. 29. dele sed hic aduersarij vltra, p. 53. l. 20. del. in, p. 59. l. 9. del. nã. p. 64 l. 25. quidquod acicula in quadrante nautico, vel horario à magnete tacta impressionem, leg. 24. moueas interpone &c, pag. 77. l. 29. intersere, nec in se, p. 97. l. 12. agnoscimus, p. 105. l. 2. plures atque pluries verba fari edoctæ sint, p. 115. l. 32. dele esse, p. 125. l. 18. essentiam, p.

139. l.24. idem, p. 141. l.32. videre, p. 166. l. 6. operans, l. 16.17. dele in qua operatione per facultatem intellectiuam circa sensilia, p. 177. l.23. fluens, p. 179. l.15. dele de, p. 185. l.15. quo, p. 202. l.5. extrema, p. 204. l.24. grauis, p. 232. l.23. priorem principem facultatem, p. 268. l. 16. noluntas, l. 23. noluntas, p. 272. l.4. post quam, insere in, p. 275. l.1. vere, p. 292. l.28. dici, p. 298. l.1. executionem, l. 29.30. etiam eius, p. 301. l.6. cognationis, p. 305. l.3. adeo exacta sit, p. 306. l.7. citra, p. 310. l.4. ea, l.31. destitutus, p. 312. l.12. alias, p. 313. l.5. habent, l.7. ante, quod, insere est, & lege repetere, l. 10. dele esse, l.32. post circa, insere res, p. 319. l.28. ei, p. 320. l. 6. accipit, pag. 321. l. 21. libera, l. 30. quam, p. 324. l.1. habebat, l.25. post, malum, insere vt, p. 327. l. 29. rectificatione, p. 328. l.3. rapiatur, p. 330. l. 30. id est intellectu Deum, p. 331. l.16. dele petite, p. 333. l.21. voluntates, p. 334. l.3. respuit, l.12. si est de rebus arcanis, vel ad nos non pertinẽtib⁹ l. 23. vult, p. 336. l.18. lege rectio, p. 340. l.13. post quasi, pone, præsentes, p. 341. l.30. post omnino pone, ope, p. 343. l.6. duo quæ, p. 346. l.12. respondebunt, l.32. romanè Getis, p. 348. l.5. dele vt, l. 10. id specie, p. 350. l.7. quia, p. 353. l.25. diis, p. 356. l. 21. homo, in, p. 357. l.14. dele ea, p. 359. l. 8. testatur l. 29. ergo l.32. ad p. 360. l. 8. quo l.14 volupe l.27. leg. animatis l.28. leg. l. natiuitatis p. 361. l.23. post voluptatẽ adde naturalẽ

l.16.post voluptate, adde naturali, p. 362. l 8. dele τῶ, p. 363. l. 5. post animalium adde alia, l. 9. post subiectum, adde animale, l. 12. adde animale, l. 29. afficitur, p. 373. l. 24. l. mens, p. 374. l. 4. quoque, l. 12. quia, p. 376. l. 1. abinde. p. 378. l. 17. post itaque, insere anima, p. 379. l. 12. duximus, l. 22. siue, l. 28 propagationemibi dele re, p. 381. l. 15. parés, p. 368. l. 8. filij heroum noxæ. 387. l. 2. etiam, l. 12. post, inspirationis, adde animæ, l. 23. mulierem, l. 24. quidquod, l. 25. Euam, p. 390. l. 14. dele ex, l. 22. fecerit, l. 25. quæ, p. 391. l. 23. post, hominem, adde, an, p. 397. l. 6. procreationi, l. 10. furto, l. 17. furto, p. p. 404. l. 10. immorandi, p. 405. l. 2. ante, non, pone nam, p. 406. l. 20. inspirat. l. 21. mouis l. 29. stabilire l. 32. præcedere p. 469. l. 1 post animæ, pone, citra errorē, p. 411. l. 2. via p. 412. l. 19. quod p. 413. l. 12. post vbi, adde in p. 414. l. 20. dele, & nunquā alias maris & fœminę p. 418. l. 12. eiaculationis seminis ex p. 419. l. 32. adde est p. 410. l. 7. motu l. 28. adde a p. 421. l. 21. post producere, pone animam p. 422. l. 8. interruptione l. 13. qua l. 15. post lege vitalis p. 423. l. 22. bis l. 23. genitor l. 24. qui p. 425. l. 12. muniis p. 426. l. 15. etiamsi, quasi expergiscatur statim ac fabrica corporis est absoluta, nam tum in l. 20 in lucem p. 429. l. 29 mutuatitia a l. 32. & post recta p. 434. l. 14. fumo l. 20 elicimus p. 433. l. 23. ei p. 434. l. 22. dele, adsistentem continuare exiguo post creationem

eripere desiit p.435. l.14. permisit l.17. releuans l.25. iusto manere p.436.l.18. ante releuat pone non p.437.l.25. post affecti, adde à p.441.l. 6. coortus p. 442.l.39. lege accedant l.32. dele animam p. 443. l. 2. hi & ille l. 5. imperio l. 19. post prædicta pone dona l. 23. post locupletauit pone, Deus p.444.l.16. tantisque p. 445. l. 2. corruunt l.6. loquuti sumus l.21. suæ l.24. suæ p.446 l.22. motam p.448. l.16. misero l.20. naturales p.449.l.2. veram l.3. ante lapsu pone & l.15. quibus l.20. sensoriorum l.30. post sensuum dele omnia vsque ad sed in l.31. p.450. l.11 sic l.25. & l.27. quodque p. 451. l.31. intemperatum p. 452. l. 5. dicendum l.20. post ea p.454. l.5. prædicti subditi rei posteris l.32. destitutæ p.455.l. 1. lapsu l.15 ante magis, pone his l.17. dele, his autem l.23. post magis, adde, serio l. 25. certorum p.456. l.8. corpore l.10. miseræ, desertæque l.12. lapsu p.457. l.12. probitatem morum l. 14. vtimur l.15. post instrumenti, adde, agit p.460.l.14. quoad naturam ab Adamo p.462. l.16. vnitæ l.26. post, corporis, adde, parte p.464 l.16. qua l.20. euersis l.32. & ad libellam p.463. l.4. in l 6. hi p.465. l.2. δυσχέρειαν l.14. post sentire adde, quod l.17 alioqui p. 466. l. 3. extimam l. 15. post, tamen, pone non p.467. l.7. post, modo adde in l.11. coextendi p. 469. l.7. quod p.470. l 6. post cordis, adde, in l. 13. parent l. 20. nota p. 471. l. 9. honoris l. 14. problemasi

472.l.7.acq uirat post deinde qui l.25. post facio, adde, si l.26.l.vita l.28. post ordinata, adde, est p.473.l.24.post, materiam, pone naturaliter p.474.l.20.acquirit.l.21. anima cognoscens l.23. foret p.475.dele, sit, pag. 476. lin.9. post qui, adde, præ p.479.l.18. & crura vinciuntur l.29. dele, in eo p.482.l.10. loquendo l.24. immaterialis p.484.13. distinctas l.24. minima p.487.l.2. ante id, pone, contra l.4. dele, contra l.14.contineri p.489.l.4. plurima p.490.l.6.superuiuere l.11.quum p.491.l. 30.dicitur p.492.3.post nonnullas adde res 4.post quandiu lege etenim 13. lege. cepit p.493 l.24.Græciam p.494.l.6.haberi potest l.28.quotque p.497.l.10.nihilum p. 499.l.16.grammaticam p.500.l.5.cepit l.6 desinet p.502. post ἁπλῶς adde, sit p.503.l. 6.responderunt l.20.dele nunc lege, esse p.504.l.18.rationes l.19. cura l.20. libellā l.26.post eorum, adde qui p.505.l.4. post, possit, adde, non l.10.at 15. vt p.507.l.15. sublato p.509.l.9.degeret l.11.cohabitaret p.511.l.18.infinitati p.513.l.24.sis p.514.l.24 peruicacis p.515.l.5.corpus l.20.vtriq; colant l 27.direptione l.31.vtrique p.516.est l.20.impediri p.517.l.7.post ita, pone nec p.518.l.16.post, tamen, adde suæ p.520 23.Aphrodesi l.25.num.p.522.l.14.dele & p.523.l.20.facultates l.21.manent l.24.actu p.524.l.8 quæri solet p.527.l.17. post, nec, lege, non l.25.eos p.529.l.2.pugna, expu-

gna l.17.alterutram l.24.post id est,adde a l.20.post, aliud, adde, quod l.21.vnitur, pereat l.22.pendeat l.23. post id est adde, a p.530.l.5. contrarie oppositis p.532.l. 11 discedere. p. 536. l. 8. deseritur l.16. diminui p.537.l.23.omnia.p.538.l.12.in cœlis eo l.32.post sunt, adde, opera p. 539. l. 20.æterna p.540.l. iustitiæ l. 22. aggeritur l.29.quod l.30. post,spes, adde,sit p. 541.l. 7.post, infelix, dele, ipsa l.31.post,esse, adde,nihil p.544.l.18.dele,pro l.32.saniorum p.545.l.22.dele,quin etiam p.544.l.25.p. 547.l.9.fiet l.17.post,morari adde, nolo p. 550.l.4.eum fœdè l.21. progenitoribus l.31 dele iudicio p.551.l.1.adde,nam post relligionis l.6. emendati l.4.dele,sed p. 552.l. 17.calanus l. 27. caspium p.554. l 12. dele, suum p.555.l.21.post sequens, adde, est p. 558.l.3.palantes l 10. horum nebulonum l. 17.hac re ab omni tempore l.21.quorum p. 562.l.13. dare p. 563.l.19. post hanc lege mentem p. 564.l.5.hanc l.15. Philosophus. l 25.consuerit l.30 vt p.567.l.3.Aristoteles l.6.post, cæteræ adde vt l. 26. asseruit p. 569.l.1. testis l. 9. delirauit p 570.8.dele, verbis, post pone, apertè l 19. dele,qui l. 25.post versionem adde receptam p.572.l.21 post quod adde,ad 573.l.17.profiteor p. 574 l.5.vocasset l.14.post,vt adde & p 577.l.eâ. p.578.l.1.corruptela p. 579.l.16.l tere p. 580 post extremo,pone die 581.l.6.deterant l. 28 ieiunio dele est p.582.l.14.sed p.583. l. 7. de-

le,& præſentia l.19.lege ſumpti p.584.l.20
poſt itaque pone, vt p.586.l.6.euerſa l.11
ſumas p.588.l.6.quomodo l.8.inter 26.in-
quirenti p.589.l.18.deferere l.19.deſerat
p 593.l.25.quamque veritati p.595.l.30.ne
p.596.l.9.numerorum l.12.cui p.597.l 6
ſaniores p.599.l.11.huc l.17.longus l.21.eſt
p.600.l.14.contaminant,ad deuium quen-
dam locum itant nec non l.19.ad quæ l.22
commentum 28.commentitium p.601 l.14
igni p.602.l 29.hæc p 603 l.25.coexiſteret
p 604.30.dele quod l.31.poſt debet pone
quod p.605.l.1.videat l.6.eam, cum finem
l.25.dele non,& lege res p 608.l.25.ſed per
l.26.quæ pro ſed p.609.l.14.noſter p.610
l.2.poſt naturam,pone eius l.24.cœco pro
cœlo l.25.res 26.vt vita p.611.l 9.ſe ipſam
p.612.l.32.cier p.61. .l.9.in l.18.vt pro & l.
27.affligũtur ſupplicio p.615.l.5 in l.20.vt
p 621.l.4.intellectum p 622.l.9.quæ l.7.
iterum l.10.& p.623.l.25.poſt corpore po-
ne & l.29.conſtans 624.l.23.iterum l.30.
omnis p.625.l.1.in l.21.morat p.626.l.9.
eædem p.627.l.22.quam 628.l.11.vt p.619
l.4.eſſe conſentiens ſcripturæ oſtenditur
p.630.l.8.prout l.20.docetur p.631.l.5.ipſi
638.l.1.ibi p.639.l.8.doceat l.11.inſaniæ.